PUBLII OVIDII NASONIS

OPERA.

EXCUDEBANT TALBOYS ET WHEELER.

PUBLII OVIDII NASONIS OPERA,

E TEXTU BURMANNI;

CUM NOTIS

HARLESII, GIERIGII, BURMANNI, LEMAIRI,

ATQUE ALIORUM SELECTISSIMIS.

TOMUS PRIMUS.

OXONII,

IMPENSIS TALBOYS ET WHEELER;
ET PICKERING, LONDINI.

MDCCCXXV.

P. OVIDII NASONIS

VITA[a].

FUIT Ovidius Sulmonensis: quod ipse sic testatur in Tristibus, lib. iv. Eleg. x:

Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis,
Millia qui novies distat ab urbe decem.

Et in Fastis, ubi etiam a Solymo Sulmonem denominatum dicit, lib. iv:

Hujus erat Solymus Phrygiâ comes unus ab Idâ,
A quo Sulmonis mœnia nomen habent;
Sulmonis gelidi, patriæ, Germanice, nostræ:
Me miserum, Scythico quam procul illa solo est!

Est autem Sulmo in Pelignis, quod ipse sic in ii. Amor. Eleg. i:

Hæc quoque composui, Pelignis natus aquosis,
Ille ego nequitiæ Naso poëta meæ.

Et in tertio, Eleg. xv:

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo:
Pelignæ gentis gloria dicar ego.

[a] Ex ejus scriptis ab Aldo Pio Manutio descripta.

Fuit ex equestri natus familiâ, ipso dicente in iv. de Trist. Eleg. x:

Si quid id est, usque a proavis vetus ordinis heres,
Non modo fortunæ munere factus eques.

Et Fastorum vi:

Sancte pater patriæ, tibi plebs, tibi curia nomen
Hoc dedit: hoc dedimus nos tibi nomen eques.

Patrimonium satis amplum habuisse constat; quod ab eodem in Ponto sic ostenditur:

Non meus amissos animus desiderat agros
Ruraque Peligno conspicienda solo;
Nec quos pomiferis positos in collibus hortos
Spectat Flaminiæ Claudia juncta viæ.

Item domum non longe a Capitolio: ait enim in i. de Trist. Eleg. iii:

Hanc ego suspiciens, et ad hæc Capitolia cernens,
Quæ nostro frustra juncta fuere lari.

Fratrem præterea habuit natu majorem duodecim mensibus; et, quod mirum est, eodem, quo ipse, natum die: uterque enim quartodecimo Kalend. Aprilis Minervæ quinquatriis natus est; quod sic ipse in quarto de Trist. Eleg. x.

Nec stirps prima fui: genito sum fratre creatus,
Qui tribus ante quater mensibus ortus erat.
Lucifer ambobus natalibus adfuit idem:
Una celebrata est per duo liba dies.
Hæc est armiferæ de festis quinque Minervæ
Quæ fieri pugna prima cruenta solet.

Natus est autem Hirtio et Pansa Coss. qui bello Antoniano apud Mutinam peremti sunt, ut ipse in iv. de Trist. Eleg. x:

> Editus hinc ego sum, nec non, ut tempora noris,
> Cum cecidit fato consul uterque pari.

Cum autem Romæ una cum fratre sub clarissimis et grammaticis et rhetoribus plurimum profecisset; legibus, cogente patre, qui humanitatis studia inutilia esse contendebat, cœpit incumbere, et profecit legibus, et honoribus functus est. Sed cum forum displiceret, quod esset majus onus ejus viribus, relictâ curiâ et lati clavi servitute, ad mansuetiores musas rediit; poëtasque omnes illius temporis natu majores assidue coluit, atque a minoribus æque cultus ipse est. Quæ omnia in iv. de Trist. Eleg. x. elegantissime scribit.

Benignus etiam adeo fuit, ut nullus unquam opus, quod ipse composuerat, carpserit. Quod sic ipse testatur in iv. de Trist. Eleg. x:

> Nec, qui detrectat præsentia, livor iniquo
> Ullum de nostris dente momordit opus.

Fuit et moribus ornatissimus: nam et vinum multâ aquâ dilutum bibebat, et a detestando puerorum concubitu abhorrebat, eratque purus omnis sceleris. Sic enim ipse i. de Ponto, Eleg. x:

> Parvus in exiles succus mihi pervenit artus,
> Membraque sunt cerâ pallidiora novâ.
> Non hæc immodico contraxi damna Lyæo:
> Scis mihi quam solæ pæne bibantur aquæ.
> Non epulis oneror: quarum si tangar amore,
> Est tamen in Geticis copia nulla locis.
> Nec vires adimit Veneris damnosa voluptas:
> Non solet in mœstos illa venire toros.

In secundo autem de Ponto, Eleg. vii. sic scribit:

Vita prior vitio caret, et sine labe peracta est:
Auxilii misero nil tulit illa mihi.

Habuit uxores tres, quarum duas repudiavit; cum tertiâ vero conjunctissime et amantissime vixit: item filiam, et alios liberos; sed ex filiâ et avus factus est. Quare in quarto Trist. ait, Eleg. x:

Pæne mihi puero nec digna nec utilis uxor
Est data, quæ tempus perbreve nupta fuit.
Illi successit, quamvis sine crimine, conjux
Non tamen in nostro firma futura toro.
Ultima, quæ mecum seros permansit in annos,
Sustinuit conjux exsulis esse viri.
Filia me mea bis primâ fecundâ juventâ,
Sed non ex uno conjuge, fecit avum.

Cum autem Augustum Cæsarem imprudenter, et inscius, ut ipse ait, offendisset, ad Euxinos ab eo relegatus est, annos natus l.; quare ait in iv. Trist. Eleg. x:

Postque meos ortus Pisæâ vinctus olivâ
Abstulerat decies præmia victor equus:
Cum maris Euxini positos ad læva Tomitas
Quærere me læsi principis ira jubet.

Describit autem discessum suum ex urbe, et uxoris, et ceterorum suorum lacrymas, duramque et periculosam navigationem suam, primo Trist. longâ epistolâ, quæ incipit:

Cum subit illius tristissima noctis imago, &c.

Præterea primo de Ponto, in Epist. ad Rufinum, eo in loco se exsulare, ubi semper maxima forent frigora, summaque inopia bonorum omnium, his queritur versibus:

Orbis in extremis jaceo desertus arenis,
Fert ubi perpetuas obruta terra nives.

Non ager hic pomum, non dulces educat uvas:
Non salices ripâ, robora monte virent.
Neve fretum laudes terra magis, æquora semper
Ventorum rabie solibus orba tument.
Quocunque adspicias, campi cultore carentes
Vastaque, quæ nemo vindicet, arva jacent.
Hostis adest dextra lævaque a parte timendus,
Vicinoque metu terret utrumque latus.
Altera Bistonias pars est sensura sagittas;
Altera Sarmatica spicula missa manu.

Sui autem exsilii duas fuisse ait causas: quarum alteram ubique fatetur, alteram semper supprimit. Ait enim ii. Trist.

Perdiderint cum me duo crimina, carmen, et error;
Alterius facti culpa silenda mihi est.

Persæpe igitur et libros de Arte Amandi composuisse dolet, quod propterea Augusto odio esse cœperit, et aliquid vidisse per errorem, ut ob id in Scythiam relegatus fuerit, offenso Cæsare: ait enim in ii. de Ponto, Eleg. ix:

Neve roges quæ sit: stultam quam scripsimus artem,
Innocuas nobis hæc vetat esse manus.
Ecquid præterea peccarim, quærere noli:
Ut pateat sola culpa sub arte mea.

Et in tertio ad Amorem, Eleg. iii:

Nec satis hoc fuerat, stultus quoque carmina feci.
Artibus ut posses non rudis esse meis.
Pro quibus exsilium misero mihi reddita merces,
Id quoque in extremis et sine pace locis.

In eodem sic Amorem sibi respondentem inducit in somnis:

Utque hoc, sic utinam defendere cetera posses!
  Scis aliud, quod te læserit, esse magis.

Secundo item Trist. ait:

Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?
  Cur imprudenti cognita culpa mihi est?
Inscius Actæon vidit sine veste Dianam:
  Præda fuit canibus non minus ille suis.

Ubique igitur exsilii causam tum libros de Arte, tum errorem fuisse commemorat: quis vero ille error fuerit, nunquam aperuit, ne magis Augustus sibi irasceretur. Verum quia, ut ipse ait, "Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata;" quidnam id fuerit, plurimi scire conati sunt, et conatur semper aliquis: quapropter suspicati sunt quidam turpe aliquod Augusti secretum casu vidisse Ovidium: quod non placet, quia toties objiciendo scelus, immitiorem reddidisset Cæsarem, quem lenire et placare studebat. Alii vero, quod Augusti filiam sub falso Corinnæ nomine amaverit, quæ, ut Plinius et Tranquillus scribunt, flagravit adulteriorum infamia, et damnata est. Qua de re sic Sidonius poeta:

Et te carmina per libidinosa
Notum, Naso tener, Tomosque missum,
Quondam Cæsareæ nimis puellæ
Falso nomine subditum Corinnæ.

Quod non videtur: quia, si ita esset, graviter et scienter in Augusti majestatem deliquisset Ovidius, non, ut ubique ipse scribit, per errorem, et inscienter. Præterea, quam ficto nomine Corinnam appellavit, potitum se testatur, in Amoribus, libro primo, Eleg. v. dicens:

Singula quid referam? nil non laudabile vidi,
  Et nudam pressi corpus ad usque meum.

Cetera quis nescit? lassi requievimus ambo.
 Proveniant medii sic mihi sæpe dies!

Quare, si ea vel filia, vel neptis, vel ancilla Cæsaris, vel quæcunque alia fuerit sic illi cara, ut propterea Ovidium relegaverit; non error, sed scelus fuisset; non inscius vidisset crimen, sed sciens fecisset. Adde, quod in eum errorem incidit jam senex: Corinnam vero juvenis amavit. Sic enim de se ipso iv. Trist. Eleg. x:

Carmina cum populo primum juvenilia feci,
 Barba resecta mihi bisve, semelve fuit.
Moverat ingenium totam cantata per urbem
 Nomine non vero dicta Corinna mihi.

Nec puto hic eam, quasi gaudens, nominasset, si ejus miseriæ et exsilii causa fuisset. Credendum certe est, aliquid ab Ovidio per errorem visum, cognitumque, ut propterea ab offenso Augusto sub Artis amatoriæ culpa Tomos relegatus sit: sed quidnam illud fuerit, cum sciri ipse noluerit, nequidquam quærimus; præsertim cum, ne quæratur, sic ipse jubeat:

Ecquid præterea peccarim, quærere noli,
 Ut pateat sola culpa sub arte mea.

Exsulans autem in locis asperrimis, et perinhumanis, sæpe ut saltem in mitiorem locum relegaretur, petiit: quamquam vel veniam impetraturum se ab Imperatore sperabat. Quapropter, eo mortuo, de Ponto iv. Eleg. vi. sic dolet:

Cœperat Augustus deceptæ ignoscere culpæ:
 Spem nostram terras deseruitque simul.
Quale tamen potui de cœlite, Brute, recenti
 Vestra procul positus carmen in ora dedi.

Quæ prosit pietas utinam mihi, sitque malorum
 Jam modus, et sacræ mitior ira domus!

Et in eodem, Epist. ix. numen Augusti rogat, ut sibi ignoscatur, præsertim cum de illo novo Deo facto libellum scripserit. Ait enim:

Tu certe scis hæc, superis adscite, videsque,
 Cæsar, ut est oculis subdita terra tuis.
Tu nostras audis inter convexa locatus
 Sidera sollicito quas damus ore preces.
Pervenient illuc et carmina forsitan illa
 Quæ de te scripsi cœlite facta novo.
Auguror his igitur flecti tua numina: nec tu
 Immerito nomen mite parentis habes.

Scripsit ante exsilium Heroidum Epistolas plurimas; de Amoribus ad Corinnam libros v. quos postea diligentius recognitos in tres redegit, quod sic ipse in i. eorundem:

Qui modo Nasonis fueramus quinque libelli,
 Tres sumus: hoc illi prætulit auctor opus.

De Arte Amandi libros tres; de Remedio Amoris libros duo; Transmutationum libros quindecim: quos, quia non emendaverat, tum iratus, ut ipse ait, studio carminibusque suis, cum Tomos relegaretur, sua manu combussit, cum aliis quibusdam placituris. Sed quia exscripti fuerant ante plurimis exemplis, omnino aboleri non potuerunt. Unde sic, in Trist. iii. Eleg. xiv:

Sunt quoque mutatæ ter quinque volumina formæ,
 Carmina de domini funere rapta sui.
Illud opus potuit, si non prius ipse perissem,
 Certius a summa nomen habere manu.
Nunc incorrectum populi pervenit in ora,
 In populi quidquam si tamen ore meum est.

Scripsit et Medeam tragœdiam, de qua maxime et a Quinctiliano, et a Cornelio Tacito laudatus est. Ait enim Fabius: "Ovidii Medea ostendit, quantum vir ille præstare potuerit, si ingenio suo temperare, quam indulgere maluisset." Summo etiam eum fuisse judicio ostendit Seneca in ii. Declamationum, sic inquiens: "Rogatus aliquando ab amicis suis, ut tolleret tres versus, petivit invicem, ut tres exciperet, in quos illis nihil liceret. Conscripserant illi, quos tolli vellent, secreto; hic, quos tutos esse vellet. In utrisque codicillis iidem versus erant. Ex quibus primum fuisse narrabat Albinovanus Pedo, qui inter arbitros fuit:

Semibovemque virum, semivirumque bovem.

Secundum:

Egelidum Borean, egelidumque Notum.

Ex quo apparet, summi ingenii viro non judicium defuisse ad compescendam licentiam carminum suorum, sed animum. Aiebat enim decentiorem esse faciem, in qua aliquis nævus inesset."

De Medea tragœdia ipse sic meminit secundo de Tristibus:

Et dedimus tragicis scriptum regale cothurnis:
Quæque gravis debet verba cothurnus habet.

Composuit et librum in malos poëtas, qui non exstat; item in exsilio Epistolam consolatoriam ad Liviam Augusti de Morte Drusi; de Tristibus etiam libros quinque; de Ponto libros quatuor; in Ibin; Fastorum libros xii. ex quibus sex tantum ad nostra tempora pervenerunt: de quibus sic ipse ii. de Trist.

Sex ego Fastorum scripsi totidemque libellos,
Cumque suo finem mense libellus habet.

Scripsit et Triumphum Cæsaris, de quo iii. de Ponto, Eleg. iv. sic meminit:

Utque suo faveas mandat, Rufine, triumpho:
In vestras venit si tamen ille manus.
Est opus exiguum, vestrisque paratibus impar:
Quale tamen cunque est, ut tueare rogo.

Et lingua Getica libellum de Laudibus Cæsaris, quem etiam recitavit. Cujus meminit iv. de Ponto ad Carum, Eleg. xiii. sic scribens:

Ah pudet! et scripsi Getico sermone libellum:
Structaque sunt nostris barbara verba modis:
Et placui, (gratare mihi,) cœpique poëtæ
Inter inhumanos nomen habere Getas.
Materiam quæris? laudes de Cæsare dixi:
Adjuta est novitas numine nostra Dei, etc.

De Piscibus opus non perfecit: de quibus postea Oppianus, Ovidium imitatus, Græce scripsit ad Antoninum imperatorem. Exstant præterea multa opuscula sub hujus poëtæ nomine, ut de Nuce et Medicamine Faciei ac Aurium, de Pulice, de Somno, de Cuculo, de Aurora, de Philomela, de Limace, de Vetula, de quatuor Humoribus, de Ludo Latrunculorum: quæ omnia, præterquam de Nuce et de Medicamine Faciei, quæ fortasse puer composuit, ridicula sunt, nec digna, ut divino Nasonis ingenio, non juvenis modo, virive, sed ne pueri quidem, adtribuantur.

Desperans tandem ad urbem reditum impetrare a Cæsare, sic ad uxorem, lib. iii. de Trist. Eleg. iii. scripsit:

Ossa tamen facito parva referantur in urna:
  Sic ego non etiam mortuus exsul ero.
Non vetat hoc quisquam: fratrem Thebana peremtum
  Supposuit tumulo rege vetante soror.
Atque ea cum foliis, et amomi pulvere misce,
  Atque suburbano condita crede solo;
Quosque legat versus oculo properante viator,
  Grandibus in tumuli marmore cæde notis:
HIC EGO QUI JACEO TENERORUM LUSOR AMORUM,
  INGENIO PERII NASO POETA MEO.
At tibi qui transis, non sit grave, quisquis amasti,
  Dicere: Nasonis molliter ossa cubent!

Missus autem fuit in exsilium anno imperii Augusti secundo et quinquagesimo, vel circiter: quinto autem Tiberii Tomis apud Getas diem obiit. Ex quo colligitur, exsulasse annos octo, et menses aliquot. Sepultum etiam juxta oppidum Tomos tradit Eusebius.

P. OVIDII NASONIS

HEROIDES.

EPISTOLA PRIMA.

PENELOPE ULIXI.

HANC tua Penelope lento tibi mittit, Ulixe.
Nil mihi rescribas ut tamen, ipse veni.

P. Ovidii Nasonis.] *Q. Ovidius* apud Martialem occurrit, lib. ix. Ep. 53, 54. quo ille familiariter, quantum apparet, est usus. Ejusdem, ni fallor, et libro primo meminit Epig. cvi. et lib. ix. Epig. c. Is ipse nimirum, qui Cæsonium Maximum a Nerone damnatum in exsilio est comitatus, quemque idem Martialis elegantissimis versibus libro vii. Epig. 43, 44. ut præclarum fidei unicæ exemplum, merito commendat. In Opere Inscriptionum Gruteri pag. 881. vetustus lapis.

Messia. C. F. Monum. Fecit. sibi. et. suis. C. Ovidio. T. F. Tumulo. et. C. Ovidio. T. F. Luperco. et. T. Ovidio. C. F. Tumulo.

Heroides.] In Codice suo hæc verba annotarat magnus Scaliger, *Quæ Epistolæ non sunt Ovidii.* Eas autem hoc ordine collocarat, Paris Helenæ, Helena Paridi, Leander Heroni, Hero Leandro, Acontius Cydippæ, Cydippe Acontio. Ex Ovidianis Heroidibus periere, Helena Paridi, Phædra Theseo. Quindecim Ovidianæ. Bene igitur Ovidianas has quindecim existimavit, Penelopes ad Ulyssem, Phyllidos ad Demophoontem, Briseidos ad Achillem, Phædræ ad Hippolytum, Œnones ad Paridem, Hypsipyles ad Jasonem, Didonis ad Æneam, Hermiones ad Orestem, Deianiræ ad Herculem, Ariadnes ad Theseum, Canaces ad Macareum, Medeæ ad Jasonem, Laodamiæ ad Protesilaum, Hypermnestræ ad Linum, Sapphonis ad Phaonem. Cum quibus, (si, quam Paris ad Helenam, Helena ad Paridem scripsit, excipias,) cæteræ ne conferri quidem merentur. Paridis, ut Ovidii non est, ita proxime ad Ovidii accedit suavitatem. Longius recedit Helenes: quæ divina tamen. Nam Sabino quæ adscribuntur, ita languent, ut ne hac ætate quidem scriptas ferre possem. In quibus et obscuritas, et manifestus in scribendo defectus, sive, ut Græci significantius loquuntur, ἐν τῇ ἑρμηνείᾳ ἀσθένεια elucet. Idem Scaliger Sabino Paridis ad Helenam, Helenæ ad Paridem, Leandri ad Heronem, Herus ad Leandrum, Acontii ad Cydippen, Cydippes ad Acontium, adscribit. E quibus ego, ut nonnullas adscribere Sabino vix dubitem, ita omnes eas esse ejusdem, in tanta genii varietate ac characteris, quis credat? Quod duas periisse Scaliger existimat, Helenæ ad Paridem, Phædræ ad Theseum, videndum, an non error sit ex loco Ovidii,

Troja jacet certe, Danaïs invisa puellis.
Vix Priamus tanti, totaque Troja, fuit.
O utinam tunc, cum Lacedæmona classe petebat,
Obrutus insanis esset adulter aquis!
Non ego deserto jacuissem frigida lecto,
Nec quererer tardos ire relicta dies:
Nec mihi, quærenti spatiosam fallere noctem,
Lassaret viduas pendula tela manus:

ubi de Epistolis suis agit, minus recte intellecto; qui Amorum libro ii. Elegia 19. exstat:

Quod Paris et Macareus, et quod male gratus Jason, Hippolytique parens, Hippolytusque legat.

Certe *quod Paris legat*, est Epistola ad Paridem scripta: quæ nunc exstat, nempe Œnones ad Paridem. Parens Hippolyti est Theseus, ad quam Ariadne scribit, quæ nunc Ariadnes ad Theseum dicitur. Quod *Hippolytus legat*, est, quam ad Hippolytum Phædra scripsit, quod nemo nescit. DAN. HEINSIUS.

1. *Hanc.*] Semel modo Ovidium hoc pronomine, subintellecta *Epistola*, usum; Ciceronem quoque semel usurpasse, observat diligentissimus Vavassor de Vi et usu quorumdam verborum, p. 86. Infra quoque Epist. x. ver. 3. quidam codices exhibent, *Quam legis*, quæ si vera sit lectio, addi huic observationi poterit. Vid. et Epist. xvi. 1. BURMANNUS.

Penelope.] Hæc Amyre, vel Arnæa primum, dein Penelope dicta, ab ejusdem nominis avibus, quæ expositam a parentibus educaverunt, ut Pindari scribit interpres. PARRH.

Lento.] Id est, non tantum qui tardas redire ad me, sed qui non commoveris desiderio uxoris, neque ejus cura tangeris, ut ita sæpe Noster. Vid. Turneb. 1. Adv. 15. et Heins. ad Epist. xv. 169. et xix. 81. et alibi. BURM.

Ulixe et nos hic, et ubique recepimus, ob codicum fere omnium auctoritatem. Regius tamen ad Quintil. i. iv. *Ulysses* præfert, quia ex Dialecto Æolica ab Οὐδυσσεὺς deducitur. Vocativum vero in his nominibus ita extulisse veteres docent membranæ emendatiores. BURM.

Retinuimus scripturam a Gronovio prolatam. Scribo quidem tibi lento et immemori, non ideo tamen, ut rescribas mihi, redi enim ipse potius. BURM.

Troja jacet.] Indicat facile fore quod proposuit. potes redire, nam Troja jacet, diruta est. Dicta est Troja a Troë rege, Erichthonii et Callirrhoës Scamandri filio. antea *Teucria* a Teucro; et Dardania a Dardano dicebatur.

Hujus verbi antitheton Manet.

——— ——— *Troja maneret,*
Præceptis Priami si foret usa senis.
CIOFANUS.

4. *Vix Priamus tanti.*] Ut tamdiu absis nimirum. Frustra igitur se exercent hoc in loco viri eruditi. Fuit cum et ego versum unum alterumque excidisse suspicarer. sed nullus excidit. HEINS.

5. *Lacedæmona.*] Lacedæmon Peloponnesi urbs, Menelaï regia, nuncupata a Lacedæmone Jovis filio ex Taygete, Atlantis et Pleiones. ANT.

7. *Non ego.*] Mire exprimit mulieris, quæ legitime amat virum suum, ingenium. quod dicendum fuit, ne quis Penelopen impudicam a Poëta effictam putet. CIOFANUS.

9. *Spatiosam fallere noctem.*] Oxoniensis et Lincolniensis *spatiosas noctes,*

Quando ego non timui graviora pericula veris?
  Res est solliciti plena timoris amor.
In te fingebam violentos Troas ituros:
  Nomine in Hectoreo pallida semper eram.
Sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum;
  Antilochus nostri caussa timoris erat:
Sive Menœtiaden falsis cecidisse sub armis;
  Flebam successu posse carere dolos.
Sanguine Tlepolemus Lyciam tepefecerat hastam;
  Tlepolemi leto cura novata mea est.
Denique, quisquis erat castris jugulatus Achivis,
  Frigidius glacie pectus amantis erat.
Sed bene consuluit casto Deus æquus amori.
  Versa est in cinerem sospite Troja viro.

quod mihi præferendum videtur, quia præcesserunt *tardi dies*. neque nescio, poëtis sæpe singularem numerum probari, ut mox Heinsius pluribus ostendet. Sed hic pluralem recipiendum censeo, quia de longa absentia queritur. Horat. iii. Od. 7.

——*Ille notis actus ad Oricum,*
Post insana Capræ sidera, frigidas
Noctes, non sine multis
Insomnis lacrimis, agit.

Et lib. i. Od. 25.

Me tuo longas pereunte noctes.

Ubi nollem contra codices reponi *longam noctem*. Propertius I. Eleg. xii. 13.

Nunc primum longas solus cognoscere noctes Cogor.

Noster Epist. xvii. 181.

Et longæ noctes, et jam sermone coïmus.

Longæ vero et *spatiosæ* noctes idem notant. Finis deesset, si omnia veterum loca constipare vellemus. ut vero hic *frigida jacuissem*, ita et *frigidas noctes*, dixit Horatius, lib. iii. Od. 7. Burm.

Fallere noctem.] Eodem modo in Epist. ad Leandrum dicet *decipere noctem:*

Sic ubi deceptæ pars est mihi maxima noctis
Acta, subit furtim lumina fessa sopor.

Ciofan.

15. *Sive quis Antilochum.*] Vossius Artis Grammaticæ lib. ii. cap. 24 ita locum tuetur adversus Politianum, ut victum ab Hectore Antilochum liquere contendat ex ipso Homero, Iliad. N. 177. Certe est aliud vinci, aliud occidi. Heinsius.

17. *Menœtiaden.*] Patroclum Menœtii filium. Homerus lib. xvi. Iliad. et Hyginus cap. 106. Ciofan.

19. *Sanguine Tlepolemus.*] Phyleus Thesprotiorum rex filiam habuit Astyochen, ex qua Hercules filium Tlepolemum genuit. is cum in domo paterna Lycimnium patris germanum trucidasset, veritus ultionem, fugit, et Rhodi in partem regni receptus est, unde navibus novem in obsidionem Trojanam venit. hunc Sarpedon Lyciorum rex interemit. Ant.

Lycium.] Propter Sarpedonem Lyciæ regem, qui Tlepolemum inter-

Argolici rediere duces: altaria fumant:
Ponitur ad patrios barbara præda Deos.
Grata ferunt Nymphæ pro salvis dona maritis:
Illi victa suis Troïa fata canunt.
Mirantur justique senes, trepidæque puellæ:
Narrantis conjux pendet ab ore viri.
Atque aliquis posita monstrat fera prœlia mensa.
Pingit et exiguo Pergama tota mero.

fecit, a Patroclo ipse postea interfectus, cujus cadaver in Lyciam delatum ibidem scribit Homer. Ciofan.

25. *Altaria fumant.*] Disposita nempe ubique ob felicem victorum reditum. De quo more Casaubon. ad Suet. Calig. cap. xiii. Bernec. ad Justin. xxiv. 3. De donariis vero ex præda Diis oblatis Noster sæpe alibi, ut ii. Fastor. 728. vii. Met. 159. v. Tomasin. de Donar. cap. xxi, xxii. Burm.

26. *Barbara.*] Malebat *Dardana* Francius, sed quis nescit *Barbaros* in primis Phryges dictos?

27. *Grata ferunt Nymphæ.*] Νύμφαι, *nuptæ*. Græcissat hic Ovidius. Vide Festum in *Nupta*. Parum tamen abest, quin a Nasone exaratum opiner *nuptæ*. Nam alterum paulo insolentius. Heins.

28. *Troïa fata canunt.*] Codex Argentinensis satis antiquus cum uno Mediceo, (et Francofurtensi,) *Troïa fata*, magis poëtice. Certe Virgilius sic passim, apud quem *Troïca*, aut *Troicus* nusquam invenias. Etsi diversus ab eo Statius plerumque, et in Tragœdiis Seneca.

Heinsius. Jul. Cæs. Scaliger in Hypercritico page 785. hæc Ovidii verba ad censuram, rigidam certe et superciliosam, exegit, et non victa Troïa fata, sed vicisse fatum Trojanorum contendit; vicit enim Trojanorum vota, quia in fatis erat Trojam capi. quæ ego vix capio. Neque puto virum maximum pervidisse sensum nostri Poëtæ, qui ex superstitiosa veterum credulitate debet illustrari. Cum enim nullam gentem, nullam urbem, immo nullum omnino crederent hominem existere, qui non ab ipsis natalibus sua scripta fata haberet, eaque esse immutabilia statuerent veterum σοφοὶ, quædam simul esse majora, quædam minora fata, credebant, hæc posse vinci ab illis, et ideo non tam stabilia et immota, unde innumeris apud Poetas locis lux accommodatur. Lucan. vi. lib. 605.

Plura de magnis et ingentibus Fatis vir supra plebem eruditus Bentleius ad Horat. II. Ep. i. 6. Burm.

31. *Atque aliquis posita monstrat fera prœlia mensa. Pingit et exiguo Pergama tota mero.*] Solebant Græci et Romani post cœnam crateras vini in mensam afferre, et multo habito sermone ad multam noctem somnum producere. Ex eo vino aliquid in mensa fundebant. Quem morem hic tangit Penelope, additque ab illis, qui in bello Trojano affuerunt, uxoribus suis ceterisque domesticis illo vino, quod super mensam vertebant, loca, in quibus cum Trojanis prœlium fuerat commissum, ostendi, et universum Ilium, fluvium, aliasque illius urbis partes depingi. Eum etiam, quem supra exposui, morem indicat hic Noster hisce aliis locis:

Quod deducta mero littera fecit amo.

Et, *Verba leges digitis, verba notata mero.*

Hac ibat Simoïs, hic est Sigeïa tellus,
  Hic steterat Priami regia celsa senis.
Illic Æacides, illic tendebat Ulixes:
  Hic lacer admissos terruit Hector equos.

Et, *Non oculi tacuere tui, conscriptaque vino*
Mensa, nec in digitis littera nulla fuit.
Et, *Blanditiasque leves tenui præscribere vino,*
Ut dominam in mensa se legat illa tuam.
Tibullus elegia ult. lib. 1.
Ut mihi potanti possit sua dicere facta
Miles, et in mensa pingere castra mero. Ciofan.

31. *Atque.*] Codices quidam et Editio Micylli et aliorum *Jamque.* Male; Epist. ii. 83.

Atque aliquis doctus jam nunc eat, inquit, Athenas. Heinsius. Potest tamen retineri *jamque.* Dum tu abes, jam alii reduces narrant res ad Trojam gestas.

Frustra quidam codices, *Illuc Æacides, illuc tendebat Ulixes.* Ignorabat scilicet librarius ille, *tendere* pro tentoria ponere sumi; ille vero pro ire, proficisci cepit. Sed hoc jam pueris notum. Burm.

34. *Senis Priami.*] Hoc epitheton passim fere ab auctoribus datur Priamo. Ennius, citat Priscianus lib. iii.
Cur veter occubuit Priamus sub marte Pelasgo?
M. Tullius pro Sexto Roscio Amerino cum vellet ostendere, Antistium summa esse senectute hominem, vocavit eum *Priamum.* Ejus verba sunt: *Postremo Priamum ipsum, senem Antistium: quem non modo ætas, sed etiam leges pugnare prohibebant.* Alia exempla lib. xiii. in meis in Metamorph. observationibus. Ciofan.

36. *Admissos.*] Quis non videt *admissos* equos Hectoris laceri legendum? cum ea vox *celerem* Ovidio, Valerio et reliquis significet, magno eorum errore, qui *amissos* legunt. Ovidius certe ipse in Fastis.
Et celer admissis labitur annus equis.
Et item:
Hanc quondam Cytherea diem properantius ire
Jussit, et admissos præcipitavit equos.
Et in Epistola sequenti:
Et sacer admissas exigit Hebrus aquas.

Lacerum autem Hectorem terruisse equos accipio, non quando equos impulit, et in prælium exhortatus est, cujus rei mentio fit Iliados octavo: aut etiam, quod aliis placet, quando equi Achillis interfecto Patroclo attoniti stetere; neque aurigæ sui vocem audientes, neque viæ memores, de qua re Iliados xvii. dicitur: sed posteaquam ab Achille jam occisus fuit. Ibi enim singuli, qui tum aderant, jacenti vulnera inflixerunt, quemadmodum Homerus autor est Iliad XXII. ver. 371. ubi ait, οὐδ' ἄρα οἱ τις ἀνουτητί γε παρέστη. A quo et *lacerum* hic poëta vocat. Et mox Achilles de curru, pedibus loro trajectis, suspensum circa muros patriæ traxit, saucium ac sanguinolentum adeo, ut aspectu suo non immerito equos terrere potuerit, aut etiam visus fuerit terrere. Nam reipsa terruisse, nisi ex Tragico aliquo acceperit poëta, apud Homerum certe non legitur. Atque hanc expositionem comprobat locus ejusdem poëtæ ad Liviam, ubi iisdem ferme verbis inquit:
Hoc fuit Andromache, cum vir religatus ad axes
Terruit admissos sanguinolentus equos, &c.

Omnia namque tuo senior, te quærere misso,
Retulerat nato Nestor: at ille mihi.
Retulit et ferro Rhesumque Dolonaque cæsos,
Utque sit hic somno proditus, ille dolo.
Ausus es, o nimium nimiumque oblite tuorum,
Thracia nocturno tangere castra dolo;
Totque simul mactare viros, adjutus ab uno.
At bene cautus eras, et memor ante mei.
Usque metu micuere sinus; dum victor amicum
Dictus es Ismariis isse per agmen equis.

37. *Namque.*] Hæc vocula offendit Scaligerum patrem, in Hypercritico d.l. sed immerito. Mirari enim poterat Ulixes, unde hæc omnia uxor sciret, quæ domi sedens lanæ operam dabat, et quæ non captabat rumores; quare ex decoro Poëta auctorem addit, unde rescierit. Ex Telemacho nempe, qui apud Nestorem hæc cognorat. Vid. Castalion. var. lect. p. 60. Miscel. Italic. BURM.

Te quærere misso.] Elegans græcismus: ita Statius 1. Achil. 209.

——*duros laxantem Ægæona nexus*
Missa sequi.

39. *Dolonaque.*] Hector promissis Achillis equis, Dolonem Eumedis filium misit in castra Græcorum scrutaturum: illum Diomedes et Ulysses, qui de Trojanis exploraturi mittebantur, intercipiunt: promissa impunitate, Trojanorum consilia intelligunt. Deinde interempto Dolone, Thracum castra invadunt.

Rhesumque.] Rhesus rex Thraciæ, Trojanis opem ferens, prima nocte ex longo itinere fatigatus in ipsis tentoriis ab Ulixe et Diomede una cum omni exercitu est interfectus. Homerus K. Iliad.

45. *Usque metu micuere sinus.*] Male libri plurimi: *tremuere*, aut *timuere*, aut *tumuere*, aut *metuere*, aut *riguere*. Epist. Œnones, *Attoniti micuere sinus.* l. iii. Art. Amat. fabula Procridis, 722.

Pulsantur trepidi corde micante sinus.

Fast. iii. 36.

Terreor admonitu, corque timore micat.

Et mox. 35.

Corda micant regis, totoque e corpore sanguis
Fugit.————

Lib. vi. 338.

——*furtimque accedere tentat,*
Et fert suspensos corde micante gradus.

Tibul. 1 Eleg. x.

————*nec tristia nossem*
Arma, nec audissem corde micante tubas.

Apulei. Metam. x. *cor trepidans et micans adsiduo pulsu.* Noster lib. vi. Met. 557. de Philomela. *radix micat ultima linguæ*, id est *tremit.* ut ipse explicat. nam et *tremere* et *salire* sequitur. vid. et lib. vi. Metam. 390. Plautus Aulularia, Act. iv. sc. iii.

Continuo meum cor cœpit artem facere ludicram,
Atque in pectus emicare.

Ubi digitorum micationem ludum notissimum respexit. HEINS.

Amicum.] Malebat Francius *Achivum.* perperam; et recte Parrhasius hoc verbum *amicum* ostendere deposuisse timorem, notat. quid enim ex amico timendum? BURM.

46. *Dictus es.*] *Diceris* Gottorph. et

Sed mihi quid prodest vestris disjecta lacertis
Ilios? et, murus quod fuit ante, solum:
Si maneo, qualis Troja durante manebam;
Virque mihi, demto fine carendus, abes?
Diruta sunt aliis, uni mihi Pergama restant;
Incola captivo quæ bove victor arat.
Jam seges est ubi Troja fuit, resecandaque falce
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.
Semisepulta virûm curvis feriuntur aratris
Ossa: ruinosas occulit herba domos.
Victor abes; nec scire mihi, quæ caussa morandi,
Aut in quo lateas ferreus orbe, licet.
Quisquis ad hæc vertit peregrinam litora puppim,
Ille mihi de te multa rogatus abit.

Francof. codices. mea sententia elegantius, dum Telemachus nempe narrat, te rediisse in castra amica. Burm.

Ismariis.] Thraciis: est Ismaros mons et urbs Thraciæ. Ant.

47. *Disjecta.*] Vid. ad Metam. xii. 108.

48. *Ilios.*] Ilion legendum censet Jos. Scaliger feminino genere, sicut *Granon*, et *regia Pleuron*, apud Silium. et *Dorica Ancon* apud Juvenal. Bersm. Sic apud Homerum Ἴλιος ἱερὴ non uno loco, et Ἴλιος αἰπεινὴ, et Ἴλιος ὀφρυόεσσα κατήριπεν, in Anthologia, *Troja superba ruit.* quomodo et *Ilium superbum* Virgilio. Horatio *non semel Ilios vexata*, et in Catalectis Pithœi:

Ilios en surgit rursum inclyta.

Noster lib. i. Artis, 363.

Tunc cum tristis erat defensa est Ilios armis.

Ita enim veterrimi codices. Metam. xiv. *postquam alta cremata est Ilios.* sic *Neriton* mons Ithacæ apud Græcos, quæ *Neritos* Virgilio est. *et Neritos ardua saxis.* Heins.

Murus quod fuit.] Hoc quoque acerbe nimis carpit Scaliger, quia murus nunquam fuit solum. Solum enim jam erat, quod arabatur, ubi antea locus muri erat. ut ii. fast. 280.

Hic ubi nunc urbs est, tunc locus urbis erat.

Vid. ad Petron. c. 89. Burm.

53. *Jam seges.*] *Et campos ubi Troja fuit.* Virg. 3. Æneïd. Et Lucan. 9. Catonem inducit visentem Trojæ locum. *magnaque Phœbæi quærit vestigia muri; exustæ nomen memorabile Trojæ, Jam silvæ steriles, et putres robore trunci*: et alibi: *tota teguntur Pergama dumetis, etiam periere ruinæ.* ἔρρηξε χαμᾶζε. Eurip. Bach.

54. *Sanguine.*] Vid. ad Petron. cap. 120.

55. *Feriuntur.*] Mallet *finduntur* Francius, non ego, *finditur* enim terra aratro, sed ossa semisepulta feriuntur et percutiuntur. Lucan. vii. 859.

Pluraque ruricolis feriuntur dentibus ossa.

58. *In quo orbe.*] In qua regione. et sic sæpe. Ciof.

59. *Puppim.*] Quomodo? prora enim ad littus appellitur, non puppis. Ve-

Quamque tibi reddat, si te modo viderit usquam,
  Traditur huic digitis charta notata meis.
Nos Pylon, antiqui Neleïa Nestoris arva,
  Misimus: incerta est fama remissa Pylo.
Misimus et Sparten. Sparte quoque nescia veri.
  Quas habitas terras, aut ubi lentus abes?
Utilius starent etiam nunc mœnia Phœbi.
  (Irascor votis heu levis ipsa meis!)
Scirem ubi pugnares; et tantum bella timerem;
  Et mea cum multis juncta querela foret.
Quid timeam ignoro: timeo tamen omnia demens:
  Et patet in curas area lata meas.
Quæcumque æquor habet, quæcumque pericula tellus,
  Tam longæ caussas suspicor esse moræ.
Hæc ego dum stulte meditor (quæ vestra libido est)
  Esse peregrino captus amore potes.

rum peregrini et hostes cito abnavigaturi, ut dicitur vi. Æneid. *Obvertunt pelago proras*, et ita puppis appellitur ad litus. ut paratæ sint naves, si necesse fuerit, ad fugam. PARRHASIUS. inf. Ep. xii. 23.

Jussus inexpertam Colchos advertere puppim.

63. *Nos Pylon.*] Pyli tres fuerunt urbes in Peloponneso: uua in Lepreatica regione, alia in ora Pisea ad Alpheum flumen, tertia in Messenia. ANT.

Neleia arva.] Appositio; in quibus Neleus regnavit, qui xii. filios suscepit, ex quibus tantum Nestor superstes mansit. Hom. XI. Iliad. CIOFANUS. Vid. Auson. Perioch. Odys. II, III.

Antiqui Nestoris.] Quod tria sæcula vixit: Unde ab Attio *trisæclisenex* dictus est. Vid. Observat. in lib. Fastorum. De Nestore sic Hyginus cap. 10. *Chloris in urbe Seti Amphionis filia, quæ ex septem superaverat. Hanc habuit in conjugem Neleus Hippocoontis filius. Ex qua procreavit liberos, masculos duodecim. Hercules cum Pylum expugnaret, Neleum interfecit, et filios ejus decem. Undecimus autem Periclymenes, beneficio Neptuni avi in Aquilæ effigiem commutatus, mortem effugit. Nam duodecimus Nestor in Ilio erat, qni tria sæcula vixisse dicitur Apollinis beneficio. Nam quos annos Chloris et fratrum Apollo eripuerat, Nestori concessit.* CIOFAN.

65. *Sparten.*] Lucianus in Charidemo, Ulixis filium ad Menelaum percontatum de patre venisse scribit.

68. *Irascor.*] Hunc versum parenthesi inclusimus; ut sequentia aptius cohærerent.

73. *Quæcumque pericula tellus.*] ἀναφορά. CIOFAN.

75. *Quæ vestra libido.*] Recte exponunt interpretes de libidine omnium maritorum, quos hic Penelope tangit. Vid. et Passer. ad Proper. lib. iii.

Forsitan et narres, quam sit tibi rustica conjux;
Quæ tantum lanas non sinat esse rudes.
Fallar; et hoc crimen tenues vanescat in auras:
Neve, revertendi liber, abesse velis.
Me pater Icarius viduo discedere lecto
Cogit, et immensas increpat usque moras.
Increpet usque licet: tua sum, tua dicar oportet
Penelope: conjux semper Ulixis ero.
Ille tamen pietate mea precibusque pudicis
Frangitur, et vires temperat ipse suas.
Dulichii Samiique, et, quos tulit alta Zacynthos,
Turba ruunt in me luxuriosa, proci:

Eleg. 19. in principio. Helena inf. Ep. xvii. 29. Paridi aliquid præcipue dat:

Quæ tua nequitia est, non his contenta fuisset.

Elegantem vero usum pronominis *qui* in hac locutione jam Hubertinus notavit. Noster lib. iii. Trist. v. 29.

Quæque tibi est linguæ fecundia, confer in illud.

V. Met. 373.

Quæ jam patientia nostra est;

1. Pont. vii. 59.

Quæque tua est pietas.

Et alibi. Vide et ad Quinctil. Decl. ix. 21. Burm.

80. *Revertendi liber.*] Elegantem hanc constructionem illustrarunt Nic. Heinsius ad Claudian. lib. i. de Laud. Stilich. 150. Vorstius ad Valer. Max. vi. cap. ii. 3. et ad Sulpic. Sever. lib. i. cap. 4. Burm.

81. *Viduo lecto.*] Eodem sensu supra *desertum* dixit, hoc modo infra Epist. Œnonis: *Nunc jacet in viduo credulus ille toro.* Et Seneca in Hippolito, qui Ovidii maximus fuit imitator:

——*Cur toro viduo jaces?* Ciof.

83. *Tua sim.*] *Tua sim* sex codices, quod efficacius, non enim vovet, sed asseverat Penelope se Ulixis esse, et ideo quoque dici Ulixis vult, neque alteri in conjugium concedere. Ita Epist. viii.

Sed tua sum, tecumque fui puerilibus annis,
Et tua quod superest temporis esse precor. Burm.

86. *Frangitur.*] Vide quæ de hoc verbo Heinsius et ego olim notavimus ad Petron. c. 75. et Heinsius quoque ad Claud. I. Epist. 50. sic corrige ex codice Mediceo Senecæ locum in Troad. 743.

———*Spiritus genitor facit,*
Sed nempe fractus.——

Vulgo *tractus* circumfertur. Auctor Octaviæ. 586.

———*Merita te divi patris,*
Ætasque frangat conjugis, probitas, pudor.

Callimach. Hym. in Delo. 107.

Οὐδὲ κατεκλάσθης τε καὶ οἴκτισας. Burm.

87. *Alta Zacynthos.*] Egregie Homeri versum ex Odyss. α. transtulit:

Δυλιχίῳ τε, Σάμῃ τε καὶ ὑλήεντι Ζακύνθῳ.

Ubi mirum quod ὑλήεντι masculino genere dixerit, quod jam Grammaticis ad illum locum notatum est: Ovidius autem, cum Virgilius aliique illud ver-

Inque tua regnant, nullis prohibentibus, aula.
Viscera nostra, tuæ dilaniantur opes.
Quid tibi Pisandrum, Polybumque, Medontaque di-
Eurymachique avidas, Antinoi quemanus, [rum,
Atque alios referam, quos omnes turpiter absens
Ipse tuo partis sanguine rebus alis?
Irus egens, pecorisque Melanthius actor edendi,
Ultimus accedunt in tua damna pudor.
Tres sumus imbelles numero, sine viribus uxor,
Laërtesque senex; Telemachusque puer.

bum *nemorosa* transferant, *alta* maluit. Ita et alio loco Virgil. lib. v. 588. Cretam *altam* dixit:

Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta,
Parietibus textum cæcis iter.

Heinsius. Bochartus tamen libro I. de Phœn. Colon. cap. 23. a montibus, quibus effertur, ita dici vult. Silius lib. i. 275.

Conditus excelso sacravit colle Zacynthos.

Ubi late eam describit, quam descriptionem illustrat Tristan. tom. ii. Comment. Histor. p. 415. Burm.

88. *Turba ruunt in me luxuriosa proci.*] Proprie et significantissime loquitur: *Turba* enim, ut ait Ulpianus lib. lvii. ad Edictum tit. viii. de vi raptorum, *de multis dicitur*, ita ut poëta indicet magnum fuisse procorum numerum, qui Penelopen ad sui amorem sollicitarent. Procorum numerum ponit Homerus lib. xvi. Odyss. unde hæc conversa sunt. Ulpiani verba sunt: *Turbam autem ex quo numero admittimus? si duo rixam commiserint, utique non accipiemus in turba id factum: quia duo turba non proprie dicentur. Enimvero si plures fuerunt, decem aut quindecim homines, turba dicetur. Quid ergo si tres, aut quatuor? turba utique non erit.* At quid Ovidius ipse lib. Metamorph. i. 355. nonne turbam de duobus, illo hemistichio, *nos duo turba sumus*, dixit? sed præclare. Ostendit enim Deucalionem, et Pyrrham tantum, ceteris aliis hominibus diluvio absumptis, ut turbam quandam superesse, præsertim τὸ *nos* addito, à quibus omne hominum genus esset reparandum. Ciofan.

95. *Pecorisque Melanthius auctor edendi.*] Omnino legendum est, *actor edendi*. Homero in Odyss. passim dicitur Μελάνθιος αἰπόλος αἰγῶν. Auctorem fuisse procis pecoris edendi Melanthium non recordor me legisse. Confirmatur nostra lectio a novem aut decem libris calamo exaratis. Ita i. Fast. 323.

Pars quia non veniant pecudes, sed agantur, ab actu
Nomen agonalem credit habere diem.

Et. v. 547. ex MS. *Tirynthius actor*. ii. Metam.

Hac agit, ut pastor, per devia rura capellas.

Vid. ii. Fast. 370. iii. 64. Heins.

97. *Tres sumus imbelles numero, sine viribus uxor, Laërtesque senex, Telemachusque puer.*) Hunc locum imitatus est idem Seneca in Troadibus:

——turba quæ sumus super,
Tumulus, puer, captiva. Ciofan.

98. *Laërtes.*] Pater tuus. Vulgo

Ille per insidias pene est mihi nuper ademtus;
Dum parat, invitis omnibus, ire Pylon.
Di precor hoc jubeant, ut euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.
Hoc faciunt custosque boum, longævaque nutrix:
Tertius, immundæ cura fidelis haræ.

enim ex Laërte genitus a poëtis dicitur, licet interdum Sisyphi filius appelletur: nam cum ejus mater Anticlea ad Laërtem sponsa deduceretur, fertur fuisse rapta à Sisypho latrone, et ex eo genuisse Ulyssem: quod ei ad contumeliam Aiax objicit lib. 13. Metam. *Huber*.

100. *Pylon.*] Telemachus postea duxit Polycastam Nestoris filiam. Hesiod. Fragm. pag. 330. Edit. Amst. ita forte ejus amore jam incensus eo ire paraverit. Burm.

101. *Euntibus ordine fatis.*] Quæ ordine procedunt, si majores natu prius e vivis tolluntur, quam natu minores. plena sunt hujus formulæ monumenta sepulcralia in antiquis inscriptionibus. Tacitus xvi. Annal. 2. *Servavitque ordinem Fortuna, ac senior prius, tum cui prima ætas exstinguuntur.* Priscilla ad Abascantium Maritum apud Statium lib. iv. Silv.

Linquo equidem thalamos, salvo tamen ordine, moestos,
Quod prior exegi longâ potiora senectâ
Tempora.——————

contra turbatum mortalitatis ordinem appellat Papinianus l. xv. ff. de Inoff. Testam. sic Urnæ Papiniani inscriptum.

Æmilio Paulo Papiniano Præfecto Prætorio Juris consulto, qui vixit annos xxxvii. Dies x. Menses. iii. Papinianus Hostilius, Eugenia Gracilia, turbato ordine, in senio heu Parentes fecerunt filio optimo. *Burm.*

103. *Hoc faciunt.*] In hac Epistola plurima pessime transposita esse, quidam olim Criticorum probarunt. Quod nos in quibusdam certum habemus. De hoc quidem loco nulli dubitamus. Nam quid hæc ad superiora? Non enim, nisi fallimur, hoc dicit, optare se ut custos boum, aut Ulyssis nutrix, oculos cum Telemacho sibi et marito claudat. Ego non dubito, locum integrum sic transponendum, qui ab aliis hic abeundum puto:

Tres sumus, imbelles numero: sine viribus uxor,
Laërtesque senex, Telemachusque puer.
Sed neque Laërtes, ut qui sit inutilis annis,
Hostibus in mediis regna tenere potest.
Nec mihi sunt vires, inimicos pellere tectis.
Tu potius venias, portus et ara tuis.
Telemacho veniet (vivat modo) fortior ætas,
Nunc erat auxiliis illa tuenda patris.
Hoc faciunt, custosque boum, longævaque nutrix:
Tertius immundæ cura fidelis haræ.

Hoc faciunt, inquit, illi, ut nempe, te absente, auxiliis suis, (quod tum erat) Telemachum tueantur. Lege præterea *portus et ara*, non *aura*, ut in aliis poëtæ hujus locis MSS. codices repræsentant. Dan. Heins. Hoc mecum precantur. nulla igitur transpositione versuum hic opus. de Philetio vaccarum custode, Euriclia Ulyssis nutrice, et subulco Eumæo copiose Homerus. Heins.

104. *Cura.*) Id est qui curam gerit.

Sed neque Laërtes, ut qui sit inutilis armis,
Hostibus in mediis regna tenere valet.
Telemacho veniet (vivat modo) fortior ætas:
Nunc erat auxiliis illa tuenda patris.
Nec mihi sunt vires inimicos pellere tectis.
Tu citius venias, portus et ara tuis.
Est tibi, sitque, precor, natus, qui mollibus annis
In patrias artes erudiendus erat.

vid. Casaub. et Salm. ad Trebel. Poll. Claud. cap. xiv. idem ad Ammian. Marcel. observavit Valesius. vide et Heins. ad Vell. Pater. ii. 99. Burm.

105. *Ut qui sit inutilis annis.*] *Armis* undecim codices, et placet. Amor. lib. ii. El vii.

Non tu natus equo, non fortibus utilis armis.

Fast. ii. 238.

Nam puer impubes et adhuc non utilis armis,
Unus de Fabiâ gente relictus erat.

lib. iii. 173.

Nunc primum studiis pacis, Deus utilis armis,
Advocor.————

lib. v. 81.

Viribus ille minor, nec habendis utilis armis.

Annis tamen est in lib. iv. Trist. viii. 21.

Miles ut emeritis non est satis utilis annis. Heins. τὸ *armis* firmat sequens mentio *hostium*, et *fortior ætas*, scilicet armis tractandis. præterea sequitur mox de Telemacho *mollibus annis*, et in loco Tristium addita vox *emeritis* necessario requirit τὸ *annis*. Burm.

107. *Telemacho veniet, vivat modò fortior ætas.*] Huc respexisse videtur Statius lib. iv. Thebaid.

——*veniet modò fortior ætas.*

Et ii. Silvarum:

——*veniet jam tristior ætas.* Ciofan.

110. *Et aura.*] In quibusdam libris *ara:* non displicit. Aram enim et portum pro tutis locis usurpari solere quis ignorat? Ciofan. *Portus et aura. tuis*, nostri constanter, nisi quod Argentinensis satis antiquus, *portus et avara.* mendose. Ciofanus è suis notat *portus et ara*, quod verum est. Quomodo etiam restituendum Pont. lib. ii. El. viii.

Vos eritis nostræ portus et ara fugæ.

Trist. lib. iv. El. 5. ad amicum:

Unica fortunis ara reperta meis.
Qui veritus non es portus aperire fideles
Fulmine percussæ confugiumque rati.

Cicero in Verrem de suppliciis: *Hic portus, hæc arx, hæc ara est sociorum.* eadem varietas in codicibus MSS. Virgilii ii. Æneïd. 699. ubi male quidam *aras* pro *auras* exhibent. Heins. posset tamen scriptorum codicum lectio defendi, ut maneat poëta in eadem Metaphora, a navigantibus desumta, qui *auras* prius faventes, deinde *portum* desiderant.

111. *Mollibus annis.*] In pueritia, aut adolescentia. Ciofanus.

112. *In patrias artes erudiendus erat.*] Extat in Aristotelis Œconomicis præceptum, quo ille docet, matrum esse filios alere; patrum verò erudire: scitè igitur *erudiendus*. Ciof. Auson. parentat. xiii.

Ingenio prior artes paternas imbibit. Heins.

Respice Laërten: ut jam sua lumina condas,
  Extremum fati sustinet ille diem.
Certe ego, quæ fueram, te discedente, puella,
  Protinus ut redeas, facta videbor anus.

EPISTOLA II.

PHYLLIS DEMOPHOONTI.

Hospita, Demophoon, tua te, Rhodopeïa Phyllis,
  Ultra promissum tempus abesse queror.
Cornua cum Lunæ pleno quater orbe coïssent,
  Litoribus nostris anchora pacta tua est.
Luna quater latuit; pleno quater orbe recrevit;
  Nec vehit Actæas Sithonis unda rates.
Tempora si numeres, bene quæ numeramus amantes,
  Non venit ante suum nostra querela diem.

Rarior vero locutio *erudiri in artes*, quam et Statio ex MSS. reddit Barth. lib. x. Theb. 501.

Et quæ te in leges præceptaque fortia belli,
Erudiit genetrix. Burm.

113. *Ut jam sua lumina condas.*] Morem hunc claudendi oculos propinquis ostendit et Euripides in Hecuba de Polydoro:

Ζῇ, καὶ θανούσης ὄμμα συγκλείσει τὸ σόν.
Vivit, et morienti oculos claudet tibi. Ciofan.

115. *Discedente.*] In bellum Trojanum proficiscente. Ciofanus.

116. *Facta videbor anus.*] Verus muliebris ingenii affectus. Ciofan.

1. *Demophoon.*] De Demophoonte et Phyllide sic Hyginus cap. lix. *Demophoon Thesei filius in Thracia ad Phyllidem in hospitium dicitur venisse, et ab ea esse amatus. Qui cùm in patriam vellet redire, fidem ei dedit se ad eam rediturum, qui die constituta cum non venisset, illa eo die dicitur novies ad littus cucurrisse, quod ex ea Enneados Græce appellatur. Phyllis autem ob desiderium Demophoontis spiritum emisit. cui parentes cum sepulchrum constituissent, arbores ibi natæ sunt, quæ certo tempore Phyllidis mortem deflent, quo folia arescunt et diffluunt: cujus ex nomine folia Græce Phylla sunt appellata.* Ciofanus.

6. *Sithonis unda.*] Mare, quod Thraciam alluit. *Sithonis* autem Patronymicorum more dictum. Carisius lib. i. et ego alibi plura exempla collegi. Ciof.

Spes quoque lenta fuit. tarde, quæ credita lædunt,
  Credimus: invita nunc et amante nocent.
Sæpe fui mendax pro te mihi; sæpe putavi
  Alba procellosos vela referre notos.
Thesea devovi, quia te dimittere nollet;
  Nec tenuit cursus forsitan ille tuos.
Interdum timui, ne, dum vada tendis ad Hebri,
  Mersa foret cana naufraga puppis aqua.
Sæpe deos supplex, pro te, scelerate, rogavi,
  Cum prece turicremis devenerata focis.
Sæpe videns ventos cœlo pelagoque faventes,
  Ipsa mihi dixi; Si valet ille, venit.
Denique fidus amor, quidquid properantibus obstat,
  Finxit; et ad caussas ingeniosa fui.
At tu lentus abes, nec te jurata reducunt
  Numina; nec nostro motus amore redis.
Demophoon, ventis et verba et vela dedisti:
  Vela queror reditu, verba carere fide.

9. *Spes quoque lenta.*] Intricatior sensus, qui jam sollicitum habuisse videtur Alexandrum Paninum, qui Cælium Calcagninum de hoc versu consuluit. Cælius vero lib. v. Epistol. pag. 64. *spem* hic capit pro timore, ut amor diu fucum fecerit Phyllidi, dum moram Demophoontis vario caussarum prætextu defendit. Id fecit, ut jam sero credat, quæ citra offensam credi non possunt, et quibus etiamnum amor repugnat. Hubertinus cum Cælio facit, sed Antonius Volscus exponit *spem lentam*, quæ longa exspectatione sine successu rerum consumitur; a qua interpretatione non longe abit Doctissimus Bentleius ad Horat. Art. Poët. 172. qui exponit, quæ longa mora extrahitur. Ego cum illis facerem, qui de metu et suspicione capiunt. Non statim te perfidum credidi, sed lente; nec cito inducere animum meum potui tantam in te esse perfidiam, quia tarde solemus credere ea, quæ lædunt, et nunc etiam, licet invita et mallem non credere, cogor credere te non rediturum, quod maxime mihi nocet et dolet. BURM.

12. *Alba.*] Recte, quia boni ominis fuissent, ut notum ex historia Ægei et Thesei. BURM.

Notos.] Sic lib. ii. Eleg. 6.
Vota procelloso per mare rapta Noto.
CIOF.

24. *Motus.*] *Captus* tres libri, sed nihil muto. *captus amore* fuit Demophoon, cum primum viderat Phyllida, nunc ut rediret *moveri* debebat. unus etiam Heinsii *venis*; solemni permutatione. BURM.

Dic mihi quid feci, nisi non sapienter amavi?
Crimine te potui demeruisse meo.
Unum in me scelus est, quod te, scelerate, recepi.
Sed scelus hoc meriti pondus et instar habet.
Jura, fides, ubi nunc, commissaque dextera dextræ?
Quique erat in falso plurimus ore Deus?
Promissus socios ubi nunc Hymenæus in annos,
Qui mihi conjugii sponsor et obses erat.
Per mare, quod totum ventis agitatur et undis;
Per quod sæpe ieras, per quod iturus eras;
Perque tuum mihi jurasti, (nisi fictus et ille est)
Concita qui ventis æquora mulcet, avum:
Per Venerem, nimiumque mihi facientia tela,
Altera tela arcus, altera tela faces:

28. *Crimine.*] Amoris simplicitatem per Ironiam crimen appellat. Huber.

31. *Commissaque dextera dextræ.*] Scite: est enim dextera fidei symbolum. Ciof.

37. *Perque tuum mihi jurasti, &c.*] Neptunum intellige. Hic enim Thesei pater creditus fuit. unde et Isocrat. in Encomio Helenæ, *καὶ πρῶτον μὲν Θησεὺς*, inquit, *ὁ λεγόμενος μὲν Αἰγέως, γενόμενος δὲ ἐκ Ποσειδῶνος*, &c. Et apud Euripidem in Hippolyto, ipse Theseus ita exclamat, *ὦ θεοὶ, Πόσειδον, ὡς ἄρ ἦθ' ἐμὸς πατὴρ ὀρθῶς ἀκούσας τῶν ἐμῶν κατευγμάτων.* Et rursum Hippolytus, *ὦ δῶρα πατρὸς σοῦ Ποσειδῶνος πικρά.* Micyll.

37. *Nisi fictus et ille est.*] *Falsus* plurimæ membranæ cum priscis editionibus. *Falli* aut *ludi* Di dicebantur à perjuris. Epist. xx.

Jurabis, scit te fallere posse Deos.

Fastor. v. 685.

Sive Deum prudens alium divamque fefellit.

iii. Amor. xi. 46.

Qui dent fallendos se tibi sæpe, Deos.

Sic *fallere Deos* dicuntur qui pejeraverunt. iii. Amor. iii. 15.

Dicite Di, si vos impune fefellerit ista.

Liv. xxx. 42. *Per quos Deos fœdus icturi essent, quum eos, per quos ante ictum esset, fefellissent?* falsus ergo Neptunus erat, quia perjurio eum fefellerat Demophoon: sic *falsus* pro eo, qui fallitur, Auson. Mosella. 184.

——Dum lubrica falsi
Membra petunt.

Diomedes libro primo Instit. Gram. *Fallor falsus, falsum facit, ut Virgil.*

—falsi implevit genitoris amorem:

Significat enim qui fallebatur Hein.

39. *Nimiumque mihi facientia tela.*] Otiosa certè et supervacua repetitio *τοῦ tela* possit videri. Scripti nonnulli *tella. bella* codex Franciscanorum Patavinus. Unde legebam *nimiumque mihi facientia belli.* Nunc vero recordatus Τὸ *facere* cum tertio casu frequenter ab Ovidio jungi, nil muto. *Facere alicui* pro *facere ad aliquem.* Fast. iv. 807.

Ipse locus casus vati facit. Urbis origo
Venit. ades sacris, magne Quirine, tuis.

Junonemque, toris quæ præsidet alma maritis,
Et per tædiferæ mystica sacra Deæ.
Si de tot læsis sua numina quisque Deorum
Vindicet: in pœnas non satis unus eris.
At laceras etiam puppes furiosa refeci:
Ut, qua desererer, firma carina foret.
Remigiumque dedi, quo me fugiturus abires.
Heu patior telis vulnera facta meis!
Credidimus blandis, quorum tibi copia, verbis:
Credidimus generi, nominibusque tuis:
Credidimus lacrimis. an et hæ simulare docentur?
Hæ quoque habent artes, quaque jubentur, eunt?
Dis quoque credidimus. quo jam tot pignora nobis?
Parte satis potui qualibet inde capi.
Nec moveor, quod te juvi portuque locoque.
Debuit hoc meriti summa fuisse mei.
Turpiter hospitium lecto cumulasse jugali
Pœnitet, et lateri conseruisse latus.
Quæ fuit ante illam, mallem suprema fuisset
Nox mihi; dum potui Phyllis honesta mori.
Speravi melius, quia me meruisse putavi.
Quæcumque ex merito spes venit, æqua venit.

Ita videtur restituendum, cum vulgati exhibeant,

Ipse locum vati casus facit.

Propert. lib. iii. eleg. i.

Non faciet capiti dura corona meo.

Trist. iii. xiv. 2.

Qui facis ingenio semper, Amice, meo.

42. *Tædiferæ Deæ.*] Cereris Eleusiniæ; quod præsentissimum numen Atheniensibus. sic et Εχάτα δαδόφορος Bacchylidi in fragmentis dicta. p. 264. Edit. Steph. Hein.

52. *Quaque jubentur.*] Nihil muto: Prudent. Apoth. 838.

Surda prius, jam docta sequi, quacumque jubentur.

Sic recte Codex optimus Bodlei: vulgo sine sensu *quodcunque.* Doctissimus Juvenis Slichtenhorstius *cumque jubentur.* de jussis lacrimis vide omninò locum Juvenalis Sat. vi. 274. Hein. vide ad Quintil. ii. 20.

61. *Quia te.*] Libri quatuor *quia me;* atque ita legendum esse, deque suis meritis hic loqui Phyllidem sequens versus liquido arguit. Hein. et hoc jam monuit ex codice suo Hubertinus. ita Trist. v. ii. 59. ex Mss.

Omniaque hæc timui, quia me meruisse videbam.

Francius ad oram codicis adscripserat, Casaubonum velle, *quia demeruisse pu-*

Fallere credentem non est operosa puellam
Gloria. simplicitas digna favore fuit.
Sum decepta tuis, et amans et femina, verbis,
Dî faciant, laudis summa sit ista tuæ:
Inter et Ægidas media statuaris in urbe:
Magnificus titulis stet pater ante suis.
Cum fuerit Scyron lectus, torvusque Procrustes,
Et Sinis, et tauri mixtaque forma viri;
Et domitæ bello Thebæ, fusique bimembres,
Et pulsata nigri regia cæca Dei:

tabam. sed elegantiam in repetitione illarum syllabarum *me meruisse* deprehendit Broukh. ad Tibul. i. 1. vid. et ad vi. Fast. 237. iv. Trist. x. 75. et alibi. BURM.

62. *Quacumque.*] Nihil temere mutandum; mallem tamen, ut est in quibusdam MSS. *emerito*; vel *cuicumque ex merito.* vid. ad Ep. iv. 26. et v. 7. BURM.

65. *Et femina.*] Ita Dido vii. 121.

Bellis peregrina et femina tentor.

67. *Media statuaris in urbe.*] *Urbs* vocata ab *orbe*, quod antiquæ civitates in orbe fiebant: vel ab *urbo*, parte aratri, quo muri designabantur. Unde est illud:

Optavitque locum regno et concludere sulco.

Locus enim futuræ civitatis sulco designabatur, id est, aratro. Cato, *qui urbem,* inquit, *novam condit, tauro et vacca aret; ubi araverit, murum faciat: ubi portam vult esse, aratrum sustollat, et portet, et portam vocet.* Ideo autem urbs aratro circumdatur, dispari sexu juvencorum, propter commistionem familiarum, et imaginem serentis, fructumque reddentis. Urbs autem aratro conditur: aratro vertitur. Unde Horatius:

Imprimeretque muris hostile aratrum.

Hæc Isidorus lib. xv. cap. 11. de ædificiis publicis. CIOF.

69. *Scyron.*] Filius fuit Canethi et Henioches Pytthei. locum in Megara habitavit, quem dixerunt petras Scyronides: viatores spoliatos præcipites agebat. Scyronem Theseus peremit, cum Athenas iret. *Procrustes.*] Is Corydalum Atticæ locum habitabat, viatores lectum conscendere cogebat, longiores amputabat, distrahebat breviores, donec cum lecto æquarentur: quem Theseus trucidavit, ut Diodorus auctor est. ANT.

70. *Sinis.*] Latro sævissimus in Isthmo Corinthiaco, alligatos arboribus homines discerpebat in frusta. *Forma mixtaque,* &c.] Minotaurum circumscribit, quem labyrintho clausum sustulit Theseus. Alii scribunt, Taurum Minois ducem, bello navali a Theseo superatum. *Idem.*

71. *Thebæ domitæ.*] Thebas Cadmus Phœnix condidit in Bœotia: Creontem Thebarum regem Theseus interemit, quoniam Argivis sepulturam negasset, ut scribit Papin. *Bimembres.*] Centauros. Centauri Junonis et Ixionis filii, in nuptiis Pirithoi, quæ gestæ sunt in monte Pelio, Hippodamiam Atracis filiam, Pirithoi uxorem, rapere voluerunt: orta pugna, alii trucidati, alii in fugam acti sunt. Rem gesserunt Theseus, Nestor, Peleus.

Et domitæ bello Thebæ.] De hac re extat fabula Euripidis, quæ inscribitur 'Ικετίδες. Et meminerunt Plutarchus et Isocrates quoque, ille in vita Thesei, hic in Encomio Helenes. MYC.

Hoc tua post illum titulo signetur imago:
Hic est, cujus amans hospita capta dolo est.
De tanta rerum turba, factisque parentis,
Sedit in ingenio Cressa relicta tuo.
Quod solum excusat, solum miraris in illo.
Heredem patriæ, perfide, fraudis agis.
Illa (nec invideo) fruitur meliore marito;
Inque capistratis tigribus alta sedet.
At mea despecti fugiunt connubia Thraces,
Quod ferar externum præposuisse meis.

72. *Pulsata Regia Ditis.*] Theseus ad inferos, ut Proserpinam raperet, descendit, Pirithoi amici gratia. Cerberus Pirithoum consumpsit, Theseum Hercules liberavit. *Dis*, est divitiarum et inferorum Deus, ut Strab. placet. *Idem.*

Nigri.] Mentelianus alter a manu prima *pulsata imi.* non male. v. ad Metam. x. 33. Heins. Nos *nigri* retinemus; librarius scilicet ille credebat primam in *nigri* producendam. et memini mihi quoque, qui primam in *nigri* corripueram, a nasuto quodam censore litem motam fuisse, quasi in legem Pediam commisissem. at aliter Horatius censebat 1. Od. 32. *Et Lycum nigris oculis nigroque crine decorum.* et iv. Od. 12. *Cui pecus et nigri colles Arcadiæ placent.* Prop. iv. vi. 83. *Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas.* *nigrum* autem Plutonem recte dici, non opus est ut multis adstruatur. Burm.

76. *Cressa relicta.*] Alii omnes *puella.* nos ex MSS. codicibus *Cressa relicta* emendavimus; in quo verbo et gravius πάθος esse videtur et acrior Phyllidis accusatio. Egnatius.

77. *Quod solum excusat, solum miraris.*] Sensus est: Quod ille, scilicet pater tuus Theseus, solum excusat, hoc est, in se culpabile ac reprehensibile agnoscit, (ea enim excusare solemus necessitate aut translatione, aut simili aliquo colore,) hoc tu solum miraris: id est, pro re egregia ducis, atque præclare factum existimas, eoque et imitatione dignum tibi putas. Mycillus. Multo rectius in aliis *solum miraris.* Ciofanus. Hæc vera lectio, etsi libri tam typis quam calamo descripti nonnumquam turbant. locus hic non satis intellectus, mire illustratur altero Ep. vi. 139.

Lemniadum facinus culpo, non miror; Iason,

Ubi τὸ *culpo*, opponitur illi *excuso*, hoc rei, illud actoris. Sensus est. tu Demophoon ea tantum laudas et imitaris in patre tuo, quæ ille, utpote peccata, excusat. *Mirari* pro imitari, ut apud Lucanum, ix. 807. Burm.

79. *Illa (nec invideo) fruitur meliore marito.*] Hunc locum expressisse videtur Seneca in Œdipo, ubi ita est de Baccho et Ariadna ipsa:

Naxos Ægæo redimita ponto
Tradidit thalamis virginem relictam
Meliore pensans damna marito.
Ciofan.

81. *At despecti Thraces.*] Respicit ad illud Virgil. iv. Æneid.

En quid ego? rursusne procos irrisa priores
Experiar, Nomadumque petam connubia supplex,
Quos ego sum toties jam dedignata maritos?

Atque aliquis; Doctas jam nunc eat, inquit, Athenas:
Armiferam Thracen, qui regat, alter erit.
Exitus acta probat. careat successibus opto,
Quisquis ab eventu facta notanda putat.
At si nostra tuo spumescant æquora remo,
Jam mihi, jam dicar consuluisse meis.
Sed neque consului: nec te mea regia tanget,
Fessave Bistonia membra lavabis aqua.

Et ibid.

——*Connubia nostra*
Reppulit, ac dominum Ænean in regna recepit.

85. *Exitus acta probat.*] Non recte cepisse hæc verba mihi videntur viri eruditi. priora verba, *exitus acta probant*, sunt Thracum, qui illudebant credulæ nimis Phyllidi, et exprobrabant ipsi facilitatem, qua se hospiti tradiderat, cum ex eventu nunc videat perfidiam Demophoontis. respondet illa, vovens successibus omnes carere, qui ita argumentarentur, et putarent ideo damnanda et notanda esse facta, quia male et præter opinionem evenirent. Barthius lib. xxv. advers. 5. *ab eventu* explicat ante eventum; quod forte ex glossis hausit, nam in quibusdam codicibus hic talis interpretatio reperitur, *ab eventu, a principio;* sed inaudita illa vocis *ab* significatio, neque Tibulli locus, quem depravatum adducit, hilum juvat. recte Heinsius *ab* hic post notare docuit. et ita sæpe Noster v. iii. Met. 273. et iv. 329. iv. ex Pont. v. 26. et ita ex MSS. legendum inf. Ep. v. 152. *et a nostro saucius igne fuit.* et x. 16. *a somno turbida.* ubi vide. melius potuisset Barthius præpositionis hujus significationem, quam ipsi adfingit, ex aliquot nostri Poetæ locis in libris Fastorum adstruere, ut i. Fast. 711.

Hæc erit a mensis fine secunda dies.

Et ii. 686.

Sextus ab extremo nomina mense dies.

Ubi certe dies ante finem mensis secundus et sextus debent intelligi, sed in illis diversa ratio; ubi enim licet numerare vel ab ipso die ad finem, et hinc erit dies sextus, vel secundus ante finem mensis, vel calculum ducere a fine mensis ad diem illum, qui tunc a fine erit secundus, ut ita *primum* et *ultimum* diverso respectu dicimus eumdem. sed hæc longius abeunt. *Notare* vero esse arguere, reprehendere, vix opus est ut probemus, cum Censores ita *notasse* passim constet Senatores. v. Gronov. ad Liv. xxvii. 25. sed eodem modo, ut hic *facta notare*, Noster locutus est, Ep. ix. 20. Si per librarios licet;

Si macula stupri facta priora notas.

Ut legendum esse ibi docebimus. *notare*, pro infamare Propertium usurpare docet elegantissimus Broukhusius ad lib. iii. eleg. v. 52. *arguere* dixit Symmachus lib. ii. Ep. 28. *Argue, ut vis, rerum consilia post exitum, et mihi vitio verte, quod contemptum sui Præfectura conquesta est. Facile accusatur desertus auxilio.* ubi plura ad rem. hoc ergo vult Phyllis, stultos esse, et dignos, quibus numquam res ulla bene eveniat, qui post eventum judicant, sed sapientes ipsam rem perpendere. ita Claudian. ii. in Eutrop. 488.

——*Nec jam revocabile damnum*
Eventu rerum stolido didicere magistro. Burm.

89. *Tangit.*] *Tanget* tres libri. quod arridet. Heins. *Tangit* editiones priscæ et scripti fere omnes. ut et inf. Ep. v. 81.

Illa meis oculis species abeuntis inhæret,
Cum premeret portus classis itura meos.
Ausus es amplecti, colloque infusus amantis
Oscula per longas jungere pressa moras:
Cumque tuis lacrimis lacrimas confundere nostras;
Quodque foret velis aura secunda, queri:
Et mihi discedens suprema dicere voce;
Phylli, face exspectes Demophoonta tuum.
Exspectem, qui me numquam visurus abisti?
Exspectem pelago vela negata meo?
Et tamen exspecto; redeas modo serus amanti:
Ut tua sit solo tempore lapsa fides.
Quid precor infelix? jam te tenet altera conjux
Forsitan, et, nobis qui male favit, amor.

Non ego miror opes, nec me tua regia tangit.
Sed hic sequor Heinsium. diffidit enim jam Puella et desperat de reditu. Burm.

90. *Fessaque Bistonia membra lavabis aqua.*] Sic quidem omnes legunt. et addunt Commentatores, negationem esse intelligendam, ut sit sensus, Nec lavabis membra aqua Bistonia. Ego vero legendum censeo, *Fessave Bistonia*, &c. per disjunctivam particulam, quo pacto nihil supplendum in expositione erit. Nam disjunctivæ negationibus subjectæ, etiam ipsæ negandi vim habent. Micyll. *Fessave* præstat, ut post negativam *nec* semper scribendum esse puto. v. Bentl. ad Horat. Ep. xvi. v. 6. et i. Sat. vi. 68. Burm.

Bistonia.] Bistonius lacus in Thracia est. Ant.

94. *Oscula.*] Moreti. *Jungere per longas basia pressa moras.* Sed a voce *basia* studiose abstinuit Ovidius, neque in omnibus ejus operibus vel semel occurrit, nisi nequitia librariorum, qui eam *osculis* sæpe ejectis substituerunt. Ut ii. Amor. v. 23.
Improba tum vero jungentes oscula vidi.
Et alibi. Burm.

103. *Altera conjunx.*] Videtur alludere ad Laodicen virginem, quam Plutarchus tradit clam cognitam Demophoonti, Munichum filium genuisse: alii Callionem fuisse scribunt. Volscus. Muliebre ἦθος est, absentes maritos suspicari alieno amore implicatos teneri. Sic supra Penelope quoque ad Ulyssem, *Hæc ego dum stulte meditor*, (inquit) *quæ vestra libido est, Esse peregrino captus amore potes.* Nam quæ hic Volscus de Laodice, et filio Demophoontis Municho ex illa nato refert, ea antequam in Thraciam et ad Phyllidem venisset Demophoon, acciderant. Quam fabulam prolixe tradit Parthenius in Eroticis. nisi quod is Acamantem nominat, fratrem Demophoontis, pro eo quem Plutarchus et alii Demophoontem vocant, a quo Laodice compressa Munichum pepererit. Micyllus.

Utque tibi excidimus, nullam, puto, Phyllida nosti.
Hei mihi! si, quæ sim Phyllis, et unde, rogas.
Quæ tibi, Demophoon, longis erroribus acto
Threïcios portus hospitiumque dedi.
Cujus opes auxere meæ: cui dives egenti
Munera multa dedi, multa datura fui.
Quæ tibi subjeci latissima regna Lycurgi,
Nomine femineo vix satis apta regi:
Qua patet umbrosum Rhodope glacialis ad Hæmum,
Et sacer admissas exigit Hebrus aquas.

105. *Utque tibi excidimus.*] Ita Senec. Med. 561. *Excidimus tibi.*

106. *Si quæ sim Phyllis, et unde roges.*] Vulgata contemtus et vilitatis formula, qua ignotos compellare consueverant, ut Virg. i. Æneid. 369.

Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris.

Ubi τὸ *tandem* inservit vehementiori animi commotioni. ita Flor. i. 18. de Tarentinis, *sine discrimine insultant, qui enim aut unde Romani?* quem locum ejecto glossemate egregie constituit Salmasius. Livius xxiii. 34. *Cum quæreret qui et unde, et quo tenderent cursum.* Emendandus quoque Valer. Flac. vii. 40.

Quis regum Pelias, quæ Thessalis, aut quæ
Græcia, quodnam hominum cerno genus.

Vulgo *quis Thessalus*, inepte legitur. ita passim rogabant obvii se olim *quis genus, unde domo?* sed de eo alibi. hic agitur de contumeliosa interrogatione, qua ignorare fingimus, quos maximi facere deceret. Cicer. vii. ad Fam. 16. *Oro te, quis tu es?* ita Terentius et alii passim. vid. et iv. ex Pont. iii. 10. *Roges*, etiam Vaticanus, *roget*, Moreti. Burm.

108. *Portus.*] *Pastus* Puteaneus a prima manu. quod minime placet. Valer. Flac. ii. 322. *Portum demus, ait.* Burm.

111. *Latissima.*] *Lætissima* erat in Puteaneo a manu prima. sed fertilem fuisse Thraciam negant scriptores, et nec *cælo latam, nec solo;* et infecundam, nisi qua mari propior, et frigidam esse dicit Mela lib. ii. 2. quare retineo vulgatam. *Latissima* vero regna proprie dici ostendimus ad Petron. cap. 82. unde vero Volscus hauserit, hunc Lycurgum fuisse patrem Hypsipiles, quem omnes Thoanta faciunt, fateor me ignorare. cum *regna Lycurgi* sit periphrasis Thraciæ. ut Virgil. ii. Æneid. 14.

Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo.

Hujus autem opportune hic mentio injicitur, ut beneficium suum eo magis commendet, quæ receperat portubus suis Demophoonta, unde sævus et inhospitalis Lycurgus solitus erat non modo arcere hospites, sed occidere. Vide quæ nos olim ad Petron. cap. 83. notavimus. Burm.

114. *Sacer.*] Bene: sive quod omnes fluvii sacri, et Deorum numero adscripti, sive propter Bacchi orgia. Vide Colum. ad Enn. sic et Stat. i. Sylv. vi. 80. *Nilus sacer* ob sacra Ægyptia, ubi vide Gevart. Avien. Descript. Orb. *Sacer Alpheus*, propter ludos

Cui mea virginitas avibus libata sinistris,
Castaque fallaci zona recincta manu.
Pronuba Tisiphone thalamis ululavit in illis,
Et cecinit mœstum devia carmen avis.
Adfuit Alecto, brevibus torquata colubris;
Suntque sepulcrali lumina mota face.

Olympiacos. *Sacer Eurotas* Virgilio ob Palæstricam: posset tamen legi *celer.* quia *admissæ aquæ* sequitur. sic a Senec. Theb. 607. vocatur *rapidus Hebrus.* et ita i. Amor. viii. 50.

Ut celer admissis labitur amnis equis. HEINSIUS.

Et sacer admissas.] Ita legendum potius arbitror quam *emissas*, propter verbum *exigit*, ut significet celeres aquas, quas Hebrus cursu suo exigat, et quasi propellat in mare. nam et Virgilius celerem Hebrum vocat, ubi inquit, *celeremque fuga prævertitur Hebrum.* BURM.

115. *Cui mea.*] Mallem hoc Distichon legere cum nota interrogationis, ut *cui* cum stomacho pronuntietur, id est quam infido et perjuro amatori virginitatem libandam dedi? Epistol. seq. 61. *Cui me violente relinquis?* BURM.

116. *Castaque fallaci zona recincta manu.*] Cingulum solutum. Hunc morem ostendit M. Varro. Novus maritus tacitus taxim uxoris solvebat cingulum, quem multo magis declarat Festus in verbo *Cingulo:* cujus hæc sunt verba: *Cingulo nova nupta præcingebatur, quod vir in lecto solvebat, factum ex lana ovis: ut sicut illa in glomos sublata conjuncta inter se fit, sic vir suus secum cinctus, vinctusque esset. Hunc Herculaneo nodo vinctum vir solvit ominis gratia: ut sic ipse felix sit in suscipiendis liberis, ut fuit Hercules, qui* lxx. *liberos reliquit.* Dicebatur et cestus: Unde incestæ nuptiæ appellatæ, prohibitæ, non legitimæ, in quibus cestus non esset adhibitus. Hypsipyle apud Statium lib. v. Theb. sub principium:

Illa Paphon veterem, centumque altaria linquens
Nec vultu, nec crine prior, solvisse jugalem Ceston. CIOF.

Hæc illustrarunt Viri Doctissimi ad Callim. Hym. in Jovem. v. 21. et Spanhem. ad Hym. in Dian. 14. Brisson. de ritu Nupt. p. 49. Brodæus ad Anthol. lib. iii. cap. 12. et alii. BURM.

117. *Pronuba Tisiphone.*] Interpres, et quasi sequestris nuptiarum, quæ ex parte viri et uxoris sunt contrahendæ, dicitur pronuba. quod epitheton Junoni datur. Infra Epist. vi. CIOF. Sic Seneca Œdip. 644.

Et mecum Erinnyn pronubam thalami traham.

Auctor Octaviæ vers. 24.

Illa, illa meis tristis Erinnys
Thalamis Stygios prætulit ignes. HEIN.

Nihil frequentius Poetis, quam infaustis nuptiis pronubas et auspices Furias facere. Lucan. viii. 90.

Me pronuba duxit Erinnys.

Vide Nostrum Epist. xi. 103. et vi. Metam. 430. Stat. iv. Theb. 133. et xi. 491. Æsch. Agamem. 471. Valer. Flac. ii. 173. v. Heins. ad Claud. i. de Rapt. Pros. 40. BURM.

119. *Torquata.*] Cujus torques est ex serpentibus. ANT.

120. *Lumina mota.*] Invenies eamdem phrasin Amor. i. Eleg. ii. 2. et Met. iv. 508. et x. 7. quare male faciunt, qui ex MSS. hic *limina* substituunt. Vossianus *lata face.* BURM.

Mœsta tamen scopulos fruticosaque litora calco,
  Quaque patent oculis æquora lata meis.
Sive die laxatur humus, seu frigida lucent
  Sidera; prospicio, quis freta ventus agat.
Et quæcumque procul venientia lintea vidi,
  Protinus illa meos auguror esse Deos.
In freta procurro, vix me retinentibus undis,
  Mobile qua primas porrigit æquor aquas.
Quo magis accedunt; minus et minus utilis adsto:
  Linquor, et ancillis excipienda cado.
Est sinus, adductos modice falcatus in arcus,
  Ultima præruptâ cornua mole rigent.
Hinc mihi suppositas immittere corpus in undas
  Mens fuit; et, quoniam fallere pergis, erit.
Ad tua me fluctus projectam litora portent,
  Occurramque oculis intumulata tuis.

126. *Meos Deos.*] Vid. Parrhas. Quæsita per Epist. 35.

127. *In freta procurro, vix me retinentibus undis, Mobile qua primas porrigit æquor aquas.*] De Remedio, 597.

Perfide Demophoon surdas clamabat ad undas,
Raptaque singultu verba loquentis erant.
Limes erat tenuis, longa sub nubibus umbra,
Quo tulit illa suos ad mare sæpe pedes.
Ciofan.

129. *Minus et minus utilis adsto.*] Latere aliquid mendæ suspicor. Forte *utilis actæ*, et construe, *quo magis accedunt actæ*. Heinsius. Durior hæc conjectura. simpliciter cape, æquori adsto, minus et minus compos sensus et mentis. Ut infr. Ep. iv. 7.

———*Ter inutilis hæsit*
Lingua.——— Burm.

132. *Cornua mole rigent.*] *Fronte* codex Angeli Aprosis Vintimiliæ, viri optimi et officiosissimi. Heinsius. Ita et in Ambrosiano codice legitur, quæ lectio ab indocto librario proficisci nequiit. quamvis enim omnia contra vim aquarum excitata opera *moles* dicantur, eleganter tamen eminentia in illis loca *frontes* dicuntur, ut ita hic in cornibus frons est; Parnaso sic tribuit Virgilius in Culice 15.

————*Seu qua Parnasia rupes*
Hinc atque hinc patula prœpandit cornua fronte.

Vide Virg. i. Æneid. 166. et Nostrum iv. 525. ubi montibus *frontes* dantur. et Plin. xii. 7. *Frontem Caucasi* dixit. et alii passim. et ita Græci *μέτωπα* vocant procurrentia in mare loca. Burm.

134. *Erit.*] Mens. Ciof.

Duritie ferrum ut superes, adamantaque, teque;
Non tibi sic, dices, Phylli, sequendus eram.
Sæpe venenorum sitis est mihi: sæpe cruenta
Trajectam gladio morte perire juvat.
Colla quoque, infidis quia se nectenda lacertis
Præbuerunt, laqueis implicuisse libet.
Stat nece matura tenerum pensare pudorem:
In necis electum parva futura mora est.
Inscribêre meo caussa invidiosa sepulcro:
Aut hoc, aut simili carmine notus eris.
Phyllida Demophoon leto dedit, hospes amantem:
Ille neci caussam præbuit, illa manum.

143. *Matura.*] Hoc loco est festina, ut Senec. Œdip. 73. *Matura poscens fata*, Troad. 600. *Me fata maturo exitu facilique solvant.* Hein.

145. *Sepulchro.*] Cum Paris ad Helenam rapiendam proficisceretur in Græciam, Phyllidis sepulchrum in Threicii Pangei promontorio extabat. Auctor Coluthus de Raptu Helenæ. Ciof.

148. *Ille necis causam.*] *Neci causam* rectius scribetur, quicquid membranæ nostræ dissentiunt. Sic 1. Fast. 674.

Hæc præbet caussam frugibus, illa locum.

Vulgatam tamen tuentur loca iii. Art. Am. 40.

———*Tamen hospes et ensem*
Præbuit, et caussam mortis, Elissa, tuæ.

Et Ep. vi. 195.

Præbuit Æneas et caussam mortis et ensem.

Et 1. Art. Am. 714.

Da caussam voti principiumque tui. Hein.

Ego prætuli *neci;* quia *necis* cum *manu* construi vix potest, licet cum *caussa* posset, sed sæpius etiam Noster *mortis caussam* dixit. Epist. xviii. 200. 1. Pont. ii. 17. et alibi. ubi tamen MSS. etiam variant.

Ipsa manu.] Plurimi scripti *illa.* et solet Noster de duobus agens hoc pronomen geminare. Epist. sequenti. 28.

Ille gradu propior sanguinis, ille comes.

i. Am. 8.

Et faciunt udas illa vel illa genas.

i. Amor. ix. 9.

Ille fores Dominæ servat, at ille Ducis.

i. Trist. ix. 50. ex MSS.

Illa suos habeat, nec minus illa suos.

v. Fast. 188.

Convenit in laudes ille vel ille tuas.

Ita olim editi et scripti plurimi. sic apud Quinctil. lib. ii. 48. ex MSS. *Isocrates de Ephoro atque Theopompo sic judicabat, ut alteri frenis, alteri calcaribus opus esse diceret, aut in illo tarditatem, aut in illo pene præçipiti concitationem adjuvandam docendo existimavit?* et lib. xi. 3. de Demosthene et Æschine, *neque ille per propugnatores juravit, nec ille Thebas deflevit.* Ita MSS. Burm.

EPISTOLA III.

BRISEIS ACHILLI.

Quam legis, a rapta Briseïde litera venit,
Vix bene barbaricâ Græca notata manu.
Quascumque adspicies, lacrimæ fecere, lituras;
Sed tamen et lacrimæ pondera vocis habent.
Si mihi pauca queri de te, dominoque viroque,
Fas est; de domino pauca viroque querar.
Non, ego poscenti quod sum cito tradita Regi,
Culpa tua est: quamvis hoc quoque culpa tua est.
Nam simul Eurybates me Talthybiusque vocarunt;
Eurybati data sum Talthybioque comes.
Alter in alterius jactantes lumina vultum,
Quærebant taciti, noster ubi esset amor.
Differri potui. pœnæ mora grata fuisset.
Hei mihi! discedens oscula nulla dedi.
At lacrimas sine fine dedi, rupique capillos.
Infelix iterum sum mihi visa capi.

1. *Briseide.*] Hippodamia Brisæ filia. sacerdotis Chrysæ frater fuit Brises. Ant.

6. *Fas est.*] Forte *fas sit.* nisi totus locus melius ita sit constituendus:

Sit mihi pauca queri de te Domino-
que viroque,
Fas si de Domino pauca viroque queri.

Nam Puteaneus et Regius *queri* habebant. Heins. Non recte. solet enim Noster simili repetitione verborum aliquando argutari. v. Ep. xv. 39. color autem sumtus est de jure, quo vetitum servis de Dominis queri, ut ex Platonis lib. ix. de Republ. adnotabat Bersmannus. Burm.

7. *Sum cito.*] Forte *tam cito,* et mox ex scriptis, *hoc quoque culpa tua est.* Heinsius. Respexit forte illa Catulli Carm. lxviii.

Non ita Cæcilio placeam, cui credita
nunc sum.
Culpa mea est, quamquam dicitur
esse mea.

v. Vorst. de Latin. Merit. Susp. 27. et supr. ad Epist. ii. 56. Burm.

9. *Vocarunt.*] Exprimit Græcum κηρύσσειν, quod proprium Præconum. idem forte quod Cæsar v. de Bell. Gall. 26. dixit *conclamare,* ut explicat Brantius, p. 450. edit. Junger. Hein.

12. *Noster.*] Imo *vester,* vel invitis libris. nisi interpretaris amorem, qui inter nos fuit. Heins.

Sæpe ego decepto volui custode reverti;
Sed, me qui timidam prenderet, hostis erat.
Si progressa forem, caperer ne forte timebam,
Quamlibet ad Priami munus itura nurum.
Sed data sim, quia danda fui: tot noctibus absum,
Nec repetor. cessas, iraque lenta tua est.
Ipse Menœtiades, tunc, cum tradebar, in aurem,
Quid fles? hic parvo tempore, dixit, eris.
Non repetisse parum est: pugnas, ne reddar, Achille.
I nunc, et cupidi nomen amantis habe.
Venerunt ad te Telamone et Amyntore nati;
Ille gradu propior sanguinis, ille comes:
Laërtaque satus; per quos comitata redirem.
Auxerunt blandæ grandia dona preces:

21. *Sed data sum.*] *Data sim*, Puteani codex optimus. et quidem vere ac eleganter: Demus enim me datam esse. Hein.

23. *In aure.*] *In aurem* rectum est. Mart. v. Epist. 82.

Nescio quid Dominæ teneram qui garrit in aurem.

i. Epigr. 90.

Ut sæpe in aurem Cinna Cæsarem laudes.

vii. 39. *Garris Nestor in auriculam.* Petron. *Tanquam in aurem aliquid secreto diceret.* Amm. Marc. lib. xiv. cap. 1. *Susurrare in aurem.* Macrob. iii. Satur. ex Cic. de fato. *Cum Scipio unum et alterum ex iis, qui eum salutatum venerant, invitasset, pluriesque etiam invitatus videretur, in aurem Pontius, Scipio, vide, inquit, quid agas.* Cato Diris, p. 65.

Cantat et interea mihi quæ cantarat in aurem.

Juven. iii. Sat. 123. Hein. Ita Græci πρὸς τὸ οὖς, Luc. xii. 3. et Lucian in Gall. ἐς οὖς Euripid. Jon. 15. 21. Plaut. Trinum. 1. 2. 170. *Sciunt id, quod in aurem Rex reginæ dixerit. Ad aurem insusurrare dixit* Cicer. v. Verr. 41. Burm.

25. *Nec repetisse.*] *Non* editiones fere omnes et scripti. quod probo. de usu vero vocis *parum* vide Gronov. ad Plin. xxi. 13. Epist. ix. 47. *Hæc mihi ferre parum est.* Quinctil. Decl. ix. 12. *Parum est quod insanos pertuli fluctus.* Ita *parum habere.* Vellei. Paterc. ii. 76. sic et *minimum est.* de quo ad Quinct. Decl. ii. 1. et vi. 17. Burm.

28. *Ille gradu.*] Scribendum, vel sine libris:

Iste gradu propior sanguinis, ille comes.

Nisi eo modo dictum id velis, quo passim alibi *Ille vel ille* apud Nostrum. Sequenti versu *Laërtaque* pro *Laërteque* idem Puteani codex et unus Vaticanus. sic apud Ausonium Epitaphiis Heroum.

——Laërtâ natus Ulysses.

Libro xii. Met. ex vestigiis veterum librorum:

——solis Telamone creatis
Laërtaque fuit tantæ fiducia laudis.

Sic infr. v. 39. *Atrida.* Senec. Troad.

Viginti fulvos operoso ex ære lebetas;
Et tripodas septem, pondere et arte pares.
Addita sunt illis auri bis quinque talenta:
Bis sex, adsueti vincere semper, equi.
Quodque supervacuum, forma præstante puellæ
Lesbides, eversa corpora capta domo.
Cumque tot his, (sed non opus est tibi conjuge) conjux
Ex Agamemnoniis una puella tribus.
Si tibi ab Atrida pretio redimenda fuissem,
Quæ dare debueras, accipere illa neges?

700. et ex MSS. Œd. 943. *Œdipoda.* Virgilius sæpe *Anchisa generate.* Noster in Ibide 305. ex MSS. *Nataque ut Æacida.* Heinsius. Ego vero nihil interesse arbitror, cum utrumque dicatur natus *patri* et *patre* filius, ita apud Senec. Agamem. 293. *Genatus Thyestæ* ex optimo codice Mediceo. Burm.

31. *Viginti fulvos,* &c.] Quæ hic ad Achillem placandum ab Agamemnone missa ait poëta, ab Homero transtulit lib. ix. Iliad. 34. Ciof.

34. *Bis sex.*] Omnes alii Codices *bis septem.* Nos ex Homerica Rhapsodia *bis sex.* in qua Phœnix sic Achillem alloquitur: Αἴθωνας δὲ λέβητας ἐείκοσι, δώδεκα δ' ἵππους, &c. Egnatius. In libro Aldino, qui anno M. D. ii. impressus est et in uno Vatic. *Bis septem* legitur, male priorem lectionem retinet alter Vatic. et Homerus comprobat lib. jam citato. ubi ita est:

——————δώδεκα δ' ἵππους
Πηχοὺς, ἀθλοφόρους, οἳ ἄθλια ποσσὶν ἄροντο.

Postquam hæc scripseram, animadverti hunc Homeri quoque locum huc ab Egnatio adductum. Ciofanus. *Bis septem* major librorum pars. sed aliter Homerus, ex quo hæc omnia mutuatus est Noster, Iliad. I. ubi Agamemnon legatis ad Achillem abituris:

Ὑμῖν δ' ἐν πάντεσσι περικλυτὰ δῶρ' ὀνομήνω,
Ἑπτ' ἀπύρους τρίποδας, δέκα δὲ χρυσοῖο τάλαντα,
Αἴθωνας δὲ λέβητας ἐείκοσι, δώδεκα δ' ἵππους
Πηχοὺς, ἀθλοφόρους, οἳ ἀέθλια ποσσὶν ἄροντο.
Δώσω δ' ἑπτὰ γυναῖκας ἀμύμονας, ἔργ' εἰδυίας,
Λεσβίδας, ἃς ὅτε Λέσβον ἐϋκτιμένην ἕλεν αὐτὸς,
Ἐξελόμεν, αἳ κάλλει ἐνίκων φῦλα γυναικῶν.

Et mox:

Τρεῖς δέ μοί εἰσι θύγατρες ἐνὶ μεγάρῳ ἐϋπήκτῳ,
Χρυσόθεμις καὶ Λαοδίκη καὶ Ἰφιάνασσα,
Τάων ἥν κ' ἐθέλῃσι φίλην ἀνάεδνον ἀγέσθω,
Πρὸς οἶκον Πηλῆος, ἐγὼ δ' ἐπιμείλια δώσω.

Et quæ apposita illic plura occurrunt. In Mycilli editione, *Bis seni assueti.* Hein.

36. *Corpora capta.*] Proprie locutus: In servitutem enim redacti vix hominum nomine digni, *corpora* tantum vocabantur. leg. xliii. §. 4. ff. de ritu nuptiar. et ita passim Græci σώματα. Burm.

38. *Ex Agamemnoniis.*] Hac de re dixit lib. xii. Metam. ubi Agamemnonis filiarum nomina notavi. Ciof.

Qua merui culpa fieri tibi vilis, Achille?
  Quo levis a nobis tam cito fugit amor?
An miseros tristis fortuna tenaciter urguet?
  Nec venit inceptis mollior aura meis?
Diruta Marte tuo Lyrnesia mœnia vidi:
  Et fueram patriæ pars ego magna meæ.
Vidi ego consortes pariter generisque necisque
  Tres cecidisse: tribus, quæ mihi, mater erat.
Vidi ego, quantus erat, fusum tellure cruenta,
  Pectora jactantem sanguinolenta, virum.
Tot tamen amissis te compensavimus unum.
  Tu dominus, tu vir, tu mihi frater eras.
Tu mihi, juratus per numina Matris aquosæ,
  Utile dicebas ipse fuisse capi.
Scilicet ut, quamvis veniam dotata, repellas;
  Et mecum fugias, quæ tibi dentur, opes.
Quin etiam fama est, cum crastina fulserit Eos,
  Te dare nubiferis linea vela notis.

47. *Vidi consortes.*] Mollius est, quod in duobus libris hic et sequenti disticho est, *vidi ego.* sic et iii. Amor. iv. 13.

Vidi ego nuper equum contra sua vincla tenacem.

Et iii. ix. 13. ex MSS.

Vidi ego cum foribus lassus prodiret amator.

Stat. ii. Silv. i. 101.

Vidi ego transertos alieno in robore ramos.

Horat. iii. ad v. 22.

——*Vidi ego civium*
Retorta tergo brachia libero.

Propertius ii. Eleg. 20.

Vidi ego te in somnis fractâ, mea vita, carinâ.

Quod nescio cur minus molle et venustum Broukhusio videatur, cum pondus præterea sit in pronomine *ego.* ut toties alii *his oculis vidi, ego ipse vidi.* de quibus Quinct. viii. Inst. 3. sic quoque post *ergo* sæpe *ego* repetitur, v. ad x. Epist. 119. Burm.

Vidi.] Quia ut erant conjuncti genere, ita fuerunt conjuncti nece, quia simul interfecti sunt. Hub. *Vidi consortes.*] Tres fratres Hippodamiæ trucidavit Achilles. pater Brises suspendio vitam finivit. Ant.

50. *Virum.*] Minetem, quem Lyrnesiæ Ciliciæ regem diximus. Ant.

53 *Per numina matris aquosæ.*] Per Thetidem matrem.

58. *Lintea plena.*] Reponendum *lintea velle*, sic enim et sensus et ordo constructionis postulat. Mycillus. Notum variare hic libros, cum alii, eo quo edidimus modo, alii *lintea plena* legant. Ego nondum ab iis dissentio, qui ex utraque lectione veram con-

Quod scelus ut pavidas miseræ mihi contigit aures,
Sanguinis atque animi pectus inane fuit.
Ibis: et (O miseram) cui me, violente, relinques?
Quis mihi desertæ mite levamen erit?
Devorer ante, precor, subito telluris hiatu,
Aut rutilo missi fulminis igne cremer:
Quam sine me Phthiis canescant æquora remis,
Et videam puppes ire relicta tuas.
Si tibi jam reditusque placent, patriique penates;
Non ego sum classi sarcina magna tuæ.
Victorem captiva sequar, non nupta maritum:
Est mihi, quæ lanas molliat, apta manus.
Inter Achaïadas longe pulcherrima matres
In thalamos conjux ibit (eatque) tuos.
Digna nurus socero, Jovis Æginæque nepote;
Cuique senex Nereus prosocer esse velit.
Nos humiles, famulæque tuæ, data pensa trahemus:
Et minuent plenas stamina nostra colos.
Exagitet ne me tantum tua, deprecor, uxor,
Quæ mihi nescio quo non erat æqua modo.

stituunt, *et lintea velle*, emendant:

Quin etiam fama est, cum crastina fulserit Eos,
Te dare nubiferis lintea velle notis.

Dan. Heinsius. Sic infra in epistola Œnonis:

Aura levis rigido pendentia lintea malo
Suscitat.————

Et lib. iii. Elegiarum:

Lintea dem potius.

Et Virg. lib. iii. Æneïd.

——*certum est dare lintea retro.*

In lib. tamen Vatic. est, *linea vela.* utrumque recte. Ciof.

58. *Nubiferis Notis.*] Falsusne est Ovidius, qui Noti e Meridiana plaga spirantis hic meminerit, quo Achilles e Troja (a qua regione navigantibus is ventus efflans est contrarius) in Græciam soluturus utatur? minime vero. Quippe qui Notum pro quolibet vento, qui ei in patriam redeunti prosper ac secundus sit, ponit. Sic Virgil. lib. i. Æneïd. cum dixisset Trojanos maxima tempestate laborasse, a ventis cardinalibus excitata, Eurum postea pro quolibet vento ponit. ejus verba sunt:

Vix septem (naves) *convulsæ undis,*
Euroque supersunt. Ciof.

67. *Patriique penates.*] V. ad Ep. v. 126. quidam scripti hic *sociique.*

73. *Socero.*] Peleo. Jupiter ex Ægina Asopi filia Æacum filium genuit, Æacus Peleum, Phocum, et Telamonem; Peleus ex Thetide Chironis filia Achillem. Ant.

Neve meos coram scindi patiare capillos:
Et leviter dicas: Hæc quoque nostra fuit.
Vel patiare licet; dum ne contemta relinquar.
Hic mihi væ miseræ concutit ossa metus.
Quid tamen exspectas? Agamemnona pœnitet iræ,
Et jacet ante tuos Græcia mœsta pedes.
Vince animos, iramque tuam, qui cetera vincis.
Quid lacerat Danaas impiger Hector opes?
Arma cape, Æacida, sed me tamen ante recepta:
Et preme turbatos, Marte favente, viros.
Propter me mota est, propter me desinat ira:
Simque ego tristitiæ caussa modusque tuæ.
Nec tibi turpe puta precibus succumbere nostris:
Conjugis Œnides versus in arma prece est.
Res audita mihi, nota est tibi. fratribus orba
Devovit nati spemque caputque parens.

80. *Et leviter.*] In Gronoviano erat *leniter et dicas.* Editio vetus contra metrum *et leniter*, quod exponunt sine ira, et turbatione. sed recte se habet vulgatus: *leviter* vero *dicere* est non vehementer, non voce magna et sublata, ut increpantes solent, sed quasi suppressa; nolim, dicit Briseis, te uxorem, me exagitantem, increpare iracunde, sed voce submissa dicas, *hæc quoque nostra fuit.* ita i. Amor. iii. 30.

Tu levitur puerum posce quid ipse velis.

i. Am. 6.

Et leviter, fies tu quoque fortis, ait.

Ex quibus apparet viros doctos falli, qui apud Ciceronem pro Sulla cap. x. reponere volunt *leniter dicere*, pro *leviter*, cum præcesserit, *suppressa voce dicere.* et frustra quoque hanc locutionem *leviter dicere* improbari. sic et *leviter audire* Quinctiliano reddidimus Decl. xix. et ita *leviter accedere*, suspenso pede, Quinct. i. Decl. 3. Burm.

87. *Arma cape Æacide.*] *Æacida* codex alter Regius, ut Silius de Homero ad Achillem:

Felix Æacida, cui tali contigit ore
Gentibus ostendi.———

Noster lib. vii. Met. v. 800.

——*Juvat o meminisse beati*
Temporis Æacida.———

Quomodo optimæ membranæ. sic et lib. xi.

Æacida, dixit, votis potiere petitis,

Notum illud oraculi:

Ajo te Æacida Romanos vincere posse.

Ita Ep. vi. 169. *Mobilis Æsonida.* i. Art. Am. 691.

Quid facis Æacida.

ii. Fast. 120.

Vellem Mæonida pectus inesse tuum.
Heins.

91. *Nec tibi turpe puta.*] Argumentum a comparatione, et a minori. Ciof.

93. *Orba fratribus.*] Toxeum et Plexippum intelligit, quos alii Protum et Cometem appellant: hos Meleager in-

Bellum erat: ille ferox positis secessit ab armis,
Et patriæ rigida mente negavit opem.
Sola virum conjux flexit. felicior illa!
At mea pro nullo pondere verba cadunt.
Nec tamen indignor: nec me pro conjuge gessi,
Sæpius in dominum serva vocata torum.
Me quædam (memini) Dominam captiva vocabat:
Servitio, dixi, nominis addis onus.
Per tamen ossa viri, subito male tecta sepulcro,
Semper judiciis ossa verenda meis;
Perque trium fortes animas, mea numina, fratrum,
Qui bene pro patria, cum patriaque, jacent,

teremit, cum apri caput Atalantæ subripere voluissent, unde exortum est bellum inter Ætolos et Curetes. Ant.

94. *Spemque caputque sui.*] Eleganter. *Spes* enim proprie de liberis, in quibus egregia indoles conspicitur. Virg. vi. Æneid. 364. et x. 524. *Per spem surgentis Iuli.* Vide ad Petron. cap. iv.

Parens.] Althea Thestii filia, et Meleagri mater. Ant.

95. *Bello erat ille ferox.*] Recte Puteaneus, *Bellum erat: ille ferox.* Fast. iv. 880. *Turnus an Æneas Latiæ gener esset Amatæ, Bellum erat.* sic et *Pax erat*, Fast. i. 285.

Pax erat, et vestri, Germanice, causa triumphi
Tradiderat famulas jam tibi Rhenus aquas.

Auctor Elegiæ in obitum Mæcenatis:

Pax erat: hæc illos laxarunt otia cultus.

Lucan. iv. 196.

Pax erat: et castris miles permixtus utrisque.

Pari modo *Nox erat*, *Lux erat*, et similia apud Poetas obvia. Cæterum ex Homero Historiam hanc est mutuatus de Meleagro, quam Iliad. I. Phœnix Achilli narrat. Extat et apud Antoninum Liberalem Metamorph. Fab. ii. Codex Gottorphianus, *Marte erat ille ferox.* Hein.

Secessit.] Forte, *positis secesserat armis.* vel *ab armis*, id est, post arma posita secesserat. ut Epist. præced. v. 85. Burm.

97. *Sola virum conjunx flexit.*] Alcyone Hygino Fab. clxxiv. quæ et Cleopatra Antonino Liberali, et Homero, cujus Scholiastæ hanc Idæ Apharei et Marpissæ Eveni filiæ natam faciunt, ut et Apollodorus in Bibliotheca. quo teste, post Meleagri mortem sese ipsa interemit. Hein.

104. *Judiciis.*] Janum Ulitium maluisse *suppliciis*, notavit Francius. sed nihil movendum docent loca. De Pont. iii. v. 52.

Candida judiciis illa sit hora meis.

Et iv. 3.

Ille ego judiciis unica musa tuis.

Et Eleg. 10.

Judiciis igitur liceat Flaccoque tibique
Talibus Augusti tempus in omne frui. Burm.

Perque tuum nostrumque caput, quæ junximus una;
Perque tuos enses, cognita tela meis;
Nulla Mycenæum sociasse cubilia mecum
Juro: fallentem deseruisse velis.
Si tibi nunc dicam: Fortissime, tu quoque jura,
Nulla tibi sine me gaudia facta: neges.
At Danaï mœrere putant. tibi plectra moventur:
Te tenet in tepido mollis amica sinu.
Et si quis quærat, quare pugnare recuses:
Pugna nocet: citharæ, voxque, Venusque juvant.
Tutius est jacuisse toro, tenuisse puellam,
Threïciam digitis increpuisse lyram,
Quam manibus clypeos, et acutæ cuspidis hastam,
Et galeam pressa sustinuisse coma.
Sed tibi pro tutis insignia facta placebant:
Partaque bellando gloria dulcis erat.
An tantum, dum me caperes, fera bella probabas?
Cumque mea patria laus tua victa jacet?

109. *Nulla Mycenæum.*] Hoc idem dicit Nestori Agamemnon apud Homerum libro superius citato. Ciof.

112. *Nulla tibi sine me gaudia facta.*] Puto *pacta*. Art. Amat.

Si dederint, et vos gaudia pacta date. Sic et *pactæ noctes* apud Propertium iv. Eleg. 3. potest et vulgata ferri. Heinsius. Recte mutavit Heinsius conjecturam. nam Latine dici *gaudia facere* jam, ut vindicaret antiquum interpretem, ostendit Drusius ad Act. Apost. xv. 3. Plin. vii. 42. *Cetera exempla fortunæ variantis innumera sunt. Etenim quæ fecit magna gaudia, nisi ex malis?* Paullinus Natali vii. princ.

Ista luce tamen nobis pia gaudia lætum
Ver facit, et cedit, pulsis a pectore curis,
Mœror, hiems animi.

Ita enim malo legere quam *ver faciunt, cedit.* Burm.

113. *Tibi plectra moventur.*] Id est, Tu citharæ indulges: nam plectrum est, quo chorda tangitur: interdum pro tota cithara ponitur. Hubert.

114. *Mollis amica.*] Diomedam Phorbantis filiam significare videtur, qua cum se delectare consuevisse Achillem, ablata Hippodamia, scribit Homerus. Ant.

116. *Noxque Venusque.*] Ampl. Cuperus in literis ad Heinsium etiam *vox* probabat, sed conjungebat cum citharæ, ut *citharæ* esset secundi casus, ut apud Maronem lib. vi. 646. *Septem discrimina vocum* fidibus dantur, et Homerus βοὴν dat citharæ et φώνην. sed hæc ab Ovidiana simplicitate longius abeunt. Burm.

124. *Laus tua victa jacet.*] *Tibi victa* alter Scriverianus. et Helmstad. paulo venustius. Vid. Epist. viii. 100. Heinsius.

Dî melius: validoque, precor, vibrata lacerto
Transeat Hectoreum Pelias hasta latus.
Mittite me, Danaï; dominum legata rogabo:
Multaque mandatis oscula mixta feram.
Plus ego quam Phœnix, plus quam facundus Ulixes,
Plus ego quam Teucri (credite) frater agam.
Est aliquid collum solitis tetigisse lacertis,
Præsentisque oculos admonuisse sui.
Sis licet immitis, Matrisque ferocior undis;
Ut taceam, lacrimis comminuere meis.
Nunc quoque (sic omnes Peleus pater impleat annos,
Sic eat auspiciis Pyrrhus in arma tuis)

136. *Eat auspiciis Pyrrhus ad arma tuis.*] *In arma* codices plerique. et sane id elegantius. sic *ire in hostem, in pugnam, concitare in arma, ruere, ferri, mittere, venire, trahi in arma,* et similia. Statius Theb. viii.

Imus in arma palam.

Noster Amor. lib. i. El. ix. 35.

Hector ab Andromaches complexibus ibat in arma.

Tò *in* enim infesti animi significationem interdum præ se fert. Noster infra:

Ensis in Atridæ pectus iturus erat.

Et iii. Art. 428.

Et Jovis in multas devolat ales aves.

Remed. Amor. 282. ex veteri codice:

Non aliquis socios Rhesus in arma vocat.

Attonitum vulgus in arma ruit. Fast. vi. 598. ex antiquis libris. et Virg. xi. 886. *Inque arma ruentum.* sic *verti in aliquem* infesto animo. de quo Met. i. sic Ep. 1.

In te fingebam violentos Troas ituros.

Virg. xi. 514.

Per deserta jugo superans adventat in urbem.

Ut ex optimo MS. legi debet, id est infestis armis recta ad urbem contendit: cogitandum quoque de lectione lib. x. v. 455. *Meditantem prælia,* ubi vetustiores MSS. *meditantem in prælia,* quæ lectio omnino vera est. sic lib. ii. v. 347. *Audere in prælia* dixit. Martial. xii. Ep. 61. *In Tauros Libyci fremunt leones.* sic *ire in leges,* ut primus docuit Gronov. noster Diatr. Stat. c. iii. sic Virg. ii. Æneid. 408.

Et sese medium injecit periturus in hostem.

Ut legi ex MSS. debet. et ibid. 511.

Ac densos fertur moriturus in hostes.

Ubi Pïerius *ad hostes* probat, insulse. et hinc illæ voces *incurrere* apud Virg. xi. 834. ex MSS. *inferre* lib. ix. 53. quod et male illic mutant. et lib. xi. 742. imo Cicero dicit *invadere in aliquem,* et Philip. vii. *Imminere in fortunam alterius,* et Philip. xi. c. 1. *Minitari in hostem supplicia.* ut ibi MS. Ferrari veterrimus. pro Milon. 32. *Insultare in rempub.* Senec. Herc. furent. 778. *Succensus in bella,* ut ibi ex MSS. legendum. Heins. Nuc. 110.

———*Præda nefandæ*
Conjugis Aonium misit in arma virum.

Ubi quidam codices etiam *ad.* et Met. xiii. 39.

Respice sollicitam Briseïda, fortis Achille;
Nec miseram lenta ferreus ure mora.
Aut, si versus amor tuus est in tædia nostri;
Quam sine te cogis vivere, coge mori.
Utque facis, coges. abiit corpusque colorque.
Sustinet hoc animæ spes tamen una tui.
Qua si destituor, repetam fratresque virumque:
Nec tibi magnificum femina jussa mori.
Cur autem jubeas? stricto pete corpora ferro.
Est mihi, qui fosso pectore sanguis eat.
Me petat ille tuus, qui, si Dea passa fuisset,
Ensis in Atridæ pectus iturus erat.
Ah potius serves nostram, tua munera, vitam.
Quod dederas hosti victor, amica rogo.
Perdere quos melius possis, Neptunia præbent
Pergama. materiam cædis ab hoste pete.
Me modo, sive paras impellere remige classem,
Sive manes, domini jure venire jube.

——*Vitataque traxit in arma.*

Ubi etiam alii *ad*. iii. Art. Am. 419.

In multas lupa tendit oves.

i. Art. 97.

Sic ruit in celebres cultissima femina ludos.

In quibus omnibus etiam *ad* habent codices plurimi. Burm.

142. *Sustinet.*] In Aldinis legitur: *Sustinet hoc animæ spes tamen una tui.* ut sit dictum *hoc animæ* pro hanc animam. hoc sensu, una tamen spes tui, sive quam de te habeo sustinet hanc animam, hoc est vitam meam, ceteris ut corpore et colore delabentibus. est autem argumentum Epistolæ hujus ex nono Iliados. 30, quo eodem libro etiam pleraque loca difficiliora, si qua hic fuerint, explicari poterunt. Micyllus. *Una tui.* Vaticanus; Aldinus vero, *una mei.* Ciofanus. *Animi spes tamen una mei* quatuor libri. etiam bene; Lucan. x. 68.

Hoc animi nox una dedit.

Nisi malis *animæ meæ.* et mox *Qua si destituor*, pro *destituar* Puteaneus aliique nonnulli. Heins. Vid. sup. v. 60.

147. *Si Dea passa.*] Homer. Iliad. α. v. 197.

Στῆ δ' ὄπιθεν, ξανθῆς δὲ κόμης ἕλε Πηλείωνα.

Ad quod alludere videtur Plaut. Menæchm. 5. 2.

Sed quis hic est, qui me capillo hinc de curru deripit.

Eustath. hanc allegoriam ad Platonem refert, et *τὴν παρ' αὐτῷ ἀγχίνοιαν, καὶ κεφαλικὴν οὐράνωσιν* intelligit. Quod et Germanis in proverbio.

EPISTOLA IV.

PHÆDRA HIPPOLYTO.

Qua, nisi tu dederis, caritura est ipsa, salutem
Mittit Amazonio Cressa puella viro.
Perlege quodcumque est. quid epistola lecta nocebit?
Te quoque, in hac aliquid, quod juvet, esse potest.
His arcana notis terra pelagoque feruntur:
Inspicit acceptas hostis ab hoste notas.
Ter tecum conata loqui, ter inutilis hæsit
Lingua, ter in primo destitit ore sonus.
Qua licet et sequitur, pudor est miscendus amori.
Dicere quæ puduit, scribere jussit Amor.

1. *Qua, nisi tu dederis.*] Regius, et duo alii codices:

Quam nisi tu dederis, non est habitura, salutem.

Quod mihi mollius fluere videtur. huic Epistolæ egregie respondit Sidronius Hosschius, nullo Poëtarum inferior. Burm.

8. *Ter in primo destitit ore sonus.*] Sunt qui *restitit* legendum contendant. Inter quos Douza et Slichtenhorstius quondam meus. et in uno Lovaniensi extat. Tres alii, *constitit*. Sed nil mutandum. Etsi succurrunt illa Laodamiæ:

Semper in his apte narrantia verba resistunt.

Virgilianum quoque istud:

Incipit effari, mediaque in voce resistit.

Pro vulgata enim lectione stat locus ille, Fast. ii. v. 823.

Ter conata loqui, ter destitit: ausaque quarto
Non oculos ab humo sustulit illa suos.

Ubi perperam scripti nonnulli, *deficit*. Epistola Laodamiæ. v. 83.

Hunc fateor volui revocare, animusque ferebat.
Destitit auspicii lingua timore mali.

Sic puto, cum in quinque codicibus sit, *sed stetit.* Vulgati *substitit.* etiam non male. Fast. lib. i. v. 538.

Substitit in medios præscia lingua sonos.

Desistere pro stare, restare Plautus quoque dixit Mostellaria Act. iii. sc. ii.

Quid illic obsecro tamdiu destitisti?

Ut exemplaria nonnulla præferunt. Heinsius. Sed *restitit* mihi valde blanditur, ita *resistens et salebrosa oratio,* Quinct. xi. 2. Capoferreus initium Epistolæ ab hoc disticho faciebat, et præcedentia spuria credebat, vel saltem duobus ejectis, hoc post primum ponebat. Burm.

9. *Et sequitur.*] Exponunt conveniens, utile est. sed melius *facile est* redditur, ut Gronov. Diatribes Statianæ cap. xlv. Quinct. viii. 6. *Refert autem in quantum dictus tropus Oratorem sequatur.* et ita ille sæpius. Vid. ad lib. ii. cap. 14. Burm.

Quidquid Amor jussit, non est contemnere tutum.
Regnat, et in Dominos jus habet ille Deos.
Ille mihi primo dubitanti scribere, dixit:
Scribe, dabit victas ferreus ille manus.
Adsit, et, ut nostras avido fovet igne medullas,
Figat sic animos in mea vota tuos.
Non ego nequitia socialia fœdera rumpam.
Fama (velim quæras) crimine nostra vacat.
Venit Amor gravius, quo serius. urimur intus,
Urimur; et cæcum pectora vulnus habent.
Scilicet ut teneros lædunt juga prima juvencos,
Frenaque vix patitur de grege captus equus:
Sic male vixque subit primos rude pectus amores;
Sarcinaque hæc animo non sedet apta meo.

17. *Nequitia.*] Hic pro lascivia ponitur, qua in cujuscumque amplexus ferimur. et opponitur amori. amore ergo Hippolyti, non libidine se moveri scribit. non intellexit hæc Crispinus, qui explicat inepte, *non libidinosa levitate fœdera, quæ tu mecum iniveris, rumpam. Socialia* illa *fœdera* respiciunt nuptias cum Theseo initas; hoc sequentia indicant. Burm.

Socialia.] Ita lege apud Stat. ii. Achil. 354. ex MSS.

Quis enim illicitis socialia rumpi
Pacta dolis &c. *perferat?*

Ubi vulgo *genialia* legitur. Heins.

20. *Cæcum pectora vulnus habent.*] Minime damno hanc lectionem. Non minus eleganter tamen unus ex meis, *tacitum vulnus.* apposite apud Maronem:

——*est mollis flamma medullas*
Interea, et tacitum vivit sub pectore vulnus.

Heinsius. v. i. Amor. ii. 6.

Vulnus cæcum.] Occultum amorem. Virg. *Et cæco carpitur igni.* sic Theocr. Idyll. xi. v. 15.

—ἔχθιστον ἔχων ὑποκάρδιον ἕλκος,
Κύπριος ἐκ μεγάλας, τό οἱ ἥπατι
πᾶξε βέλεμνον.

Et Bion Smyrn. Idyll. i. v. 17. in Epitaph. Adon.

Μεῖζον δ' ἁ Κυθέρεια φέρει ποτι
κάρδιον ἕλκος.

23. *Primos rude pectus amores.*] Broukhusium maluisse *primo amori* notavit Francius. sed quamvis uterque casus huic verbo jungi possit, hic aptius puto *amores,* quia continuat Poeta Metaphoram a jugo inceptam; et ita rude pectus male subit amores, qui sunt grave jugum, quo sensu puto aptius esse casum quartum. ut apud Tibul. i. iv.

Nec te pœniteat duros subiisse labores.

Ut recte Broukhusius. et ita passim *jugum subire* scriptores. sic *subire insolitos cibos,* Quinct. Decl. xii. 7. ubi vide. aliud est cum Amor dicatur *subire,* id est clam subrepere in animos; ut i. Am. ix.

An subit, et tacita callidus arte nocet.

De qua locutione v. Broukh. ad Propert. i. ix. 26. Burm.

Ars fit, ut a teneris crimen condiscitur annis.
Quæ venit exacto tempore, pejus amat.
Tu nova servatæ capies libamina famæ;
Et pariter nostrum fiet uterque nocens.
Est aliquid, plenis pomaria carpere ramis,
Et tenui primam deligere ungue rosam.
Si tamen ille prior, quo me sine crimine gessi,
Candor ab insolita labe notandus erat;
At bene successit, digno quod adurimur igni:
Pejus adulterio turpis adulter abest.
Si mihi concedat Juno fratremque virumque;
Hippolytum videar præpositura Jovi:
Jam quoque (vix credas) ignotas nitor in artes:
Est mihi per sævas impetus ire feras.
Jam mihi prima Dea est, cornu præsignis adunco
Delia. judicium subsequor ipsa tuum.

Famæ.] Vetus editio, qua usus Gruterus, *flammæ*. sed *famæ* præstat: ita *perdere famam* Epist. v. 6. multi codices hic quoque, solemni permutatione, *formæ* habent. sed famam illibatam pudicitiæ se huc usque servasse, et in unius Hippolyti gratiam se peccaturam ostendit. Burm.

32. *Labe.*] Proprie macula, quæ candorem fœdat. Vide somnium lib. iii. Amor. v. 44.

34. *Obest.*] *Abest* legendum videtur; atque ita Scriverianus liber. Heins. Landinus ad Horat. i. Od. 27. citat:

Turpis adulterio pejus adulter erit.

Sed male, ut puto. *turpis* hic non tam ad animum, quam ad formam corporis referendum. ut sibi placeat Phædra, quod elegerit adulterum formosum, et cujus amor excusari posset pulchritudine, qua capta fuit. ita et Horat. i. Od. 33.

———*Sed prius Appulis*
——*Jungentur capreæ lupis,*
Quam turpi Pholoe peccet adultero.

Sensus ergo est, abest a meo amore deformis adulter, quod ipso adulterio pejus est. Burm.

38. *Per sævas impetus ire feras.*] *In feras ire*, recte et eleganter dici vidimus modo Epist. iii. 36. sed per *feras ire*, non placet, nec ut Crispinus notat, plus esse, *quam in feras*, credimus. nisi transfixas velit intelligi. ut nec *sævas feras* probo. quare forte scripserit, *per silvas impetus ire feras*. *silvæ feræ* eleganter dicuntur. v. Heins. ad Claud. Cons. Olybr. 186. sic *fera Ætna* Propert. iii. 2. ubi vid. Passerat. *fera arva*. Manil. i. 86. ut vero hic *ire per silvas*, ita Epistol. v. 64. *Per fluctus impetus ire fuit*. Burm.

39. *Arcu præsignis adunco Delia.*] *Cornu adunco* Scriverianus liber. sic *κέρας* pro arcu etiam apud Græcos poëtas est invenire. ut apud Anacreontem, sub finem Odæ iii. Cupido de arcu suo Κέρας ἀβλαβὲς μὲν ἐστι. Claudianus de Raptu Proserpinæ ii. 205. *Intento festinat Delia cornu.* et

In nemus ire libet, pressisque in retia cervis,
  Hortari celeres per juga summa canes:
Aut tremulum excusso jaculum vibrare lacerto;
  Aut in graminea ponere corpus humo.
Sæpe juvat versare leves in pulvere currus,
  Torquentem frenis ora sequacis equi.
Nunc feror, ut Bacchi furiis Eleleïdes actæ,
  Quæque sub Idæo tympana colle movent:

de eadem, *quæ terret Mænala cornu.* Virgil. xi.

Spicula torquebat Lycio Gortynia cornu. Heins.

41. *Pressisque.*] *Prensis,* Puteanea excerpta et quinque libri ex nostris. sed *pressis* probum est. Virg. iii. Georg. 413.

Ingentem clamore premes in retia cervum. Heins. Stat. iv. Theb. 322.

——*Nuper te pallida vidi,*
Dum premis, obnixo venabula cominus apro,
Poplite succiduo resupinum ac pene ruentem.

Ubi Lutatius, *venatores cum investigant, errant, cum prosequuntur, premunt.* v. Gebhard. ad Nepot. Miltiad. c. 3. Burm.

46. *Ora fugacis equi.*] *Sequacis* Puteaneum exemplar et Scriverianum cum quatuor aliis, tam hic, quam Epistola Herus initio:

Flectitis aut freno colla sequacis equi.

Ubi etiam *fugacis* vulgo. Virgil. x.

Ut vidit Pallas Latio dare terga sequaci.

Remed. Amor. 246.

Nunc leporem pronum catulo sectare sequaci.

Ut quidem Jureti excerpta. Sed verior lectio, *Catulo sagaci.* Ita Calpur. Eclog. i. *Sequaci oculo,* et Licentius carmine ad August. apud Pith. p. 338. *Sequaces vitulos.* et Gratius. 411. *Sequax malum.* Contra Lucanus viii. 3. de equo dixit:

Cornipedem exhaustum cursu stimulisque negantem.

Sic *sequacia saxa ducere,* de Orpheo initio Met. xi. *Sequens annona* apud Stat. Sylv. iv. ad Plotium Grypum. vide de eleganti usu ejus vocis Gronovium Diatrib. c. xlv. sic et *Parentem undam* Noster dixit; de quo egimus ii. Amor. El. xvi. *Fugacem* tamen *equum* Ammianus lib. xix. dixit: *Fugaci equo nudo et infreni calonum quidam sedens.* Propertius de Parthis:

Tela fugacis equi, et braccati militis arcus.

Servius ad lib. i. Georg. 280. *Velocem equum fugacem dicimus.* Certe Noster *velocem* equum alibi non semel dixit; hoc vero loco equum describit frenis parentem. Rectius ergo, *Sequacis equi.* At paulo post hac eadem epistola,

Sive fugacis equi luctantia colla recurvas,

Duo libri exhibent, cum in vulgatis legatur *ferocis.* Heins.

47. *Eleleïdes.*] Omnes ad hunc diem *Eleides,* in quo nescias, utrum magis accuses negligentiam hominum an inscitiam, an potius utrumque: quis enim non videat versum, si *Eleides* legas, subsultare. jam Bacchi nomen *Eleleus,* non *Eleus* erat. quod Ovidii auctoritas Metamorphoseos sexto probat:

Nycteleus, Eleleusque parens.

Quod nomen Apollinis etiam esse Macrobius prodidit, dictumque illud:

Aut quas semideæ Dryades, Faunique bicornes,
Numine contactas attonuere suo.
Namque mihi referunt, cum se furor ille remisit,
Omnia. me tacitam conscius urit Amor.
Forsitan hunc generis fato reddamus amorem;
Et Venus e tota gente tributa petat.

Ἀπὸ τοῦ ἐλίττεσθαι περὶ τὴν γῆν. quod alterno scilicet meatu circa terram volvi videatur. jam Euripides:

Ἥλιος θοαῖς ἵπποισιν ἑλίσσων φλόγα
Πολλοῦ πυρός.

Sive igitur a volutione hujusmodi, sive ab *Elele* Bacchantium voce (nam etiam a sonis Bacchum dixere et *Bromium* et *Iacchum*) sive et ipse, qui et Apollo sit, a rotatione illa perpetua dictus *Eleleus* est, unde *Eleleïdes* quoque factæ sunt, ut aliter versus legi nequaquam possit. Egnatius. Eadem quoque Micyllus habet.

Eleleïdes.] Bacchi ministræ dicuntur, a Baccho, quem ab Helo oppido Heliconio, sive Ætolo, ubi illius orgia celebrantur, Eleleum in Metamorphosi diximus nuncupari. Ant.

48. *Quæque.*] *Quique* rescribi Mycillus velit, ut de Gallis intelligatur. At argute Ovidius Gallos tanquam feminas hic describit, pro qua lectione libri stant veteres uno consensu. *Gallas* simili modo Catullus in Galliambo vocavit. ubi passim ludit, Attyn tanquam feminam describens, quem et Anacreon Od. xiii. vocat ἡμίθηλυν *semi-marem*, ut et Claudianus Eutropium Eunuchum. et ita Ovid. ii. Am. iii. videtur vocare: *Nec feminam nec virum.* Sic et in Ibide 453. ex MS.

Ut quas Cybeleia mater incitat.

Virg. Ceiri. 104.

Sæva velut gelidis Ciconum Bistonis in oris,
Ictave Barbarico Cybeles antistita buxo.

Certe Lucianus Gallorum Choro feminas immistas, ipsosque Gallos vestitu muliebri fuisse usos testatur. sed codex nunc non est ad manum. Vide quæ ad Claudianum notamus libro i. in Eutropium. v. 271. sic apud Statium Theb. xii. *Dux vesana chori* Attys aut Archigallus vocatur. quod temere mutari nolim. Heins.

Ita apud Homer. Ἀχαιΐδες οὐκέτ' Ἀχαιοί. et apud Maronem.

Vere Phrygiæ; neque enim Phryges.

49. *Aut quas semideæ Dryades.*] Eas intelligit, quæ quoniam fontana numina, aut nemorea vidissent, Lymphatæ dicebantur. eas resipiscere a furore non posse magi tradebant, nisi talparum sanguine spargerentur, ut auctor est Plin.

53. *Hunc fato generis.*] Rectius legitur *generis fato*, ut ambiguitas vitetur. sic Ep. viii. 65.

Hoc generis fato, quod nostros errat in annos.

Scribendum vero *reddamus* et *petat* ex MSS. solet enim Ovidius τὸ *forsitan* cum substantivo nectere. v. Ep. i. 77. vii. 133. x. 85. xii. 177. ex MSS. xix. 123. Trist. i. 165. ita et Juvenal. Sat. xi. 162. *Forsitan exspectes.* Silius xv. 643.

Forsitan et pugnas venias Germanus in ipsas.

E *tota* quoque Scriverianus et alii nonnulli: nam in Puteaneo unius paginæ hic est lacuna. Heins. Pro *reddemus*, *debemus* conjiciebat Francius. Veneri vero adscribit insaniam suam Phædra, quia illa irata Soli, omnem ejus pro-

Juppiter Europen (prima est ea gentis origo)
  Dilexit, tauro dissimulante Deum.
Pasiphaë mater, decepto subdita tauro,
  Enixa est utero crimen onusque suo.
Perfidus Ægides, ducentia fila secutus,
  Curva meæ fugit tecta sororis ope.
En ego nunc, ne forte parum Minoïa credar,
  In socias leges, ultima gentis, eo.
Hoc quoque fatale est: placuit domus una duabus.
  Me tua forma capit, capta parente soror.
Thesides Theseusque duas rapuere sorores.
  Ponite de nostra bina tropæa domo.
Tempore, quo vobis inita est Cerealis Eleusin,
  Gnosia me vellem detinuisset humus.
Tunc mihi præcipue (nec non tamen ante) placebas:
  Acer in extremis ossibus hæsit amor.
Candida vestis erat, præcincti flore capilli:
  Flava verecundus tinxerat ora rubor.

geniem vexare studebat. Ovid. iv. Met. 109.

Exigit indicii memorem Cythereïa pœnam.

Vide Serv. ad Virg. Eclog. vi. 46. et vi. Æneïd. 14. Libanii *Διηγήματα* ab Allatio edita. capite xv. et xvi. et Seneca Hippol. 114.

Stirpem perosa Solis invisi Venus.

v. Bœss. ad Ibin. 579. Burm.

60. *Fugit tecta.*] *Fregit tecta* alter Scriverii codex. Sed in Vaticano, Ambrosiano, et Hafniensi erat, *subiit tecta.* etiam non male. nam illud *fregit* durius mihi videtur et morosius dictum. et vox hæc *subiit* melius securum et interritum Thesei animum notat, qui infamia illa cæde tecta subire audebat, Ariadnes filo fidens. nec permutatio horum verborum, *subire* et *fugere* insolens librariis. sic apud Virgil. x. Æneid. 344. in codicibus est, *protinus hasta subit,* ubi vulgo *fugit.* apud Lucanum quoque ix. 540. pro *Te segnis Cynosura subit,* in quibusdam libris est *fugit.* in Menteliano hoc loco erat *refugit.* Vlitius etiam pro *tecta, texta* mallet. Burm.

67. *Tempore, quo nobis inita est Cerealis Eleusis.*] Primo *vobis* scribendum, ut sequenti versui melius hæc respondeant, idque auctoribus duobus libris. Deinde *τὸ inita* perperam in *visa* vel *nota* mutant libri nonnulli. Ad *Initia* enim Cereris videtur alludere. quod et Magno Scaligero ad Annum MMCLXVII. Chronici Eusebiani est visum, ubi complura de sacris Eleusiniis.

71. *Præcincti flore capilli.*] Hujus argumenti opinor fuisse Tragœdiam Euripidis, quæ *Ἱππόλυτος στεφανη-*

Quemque vocant aliæ vultum rigidumque trucemque,
Pro rigido, Phædra judice, fortis erat.
Sint procul a nobis juvenes, ut femina, comti.
Fine coli modico forma virilis amat.
Te tuus iste rigor, positique sine arte capilli,
Et levis egregio pulvis in ore decet.
Sive ferocis equi luctantia colla recurvas;
Exiguo flexos miror in orbe pedes.
Seu vastum valido torques hastile lacerto:
Ora ferox in se versa lacertus habet.
Sive tenes lato venabula cornea ferro.
Denique, nostra juvat lumina, quidquid agas.
Tu modo duritiem silvis depone jugosis:
Non sum materia digna perire tua.

φορος inscribebatur. Menimerunt ejus non uno loco Stobæus et Hesychius. Heins. hoc nomine inter integras una est Euripidis, sed perdita, cujus fragmenta supersunt, vocatur Ἱππόλυτος καλυπτόμενος, quarum hæc fuit prior. quare ita dictæ, et an diversi argumenti fuerint egregie Bentlej. Epist. ad Millium p. 31. disputat. certe nihil hic Ovidii locus ad titulum earum facere mihi videtur. nam coronam Dianæ offert Hippolytus apud Euripid. vers. 73. ubi vid. Barnes. in Eleusiniis Ceres colebatur, cujus mysteriis initiandus vel operaturus hic Hippolytus, conveniente sacris habitu describi videtur. Burm.

72. *Tinxerat.*] Senec. Hippol. 376. *Non ora tingens nitida purpureus rubor.* nisi mavis *pinxerat.* hoc enim distichon expressit Senec. Hipp. 650.

——Presserant vittæ comam,
Et ora flavus tenera pingebat pudor.
Burm.

76. *Modico fine.*] Apparatu non nimio, ut mulieres: ideo in primo de Arte dixit, *Forma viros neglecta decet.*

80. *In orbe.*] Volscus hic admodum ineptit, qui cyclum ferreum interpretatur, in quo pedes figunt equites, quos ignotos fuisse hoc tempore certum est. vide Torrent. ad Sueton. Calig. 3. Ampl. Cuper ad Lactant. de Mort. Persec. c. 5. et Dresem ad Jos. Iscan. de bell. Troj. v. 261. *In orbe*, est *in gyro:* Varius Poeta vetus apud Macrob. vi. Satur. 2. ut emendat Torrent. ad Horat. i. Od. 8.

Sed angusto prius orbe coerces.

Vid. Virgil. iii. Georg. 115. et alios.
Burm.

86. *Non sum materia digna perire tua.*] Non sum digna, quæ peream te præbente ac suppeditante caussam et materiam mortis. eleganter et Latine dictum. nec credidissem interpretationis indigere hunc locum, nisi invitus deprehenderem Tanaquillo Fabro, homini erudito, nuperis in Lucretium animadversionibus pag. 480. perperam visum esse castigari oportere: *Non sum duritia digna perire tua*, idque obnitentibus membranis, quotquot a me sunt inspectæ. præterea cum

Quid juvat incinctæ studia exercere Dianæ;
Et Veneri numeros eripuisse suos?
Quod caret alterna requie, durabile non est:
Hæc reparat vires, fessaque membra novat.

præcesserit jam versu proximo *durities*, odiosa omnino ejusdem vocis sit repititio et ingrata. Epistola Hermionæ viii. 51.

Materia vellem fortis meliore fuisses. HEINS.

Locus hic obscurior, et quidquid adferant interpretes, non efficient, ut *perire alicujus materia*, sit, caussa alicujus. *Materies* hominis vero eleganter dicitur, indoles, et ingenium ejus, unde effecta in futurum providemus vel speramus. sic Cicer. iii. Verrin. 68. *Fac enim fuisse in illo, aut C. Lælii aut M. Catonis materiem atque indolem*, id est vim illam, quæ, si excolatur, Catonem referret. sic de Servio Tullio Livius lib. i. 39. *Materiem ingentis publice privatimque decoris omni indulgentia nostra nutriamus*, id est indolem illam, ex qua spem decoris concipimus. Idem eodem lib. cap. 46. *Angebatur ferox Tullia, nihil materiæ in viro neque ad cupiditatem, neque ad audaciam esse*, id est, esse ignavum, nihil in illo esse quod mulier accendere posset. ex omni ligno, sive materia, non fit Mercurius, ut recte Græviu hæc capit, ad d. l. Ciceronis. si ergo eo significatu capiamus, sensus debet esse, non sum ego digna, quæ peream per tuam duritiem, si in ea perstabis. sed quomodo tunc cohæreant versus non video. tentaverat prius animum juvenis, jactando pudicitiæ servatæ decus, deinde similitudine studiorum et venandi, adhoc fatalis forte amoris suo generi attributi prætextu. deinde se pulchritudine Hippolyti, cum Eleusine versaretur, primum captam fuisse narraverat, nunc precatur ut duritiem deponat, quia non erat digna perire per indolem ejus. hæc non cohærent. immo addere debebat, se dignam esse, ut duritiem in ejus gratiam exueret, et mutuo amore eam amplecteretur. quare legerem:

Nam sum materia digna perire tua.

Perire hic est amando perire, ut Horatius, Virgilius et alii loqui amant, de quo pluribus ad Quinct. Decl. xv. 8. egimus. deposita ergo rogat duritia, ut se amet, et amando perdat, nam digna erat in quam materiem illam, non ad venatum, sed ad amorem et libidinem, huc usque segnem et inertem, nunc exserat et exerceat, et juvenili ardore ita eam amplecteretur, ut periret. hæc mea de obscurissimo loco sententia. si quis meliora offerat, lubens accedam. BURM.

87. *Incinctæ.*] Id est succinctæ, vid. ad x. Metam. 536.

88. *Numeros.*] Bersmannus interpretatur *jura*. alii gradus amorum; sed proprium in re Venerea; partes Veneri debitæ. ut iii. Am. 7.

Me memini numeros sustinuisse novem.

Et sic in aliis, ut *numeri Palæstrici*. Quinct. xii. 2. et in unaquaque arte et disciplina, quæ *numeris omnibus* inde *perfectæ* dicuntur, si nihil desit. BURM.

90. *Fessaque membra levat.*] *Novat* potiores scripti. et recte, pro *renovat*. sic in Fastis lib. i. 622.

Ingratos nulla prole novare viros,

quod in liberis patres renasci videantur. Sic *novare gregem* dixit Statius Theb. x. 223. et *novare pignora* eodem libro, 791.

Non ego monstrifero coitu revoluta novavi
Pignora, nec nato peperi funesta nepotes.

Vulgo sine sensu legebatur *notavi*.

Arcus (et arma tuæ tibi sunt imitanda Dianæ,)
Si numquam cesses tendere, mollis erit.
Clarus erat silvis Cephalus, multæque per herbam
Conciderant, illo percutiente, feræ.
Nec tamen Auroræ male se præbebat amandum.
Ibat ad hunc sapiens a sene Diva viro. 96
Sæpe sub ilicibus Venerem, Cinyraque creatum,
Sustinuit positos quælibet herba duos.

Revoluta pignora novare est, si cum filio suo congressa mater liberos inde pariat. Nam et liberi utriusque ii sunt, quia ex utroque geniti, et fratres Patris sui sunt, quia et hic et illi eandem matrem agnoscunt, denique et nepotes matris suæ sunt, quia ex ejus filio concepti. Ita illa contra jus naturæ, cum liberos tantum parere possit, parit etiam nepotes. non dubitabunt de hac lectione, qui Statianum genium intelligunt. nam et confirmatur ex Senec. Œdip. 1940. et seqq. idem v. Theb. 475. *Nomen avi renovo.* Heins.

94. *Conciderant.*] Alter Moreti *inciderant.* unus Heinsii *ceciderant.* proxime ad veram lectionem, quæ est in Lovaniensi codice, *deciderant.* eleganter. ita Statius viii. Theb. 124.

Ut Leo Massyli, cum lux stetit obvia ferri,
Tunc iras, tunc arma citat; si decidit hostis,
Ire super satis est, vitamque relinquere victo.

Idem lib. ix. 755.

Fusum donec prolapsus in Idam
Decidit.———

Claudian. Præfat. i. in Ruf.

Phœbeo domitus Python cum decidit arcu.

Et ita sæpe τὸ *occidit* occupavit locum τοῦ *decidit.* v. ad x. Met. 10. et xiv. 805. sic et *dejicere* proprium in hac re verbum Claud. ii. Rapt. Pros. 39.

Tergeminique ducis numerosos dejicis artus.

V. ad Phædr. ii. 2. et Vorst. ad Valer. Max. iv. v. 1. eadem verba *decidere* et *dejicere* de victimis mactatis sæpe occurrunt. ut ad Valer. Flac. i. 191. notabimus. Prudentius tamen Psychom. 539. dixit *concidit Achas.* similiter *concidere* et *decidere,* permutant libri scripti ii. Trist. 317. Burm.

96. *Sapiens.*] Priapej. car. vii.

Nimirum sapiunt matronæ.

Epist. xvii. 275.

——*utetur si qua puella sapit.*

Pro *a sene, de* habent Francof. Scriverianus et quinque alii. sic, *de conspectu fugere,* Phædrus lib. i. Fab. 17. ubi vide Scheffer. Burm.

Cinyraque creatum.] Adonem Cinyræ filium ex Myrrha significat, quem Venus amasse traditur: percussus apro interiit. Vide Ovid. lib. v. Metam. Ant.

98. *Sustinuit positos quælibet herba duos.*] Malim, si per libros liceat, *quamlibet;* ut Epistola Canaces:

Urnaque nos habeat quamlibet arcta duos.

Plura de hoc loquendi modo mox notabimus Ep. vi. Heinsius. Ego nil mutem. *quælibet,* est obvia quæque, licet vilissima et non delicata. etiam gramen, ut solebant ævo simplici et aureo. Propert. i. viii. 4.

Et sine me vento quolibet ire paras.

Petron. 127. *In hoc gramine pariter compositi.* Vid. Epist. v. 14. Burm.

Arsit et Œnides in Mænalia Atalanta.
Illa feræ spolium, pignus amoris, habet.
Nos quoque jam primum turba numeremur in ista.
Si Venerem tollas, rustica silva tua est.
Ipsa comes veniam: nec me salebrosa movebunt
Saxa, nec obliquo dente timendus aper.
Æquora bina suis oppugnant fluctibus Isthmon,
Et tenuis tellus audit utrumque mare.
Hic tecum Trœzena colam, Pittheïa regna;
Jam nunc est patria gratior illa mea.
Tempore abest, aberitque diu Neptunius heros;
Illum Pirithoi detinet ora sui.
Præposuit Theseus (nisi si manifesta negamus)
Pirithoum Phædræ, Pirithoumque tibi.

106. *Audit.*] Slichtenh. ex lib. vi. Metam. 419.

Quæque urbes aliæ bimari clauduntur ab Isthmo.

Legebat *claudit.* sed nihil mutandum. Senec. Thy. 113.

Vicina gracili dividens terra vada
Longe remotos latus exaudit sonos.

Stat. i. Theb. 335. in descriptione Isthmi:

In mediis audit duo litora campis.

Sil. v. 399.

——Fractasque in rupibus undas
Audit Tartessos latis distermina terris. Heins.

Capiunt hæc omnes interpretes de Isthmo Corinthiaco, ut et Heinsius ad lib. vii. Met. 396. sed manifestum est agi de Trœzene, quæ non in Isthmo Corinthiaco, ut imperite Hubertinus, sita, sed remotior ab illo, quam ut Ægeum et Ionium audiret mare. sed credo Trœzenen sitam fuisse in Chersoneso quadam, et eam alluisse ab utraque parte mare. unde legendum putem:

Et tenuis tellus audit utrimque mare.

Intelligit fauces Chersonesi, in quibus Trœzene utraque parte fluctibus maris feriebatur. *Ambit utrumque* erat in duobus. *utrimque* vero et *utrumque* facile confudisse librarios ex Propertio. lib. iii. xx. 22. constat. et postea vidi Gronovium ad Senec. Thyest. 112. hunc versum ita adducere, licet nihil moneat. Burm.

109. *Tempore abest, aberitque diu.*] In tempore et opportune abest. quæ duo Plautus etiam in Asinaria conjunxit. sic Cicero in Offic. *Ad cœnam tempore venit.* quomodo et alibi idem. Phædr. lib. iv. Epilog.

Qui sint, requiris; apparebunt tempore.

Ceterum a Nasone scriptum fuisse arbitror, *absitque diu.* sic voventes et bonum augurium captantes loquebantur. Noster Pont. lib. iv. El. xii.

Hic cumulus nostris absit abestque malis.

Virgilius lib. x.

Æneas ignarus abest, ignarus et absit. Heins.

Retineo *aberit.* non enim ex voto suo,

Sola nec hæc nobis injuria venit ab illo:
  In magnis læsi rebus uterque sumus.
Ossa mei fratris clava perfracta trinodi
  Sparsit humi: soror est præda relicta feris.
Prima securigeras inter virtute puellas
  Te peperit, nati digna vigore parens.
Si quæras, ubi sit; Theseus latus ense peregit:
  Nec tanto mater pignore tuta fuit.
At ne nupta quidem, tædaque accepta jugali.
  Cur? nisi ne caperes regna paterna nothus.
Addidit et fratres ex me tibi: quos tamen omnes
  Non ego tollendi caussa, sed ille fuit.

quod incertum et timidum faceret Hippolytum, sed ex certa notitia loquitur, ut confidentiorem faceret adolescentem. BURM.

112. *Pirithoum Phædræ.*] De Phædra sic Hyginus: *Phædra Minois filia, Thesei uxor, Hippolytum privignum suum adamavit, quem cum non potuisset ad suam perducere voluntatem, tabellas scriptas ad virum suum misit, se ab Hippolyto compressam esse, seque ipsa suspendio necavit, et Theseus re audita filium suum laribus excedere jussit, et optavit a Neptuno patre filio suo exitium. Itaque cum Hippolytus equis junctis veheretur, repente e mari Taurus apparuit, cujus mugitu equi expavefacti Hippolytum distraxerunt, vitaque privarunt.* CIOF.

113. *Nec sola hæc ad nos injuria venit.*] *Sola nec hæc* scripti, præter Barberinum codicem et alterum Lovaniensem Societatis Jesu, in quibus: *Sola nec hæc nobis injuria venit.* eleganter. Tò *venire* enim cum tertio casu jungit frequenter Ovidius, ut in Fastis lib. v. 648. fide optimorum codicum:

Et tandem Caco debita pœna venit.

Sic et Græci ἔρχεσθαι pro *esse*. Propertius multus quoque est in hac locutione.

Vetus interpres Matth. xxi. 5. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus,* ἰδοὺ ὁ βασιλεὺς σοὶ ἔρχεται πραΰς. HEINS. Mollius fore si legatur, *sola neque hæc,* censebat Francius, ne concurrant *nec* et *hæc.* ut vero *injuria venire* hic dicitur, ita et Statius vi. 634.

Eque tuo venit hæc injuria voto.

BURM.

121. *At nec nupta.*] Mollius est, *at ne nupta quidem,* ut est in Francofurtensi et plurimis aliis, nec non in vetustis editionibus aliquot. BURM.

At nec nupta quidem.] Alia injuria, quod non acceperit uxorem legitimam Hippolytam, matrem Hippolyti, idque factum fuisse dicit a Theseo in odium Hippolyti: ut non legitime natus, non posset succedere paternæ hæreditati.

122. *Cur.*] Scil. non est accepta.

123. *Addidit fratres,* &c.] Id est, genuit etiam alios filios ex me, qui sunt fratres tibi: nam si amasset te, non curasset ex alia muliere suscipere, ne te offenderet. ex Phædra enim natus est Demophoon, et Antilochus. vel ut alii volunt, Acamantes.

124. *Sed ille fuit.*] *Non ego tol-*

O utinam nocitura tibi, pulcherrime rerum,
  In medio nisu viscera rupta forent!
I nunc, sic meriti lectum reverere parentis;
  Quem fugit, et factis abdicat ille suis.
Nec, quia privigno videar coïtura noverca,
  Terruerint animos nomina vana tuos.
Ista vetus pietas, ævo moritura futuro,
  Rustica Saturno regna tenente, fuit.
Juppiter esse pium statuit, quodcumque juvaret:
  Et fas omne facit fratre marita soror.
Illa coït firma generis junctura catena,
  Imposuit nodos cui Venus ipsa suos.
Nec labor est; celare licet. pete munus ab illa.
  Cognato poterit nomine culpa tegi.
Viderit amplexos aliquis; laudabimur ambo.
  Dicar privigno fida noverca meo.

lendi caussa, sed ille, fui. malebat Francius. ut Epist. viii. 41. *Tu mihi, quod matri pater, es.* sed parum refert.

132. *Rustica Saturno.*] Post hunc versum insulse codices nonnulli hoc distichon addunt:

Saturnus periit, perierunt et sua jura.
Sub Jove nunc mundus. jussa Jovis sequere. Heins.

Vel *jussa tuere Jovis*: addita vero hæc est glossa, *alii textus antiquiores non habent hos versus.* In Palatino ita legitur:

Sub Jove mundus adest, jura Jovis sequere.

Et Mycillus nothos esse, nec Ovidianæ elegantiæ notavit.

134. *Fratre marita soror.*] Sligtenhorstio videbatur legendum, *fratris amica soror.* Heinsius. Insolentior scilicet ipsi videbatur constructio. ut et Douzæ, qui capiebat *fratre* pro *fratri.* sed ita et Horat. iii. Od. 5.

Milesne Crassi conjuge barbara
Turpis maritus vixit. Burm.

136. *Nodos.*] Vide quæ de hac voce notamus ad Petron. c. lxxx. sic Lucret. lib. iv. 1142. dixit *Veneris perrumpere nodos.* Burm.

137. *Nec labor est, celare licet.*] Scribe, *Non labor, et celare licet.* ut τὸ est subintelligatur. Heins.

139. *Viderit amplexus aliquis.*] *Amplexos* Puteaneus. Val. Flaccus lib. iv. 701. qui locus non est sollicitandus:

——— *pallentia jungunt*
Oscula, vix primis amplexi luminis oris.

Silius lib. xii. 741.

Inque vicem amplexi. permista voce triumphum
Tarpeii clamant Jovis.

Sic Epistola Medeæ ex libris antiquis:

Complexos utinam Symplegades elisissent.

Non tibi per tenebras dabitur reseranda mariti
Janua, non custos decipiendus erit.
Ut tenuit domus una duos, domus una tenebit.
Oscula aperta dabas, oscula aperta dabis.
Tutus eris mecum, laudemque merebere culpa;
Tu licet in lecto conspiciare meo.
Tolle moras tantum, properataque fœdera junge.
Qui mihi nunc sævit, sic tibi parcat Amor.
Non ego dedignor supplex humilisque precari.
Heu! ubi nunc fastus, altaque verba, jacent?
Et pugnare diu, nec me submittere culpæ
Certa fui: certi si quid haberet Amor.

Virgilius Æneid. 18.

Complexi inter se noctemque diemque morantur. Heins.

Priscianus lib. viii. p. 791. Edit. Putf. multis exemplis adstruit veteres *Amplecto* et *amplexo* dixisse, et profert illud ex Petronio fragmentum: *Animam nostro amplexam in corpore, περιπλεχθεῖσαν.* Burm.

142. *Non custos.*] *Non custos* meliores. Heins. Eleganter talem amorem *incustoditum* vocat Tacitus xii. Annal. 4. in præcedenti versu illud epitheton *duri* adprehendisse librarios puto, ut obvium in hac re, sed hic minime necessarium, cum neque *custodi* addatur epitheton. in Junii codice erat:

Non tibi per tenebras dabitur reseranda mariti
Janua.———

Eleganter, ut puto. infr. xvi. 15.

———*Nos dabimus quod ames.*

Et v. 205.

Non dabimus certe socerum tibi clara fugantem
Lumina.——— Burm.

147. *Properataque fœdera.*] In membrana Scriverii et mea erat, *sociatuque fœdera* pro varia lectione, quod non est contemnendum, sic *sociare cubilia* Ep. iii. et similia: In Barbariniano et Basileensi codice erat, *properataque gaudia*; forte bene. Art. Am. ii. 481.

——*Cum quo sua gaudia jungas*
Invenit in media. Heins.

Non placet *sociata.* quod librarius repetisse ex vers. 17. videtur. *Properata* enim vult vel *fœdera* vel *gaudia* jungi, quia metuebat Thesei reditum, qui nunc tempore absens, opportunitatem dabat ad tuto coëundum. si quid mutandum, mallem *sperataque gaudia junge.* in Scriveriano erat etiam, *Tolle moras, oro.* Burm.

149. *Ego.*] Quæ sum neptis Jovis, et Solis.

150. *Heu ubi nunc fastus altaque verba jacent.*] *Ubi nunc flatuit* mendose alter Moreti. Sed *flatus* forte reponendum. Vide quæ notavi ad librum i. Artis Am. 715. Porro libri nonnulli, *Heu mihi.* Excerpta Puteani, *Hei mihi!* ut opiner legendum:

Hei mihi! quam fastus, altaque verba jacent.

Victa precor, genibusque tuis regalia tendo
Brachia. quid deceat, non videt ullus amans.
Depuduit, profugusque pudor sua signa relinquit.
Da veniam fassæ, duraque corda doma.
Quo mihi, quod genitor, qui possidet æquora, Mi-
Quod veniant proavi fulmina torta manu? [nos?
Quod sit avus, radiis frontem vallatus acutis,
Purpureo tepidum qui movet axe diem?
Nobilitas sub amore jacet. miserere priorum:
Et, mihi si non vis parcere, parce meis.
Est mihi dotalis tellus, Jovis insula, Crete:
Serviat Hippolyto regia tota meo.

158. *Proavi.*] Atqui vulgo Minos filius Jovis creditur, ergo Jupiter avus Phædræ erit. sed cum duo Minoës fuerint, et secundus Lycastæ filius prioris Nepos, poterit Jupiter longius a Phædra quidem removeri, nec tamen *proavus* dici, sed *Abavus:* quamvis Poëtæ hos gradus tam diligenter non observare videantur, immo nec ipsi sæpe Historici, vid. ad Vell. Pater. i. 2. Confundi vero duos Minoas docuit egregie Broukhusius ad Propert. iii. Eleg. xvii. v. 21. sed *Proavus* proprie quoque Phædræ dici potest Jupiter matrem: Pasiphaës enim pater Sol, et hujus Jupiter. et sequens distichon indicat Nasonem hoc potius stemma elegisse, quia in altero Minoës confundi solebant. ceterum in Francofurtensi codice erat a manu prima, *Proava fulmina missa manu.* elegantissime. et ita *Proava tropæa,* Propertio lib. iv. xi. 29. asserere volebat Barthius, non probante Broukhusio. Burm.

159. *Vallatus.*] Eleganter, quasi corona cinctus, ita ut radii acuti illi telorum speciem præbeant. Et ita Lucianus de Saltatione. p. 505. Edit. Bourdel. dicit Æthiopes radiorum instar tela capiti circumdare, et hoc illis vicem Pharetræ præstare. et Claudian. Idyll. iv. de Nubis.

Et gens compositis crinem vallata sagittis.

Ut recte Heinsius restituit pro *velatus;* quod verbum et hic quatuor codicibus insederat. Burm.

160. *Qui movet.*] Mentelianus pro diversa lectione, *vehit.* ut in Amor. i. xiii. 2.

Flava pruinosum quæ vehit axe diem.

Fast. iii. 518.

Purpureum rapido qui vehit axe diem.

Burm.

163. *Est mihi dotalis.*] Si hanc vocem vulgato sensu velimus capere, consequetur Cretam fuisse in dotem Phædræ datam, quod neque veterum quisquam tradidit, neque fieri potuerit, cum Minoi esset filius Deucalion, qui ipsi successit, et illi frater Catreus, huic vero Idomeneus Deucalionis filius. v. Meursii Cretam lib. iii. cap. 3. et 4. præterea notarunt jam viri docti Heroidas non adtulisse dotales terras maritis, sed contra procos emisse sibi sponsas muneribus, quæ dotis vi-

Flecte feros animos. potuit corrumpere taurum
Mater. eris tauro sævior ipse truci?
Per Venerem parcas, oro, quæ plurima mecum est:
Sic numquam, quæ te spernere possit, ames.
Sic tibi secretis agilis Dea saltibus adsit,
Silvaque perdendas præbeat alta feras.
Sic faveant Satyri, montanaque numina Panes:
Et cadat adversa cuspide fossus aper.

cem illis præstabant. vide Salmas. de Modo Usurar. p. 138. Ampl. Cuper. 1. observ. 20. et Cl. Perizon. ad Ælian. iv. 1. unde etiam sæpe *dos* ipsa illa munera vocabantur, ut notat Barthius ad Claud. i. de Rapt. 28. sed non perpetuam tamen hanc fuisse consuetudinem, sed et dotatas etiam Heroici seculi puellas ad viros venisse patet ex Apollon. Rhod. ii. v. 238. Euripid. Hippol. 625. et aliis. quod tunc præcipue usu veniebat, si nulli essent illis fratres, et ideo successio ad illas deferretur, ut ita epistola sexta Hypsipyle *dotalem* Lemnon recte offert Jasoni, neque in eo erravit Poëta noster, ut volebat Salmasius. præterea si qua femina novum conderet regnum, poterat illud viro *dotale* dare, ut Dido Æneæ offert apud Virgil. iv. Æneid. 103. Quare statuendum videtur, Poëtam hic vel non satis attendisse ad antiquorum temporum rationem, ut et in sequenti Epistola lapsum ejus videbimus, vel illum, parum de antiquitate sollicitum, omnia Phædræ tribuisse lenocinia, quibus castum Hippolytum corrumpere posset, et ideo splendidæ etiam dotis mentionem injecisse. quod forte Hubertinus voluit, qui ad hunc locum oratorio magis, quam historico more loqui Ovidium notavit. forte posset et legi:

Est mihi natalis tellus, Jovis insula, Crete.

Ut post memoratos majores, nunc etiam nobilitatem natalis soli jactet, et obscure inducere tentet Hippolytum, ut si Thesea timeat, secum abeat in Creten, ubi contra Patris vim tutus esse possit, et voveat ipsi magis, quam promittat regnum. et ideo sequens versus pro voto capiendus, et in parenthesi ponendus:

Serviat Hippolyto regia tota mea.

Utinam Patris Minoi mei regia meo Hippolyto cederet, et serviret. in quibusdam codicibus est *serviet*, quod adfirmationem contineret, quasi Hippolyto sponderet regnum. ut apud Silium iii. 150. *Thybris tibi serviet omnes.* Francius corrigebat:

Serviat Hippolyto dos ea tota meo.

Sed ego tantum mihi non permitto. Burm.

165. *Flecte feros.*] *Ferox* Sarravian. sed male. Catalect. Pith. p. 46. *Flecte truces animos.* ut Heins. ad Ovid. ii. Met. 482. correxit. sed nihilominus distichon hoc nescio quo modo non satisfacit, nec Ovidianæ venæ esse videtur, ut fortasse æque ac præcedens sit intrusum. Aptius enim oratio procederet si illa connecterentur,

Et mihi si non vis parcere, parce meis.
Per Venerem parcas, oro, &c.

Burm.

Sic tibi dent Nymphæ (quamvis odisse puellas
Diceris) arentem quæ levet unda sitim.
Addimus his lacrimas precibus quoque: verba pre-
Perlegis; at lacrimas finge videre meas. [cantis

EPISTOLA V.

ŒNONE PARIDI.

Perlegis? an conjux prohibet nova? perlege: non
Ista Mycenæa litera facta manu. [est
Pegasis Œnone, Phrygiis celeberrima sylvis,
Læsa queror de te, si sinis ipse, meo.

176. *Perlegis, et lachrymas finge videre meas.*] Acute in libro suo Gruteus emendarat,

Addimus his precibus lachrymas quoque. verba precantis
Perlegis, et lachrymas finge videre meas.

Dan. Heinsius. *Perlege et* tres libri. Lincolniensis, *Perlege, sed.* bene, nisi fallor. Certe illud *Perlegis* subnatum videtur ex primo verbo sequentis epistolæ. At vero opinor unam literam elisam esse, et scribendum *Perlegito.* adi notas nostras lib. i. Art. Am. 225. ubi plura hujusmodi collegimus. libr. ii. Met. 131. *Polumque effugit Australem.* cum *Effugito* reponi debere monuerim. volui aliquando *dum legis.* vel *ut legis.* optimo sensu, nisi quod longius absit a vulgata scriptura. Heinsius. Ego vero legerem:

————*Verba precantis*
Perlegis; at lacrimas finge videre meas.

Addimus nos quidem precibus nostris lacrimas, sed quas tibi non possimus præsenti fundere. tu tantum *legis* verba, aut, ut spero, et initio Epistolæ rogavi, *perlegis*, sed quæso, finge lacrymas te simul videre, quas ego addo quidem verbis dum scribo, sed ad te perferendas, ut verba, dare non possum. Burm.

A principio hujus Epistolæ in quibusdam versus duo præponuntur, quos pro nothis et adulteris alii rejiciunt. Nam neque Ovidianæ elegantiæ respondent, et adfectum, quem Poëta principio abrupto captavit, intervertunt. quare et hos seorsim, et diverso charactere scribendos curavimus. Micyllus. Excerpta Puteani et nonnulli ex nostris sequens distichon Œnones Epistolæ præfigunt, quod ab aliis rectius abest:

Nympha suo Paridi (quamvis meus esse recuses)
Mittit ab Idæis verba legenda jugis. Heins.

De distichis initio Epistolarum Ovidii præfixis vide Schott. ii. Observ. 53.

3. *Pegasis.*] *Nympha Nais,* id est amnis Cebreni filia, atque eo pacto se

Quis Deus opposuit nostris sua numina votis?
Ne tua permaneam, quod mihi crimen obest?
Leniter, ex merito quidquid patiare, ferendum est:
Quæ venit indignæ pœna, dolenda venit.
Nondum tantus eras, cum te contenta marito,
Edita de magno flumine Nympha, fui.
Qui nunc Priamides, (adsit reverentia vero)
Servus eras: servo nubere Nympha tuli.
Sæpe greges inter requievimus arbore tecti;
Mixtaque cum foliis præbuit herba torum.
Sæpe super stramen, fœnoque jacentibus alto
Defensa est humili cana pruina casa.
Quis tibi monstrabat saltus venatibus aptos;
Et tegeret catulos qua fera rupe suos?

distinguit ab ejusdem nominis aliis. Œnone enim fuit etiam Budionis filia, a qua Ægina insula appellata *Œnone.* Prius est, ut autumat Pythonetus, Æginetarum prima. Œnotium præterea celebrat Euripides in Iphigenia, Æaco patre natam. PARRHASIUS. Ita quidem omnes legunt, ac Œnonem *Pegasion* appellative dictam accipiunt pro Naide, sive Nympha fontana. ἀπὸ τῆς πηγῆς. quod nomen fontem Græcis significat. fuit enim Œnone filia Cebrenis, quem fluvium Herodianus, citante Stephano, vocat. a quo et Cebrenia regio sub Ida monte appellata. Ceterum quia tamen alibi idem nomen *Pegasidis* absolute pro Nympha, ac generaliter positum non facile reperitur, ipsumque patronymicum *Pegasis*, a *Pegaso* magis, quam a πηγὴ factum videtur, dubitare soleo, num pro *Pegasis*, *Pedasis* legendum sit. ut sit gentile nomen, a Pedaso oppido tractum, quod sub Ida olim situm fuit, vicinum Cebreniæ regioni. Nam ab eodem et Pedasides Masculini generis Patronymicum, Græcis aliquando usurpatum apud Stephanum legimus. Quod hic adnotare libuit, ut amplius cogitandi occasionem studiosis præberemus. Porro totam Œnones et Paridis fabulam tractavit Parthenius in Eroticis, et collegit ejus pleraque Phavorinus quoque in dictione *Œnone.* MICYLLUS. id est πηγῆς sive fontis filia. ut recte Passerat. ad Propert. iii. Eleg. i. p. 407. docuit, et inde *Pegasidas* Musas vocari.

12. *Nympha tuli.*] Ovidiana locutio, sed sæpe a librariis expulsa. xiii. Met. 460.

Scilicet aut ulli servire Polymena ferrem.

Ubi alii *vellem*, lib. xi. Met. 447.

Nec tulit Halcyonen in partem adhibere pericli.

Ita MSS. vulgo *nec vult.* Ep. xv. 155. ex MSS. Heinsius restituit:

Tene manus umquam nostræ dimittere ferrent. BURM.

14. *Herba torum.*] Ut moris erat antiquo seculo amantibus. Proper. iii. Eleg. xi. 35.

Hinulei pellis totos operibat amantes,
Altaque nativo creverat herba toro.

Vid. Ep. præced. 98. BURM.

Retia sæpe comes, maculis distincta, tetendi;
Sæpe citos egi per juga longa canes.
Incisæ servant a te mea nomina fagi:
Et legor Œnone, falce notata, tua:
Et quantum trunci, tantum mea nomina crescunt:
Crescite, et in titulos surgite recta meos.
Populus est (memini) fluviali consita ripa,
Est in qua nostri litera scripta memor.
Populе, vive precor, quæ consita margine ripæ,
Hoc in rugoso cortice carmen habes:
Cum Paris Œnone poterit spirare relicta,
Ad fontem Xanthi versa recurret aqua.

19. *Distincta maculis.*] Id est nodis. *Maculis.*] Sic maculæ in arboribus et lignis. Vide Clariss. V. D. Gron. Observ. lib. iii. c. xi.

25. *Ripa.*] MSS. xxxiii. *rivo*, quod et agnoscit Gualth. Alexandr. lib. i.

Dumque vetustatis saltem vestigia quærit
Sedulus, objicitur fluviali consita rivo
Populus Œnone.

Ubi de Alexandri expeditione in Phrygiam agit, ut forte *fluvialis rivus* sit dictus pro torrenti rivo. sed tamen nil temere mutem. Stat. i. Syl. Epith. Stel. v. 245. *Fluminea ripa.* Heins. Neque ego, quia certum est ad ripas populos fere conseri. Val. Flac. v. 186.

Populeos flexus, tumulumque virentia supra
Flumina cognati medio videt aggere Phrixi.

Populos vero in Troade fuisse frequentes docuit Sam. Petitus lib. vi. Miscel. c. 10. et cum ista arbor maxime undis et humidis locis gaudeat, teste Virgilio Eclog. vii. v. 66. et circa Idam in vallibus essent plurimi fontes, unde *celeberrima fontibus Ide,* Nostro dicitur ii. Metam. 218. et *aquosa* vi. Fast. 15. et alibi, optime huic arbori amores suos inscripsisse inducitur Œnone. sequenti vero disticho mallem, *quæ margine consita rivi.* et multi codices, sequens distichon præponunt huic. Burm.

28. *Rugoso.*] Quod indicat vetustatem arboris, Metam. vii. 627.

Rugosoque suum servantes cortice callem.

Multi quoque codices hic *nomen habent;* sed perperam. Burm.

30. *Ad fontem Xanthi.*] Jam illud proverbium Græcis usurpatum frequens innuit, dubio procul, quod illi *ἄνω ποταμῶν.* Ex Euripidis iambico in Medea, sic enim chorus:

Ἄνω ποταμῶν χωροῦσι πάγαι.

Unde etiam Horatius: *Quis neget arduis Pronos relabi posse rivos montibus, et Tyberim reverti?* Cicero quoque in Epistolis ad Atticum, principio tantum Græci versus usus, adagii hujus meminit. Egnatius. Xanthus haud dubie ex monte decurrebat, unde *ἀδύνατον*, ut retro posset flecti. Claud. i. Eutr. 353.

...; Ovid here abandons the genuine old story –

Xanthe, retro propera; versæque recurrite lymphæ;
Sustinet Œnonen deseruisse Paris.
Illa dies fatum miseræ mihi dixit: ab illa
Pessima mutati cœpit amoris hiems:
Qua Venus et Juno, sumptisque decentior armis,
Venit in arbitrium nuda Minerva tuum. 36
Attoniti micuere sinus, gelidusque cucurrit,
Ut mihi narrasti, dura per ossa tremor.

Prona petunt retro fluvii juga.
Ita enim cum melioribus MSS. legendum. Heins.

31. *Versæque recurrite lymphæ.*] *Nymphæ* Puteaneus et septem alii. lib. iv. Metam. 297.

——Videt hic stagnum lucentis ad imum
Usque solum Nymphæ.

Ita scripti nonnulli: Statius Villa Surrentini, ii. Silv. ii. 18.

———Occurrit dulcis amaro
Nympha mari.

Et Theb. v. 519.

——Trepidæque latent in pulvere Nymphæ.

Rutilius Itinerario, 265.

Elicitas simili credamus virgine Nymphas.

Ubi *lymphas* perperam reponunt. Propert. lib. iii. xiv. 4. ex veteri codice:

Et cadit in patulos Nympha Aniena lacus.

Ubi *patulos specus* legendum. in cavatas enim rupes sese Anio præcipitat. Ita Græcis νυμφολήπτοι, qui Latinis *lymphati.*

33. *Illa dies fatum miseræ mihi dixit.*] *Dixit* Puteaneus, Argentinensis, et quatuor alii. bene, apto ad hanc rem verbo. Horat. lib. iii. Od. iii.

Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico.

Virgil. Ecl. i.

Sæpe malum hoc nobis, si mens non læva fuisset,
De cœlo tactas memini prædicere quercus.
Sæpe sinistra cava dicebat ab ilice cornix.

Ita codices complures, non *prædixit.* Gell. lemmate capitis primi lib. xiv. *De iis qui ex cœtu motibusque siderum, fata se hominum dicturos pollicentur.* Proper. lib. iv. Eleg. i.

Si modo Avernalis tremulæ cortina Sibyllæ
Dixit Aventino rura pianda Remo.

Et Tibul. i. Eleg. vi. de Bellonæ Sacerdote:

Et tibi nescio quas dixit mea Delia pœnas.

Noster Ibide v. 245. *Præsagia dicere.* hinc *fatidici vates.* et *dictio* pro oraculo Apollinis apud Accium et Pacuvium; et Plautum Menæchmis, *dictum Apollinis.* apud Solinum. cap. ix. in optimis codicibus de Macedonia, *responsum dictum Deo,* non *datum.*

35. *Qua Venus, et Juno sumptisque decentior armis, Venit in arbitrium nuda Minerva tuum.*] Attingit etiam Paridis judicium infra, cujus ante meminerunt Lycophron, Euripides, Coluthus, Lucianus, et Virgilius. De hoc judicio multa præclara ex Græcis auctoribus collegit Lud. Cœlius lib. et cap. xix. Antiq. Lectionum. Ciof.

37. *Attoniti micuere sinus.*] Cor mihi exercet artem ludricam, dicit Plautus, cum illius trepidationem exprimit.

Consului (neque enim modice terrebar) anusque,
Longævosque senes: constitit esse nefas.
Cæsa abies, sectæque trabes, et, classe peracta,
Cærula ceratas accipit unda rates.
Flêsti discedens: hoc saltem parce negare;
Præterito magis est iste pudendus amor.
Et flêsti, et nostros vidisti flentis ocellos;
Miscuimus lacrimas mœstus uterque suas.
Non sic adpositis vincitur vitibus ulmus,
Ut tua sunt collo brachia nexa meo.
Ah quoties, cum te vento quererere teneri,
Riserunt comites! ille secundus erat.

41. *Parata.*] Gronovii et tres alii *peracta*, quod verum puto. quia vulgo minus frequens. Sueton. Calig. 21. *Quorum operum a successore ejus Claudio alterum peractum.* Oth. 6. *Peragere domum auream.* et has voces sæpe confuderunt librarii. vid. vi. Fast. 587. et 629. Burm.

45. *Nostros vidisti flentes.*] Nonnulli et fortasse rectius: *Et madidos vidisti flentis ocellos.* Nauger. Naugerius *madidos* malit, quod est in nonnullis scriptis, sed frustra. Amor. lib. i. El. viii. 108.

Ut mea defunctæ molliter ossa cubent.

Ubi tamen MS. *ut mihi.* et lib. iii. El. ii.

An magis hic animi meus est, non aëris æstus?

Seneca Hippolyto:

———quis meas miseræ Deus,
Aut quis juvare Dædalus flammas queat.

Ausonius Epist. xxiii.

———non ista duorum
Culpa, sed unius tantum tua.

Virgilius Ciri:

Quod te per Divum crebros obtestor amores,
Perque tuum memoris haustum mihi pectus alumnæ.

Qui locus a viro maximo sollicitari non debuit. Horatius, lib. i. Sat. iv.

———cum mea nemo
Scripta legat vulgo recitare timentis.———

Cicero Philip. ii. *Tuum hominis simplicis pectus vidimus.* apud Livium: *Ut noster duorum eventus ostendit.* Apulej. Metam. ix. *De isto quidem, mi herilis, tecum ipsa videris, quæ sine meo consilio pigrum et formidolosum familiarem istum sortita es; qui insuavis et odiosi mariti tui caperatum supercilium ignaviter perhorrescit, ac per hoc amoris languidi desidia tuos volentis amplexus discruciat.* Ita enim, non *volentes*, optime in quibusdam codicibus exstat. Martial. lib. vii. Ep. 50.

Si tenet absentis nostros cantatque libellos.

Adeatur Scaliger lib. ii. Ausonianarum Lect. cap. xii. et Taubm. ad Plaut. Men. v. ii. 118. et Pseud. i. i. 4. pari modo et Græci. apud Sophocl. Τά μα δυστήνου κακά. Homer.

Δαὴρ αὖτ' ἐμὸς ἔσκε κυνώπιδος.

Heins.

50. *Secundus.*] Scilicet mihi amanti, quia te retinebat, nec illo flante ab-

Oscula dimissæ quoties repetita dedisti!
  Quam vix sustinuit dicere lingua, Vale!
Aura levis rigido pendentia lintea malo
  Suscitat; et remis eruta canet aqua.
Prosequor infelix oculis abeuntia vela,
  Qua licet; et lacrimis humet arena meis.
Utque celer venias virides Nereïdas oro.
  Scilicet ut venias in mea damna celer.
Votis ergo meis alii rediture redîsti?
  Hei mihi, pro dira pellice blanda fui!
Adspicit immensum moles nativa profundum;
  Mons fuit: æquoreis illa resistit aquis.
Hinc ego vela tuæ cognovi prima carinæ:
  Et mihi per fluctus impetus ire fuit.

ire poteras. v. Epist. xiii. 3. Valer. Flac. ii. 406. Propert. i. Eleg. vi. 17. Burm.

55. *Abeuntia vela.*] Regius unus *fugientia.* quod imitatio auctoris Declamat. xiii. 6. sub nomine Quinctiliani, posset probabile facere: *Inde fugientia vela longo visu prosecuti.* sed Noster Ep. xii. 551.

Tristis abis, oculis abeuntem prosequor udis. Burm.

56. *Et lacrimis.*] Quidam codices *in lacrimis* forte recte, nam amat Noster similes locutiones. Epist. i.

Nomine in Hectoreo pallida semper eram.

Et mox:

In immensis qua tumet Ida jugis. Burm.

59. *Ergo.*] Corripit hic ultimam Ovidius, quod Heins. ad i. Trist. i. 87. umquam fieri ab Ovidio negat.

60. *Hei mihi pro dirâ pellice blanda fui!*] Puteaneus et alii nonnulli ex melioribus, *Et mihi.* Gronovianus, *Et tibi.* Puto Ovidium scripsisse:

Et dis pro dirâ pellice blanda fui.

Ut Noster alibi:

Et pro delictis hostia blanda fuit.

Hinc *blandum tus* dici opinor Propertio lib. iv. El. 6. et Tibullo iii. Eleg. 3. Horat. iii. Od. 23.

Immunis aram si tetigit manus,
Non sumptuosa blandior hostia
Mollibit aversos penates
Farre pio, et saliente mica.

Hæc vero Ovidii verba respexit Deianira apud Senec. Herc. Œt. 292.

Vota, quæ superis tuli,
Cessere captæ, pellici felix fui. Heins.

62. *Illa resistit.*] Scribendum opinor *icta.* ita proprie aquis *ici* et *feriri* dicuntur litora, et scopuli, et naves. vid. xi. Metam. 556. et ad Valer. Flac. iv. 48. pro *nativa* vero erat in Vossiano codice *ignata*, quod est *innata.* ut Epist. vii. 37.

Innataque rupibus altis
Robora.———— Burm.

63. *Hinc ego prima tuæ prospexi vela carinæ.*] *Cognovi* unus Vaticanus. mihi *prospexi* magis placet. Ciofanus. *Vela tuæ cognovi*, scripti omnes.

Dum moror, in summa fulsit mihi purpura prora;
Pertimui: cultus non erat ille tuus.
Fit propior, terrasque cita ratis attigit aura:
Femineas vidi, corde tremente, genas.
Non satis id fuerat: quid enim furiosa morabar?
Hærebat gremio turpis amica tuo.
Tunc vero rupique sinus, et pectora planxi,
Et secui madidas ungue rigente genas:
Implevique sacram querulis ululatibus Iden.
Illinc has lacrimas in mea saxa tuli.
Sic Helene doleat, desertaque conjuge ploret;
Quæque prior nobis intulit, ipsa ferat.

Heinsius. sed *prospexi* confirmat, in simili descriptione, Lucanus viii. 46.

Rupis inabruptæ scopulos, extremaque currens
Litora prospiciens fluctus, nutantia longe
Semper prima vides venientis vela carinæ.

Corip. i. 103.

——— *Pars prospicit una*
Immensum pelagus.

Et proprie *prospicere* est ex alto videre. vid. ad Phædr. i. 17.

69. *Morabar.*] Hæc non intelligo. forte rectius *morabor* cum Leidensi codice. Heins. Francius quoque *morabor* probabat; scilicet narrando. sed perperam, ut puto. Sensus est, non satis fuerat hoc vidisse, quid enim esset quod me moraretur; furor certe egit, ut propius cognoscerem. non sufficiebat mihi ad dolorem movendum feminas præter spem procul in nave vidisse, quare nihil erat quod me in furorem actam retineret, quin propius inspicerem omnem tuum comitatum, in quo vidi mox gremio tuo turpem amicam hærere. simili formula Ep. xii. 117.

Nec tamen extimui (quid enim post illa timerem)

Et Ep. xvi. 221.

Quid enim tamen omnia narrem.
Burm.

70. *Turpis amica.*] Famosa Helena. Vide quæ dixi in Scholiis in lib. Tristium. Ciof.

72. *Genas.*] *Comas*, Junii et Scriverii codices, sollemni permutatione. sed præfero *genas*, quia illæ verius dici possunt madere lacrimis, quam comæ. Ep. xi. 92.

Inque meas unguibus ire genas. Burm.

73. *Implevi.*] Vid. ad Valer. Flac. vi. 726.

Querulis ululatibus Idam.] *Iden* meliores. quomodo sæpe alibi Noster. Ita Stat. Theb. iv. 104. ex MS. Tiliobrogæ et Behotii, et nostro Anglicano:

Et quæ Jove provocat Iden.

Sic et ipse eodem libro. 795.

Magnis resonat clamoribus Ide.

Claud. iii. de Rapt. 140. e MS.

Cum necdum absconderit Iden.

Et Fastor. i. 215. et 247. *Ida* tamen apud Stat. i. Sylv. Equo Dom. ne syllaba claudicet. et sequenti versu *Illinc* pro *Illic* iidem recte. Heins.

75. *Desertaque.*] Posset legi non ineleganter *dejectaque*, ut Ep. xvii. 230. sed et vulgata recte se habet. vid. Ep. xii. 161. Burm.

Nunc tibi conveniunt, quæ te per aperta sequantur
Æquora, legitimos destituantque toros.
At cum pauper eras, armentaque pastor agebas,
Nulla, nisi Œnone, pauperis uxor erat.
Non ego miror opes, nec me tua regia tangit,
Nec de tot Priami dicar ut una nurus.
Non tamen ut Priamus Nymphæ socer esse recuset;
Aut Hecubæ fuerim dissimulanda nurus.
Dignaque sum, et cupio fieri matrona potentis;
Sunt mihi, quas possint sceptra decere, manus.
Nec me, faginea quod tecum fronde jacebam,
Despice: purpureo sum magis apta toro.
Denique, tutus amor meus est tibi. nulla parantur
Bella, nec ultrices advehit unda rates.

77. *Nunc tecum veniunt.*] *Nunc tibi conveniunt* Puteani et Jureti, et Mentelianus codex, et Francof. aliique nonnulli ex præcipuis. recte. qui loquendi modus nostro est familiaris. Amor. iii. Eleg. 8.

Læva manus, cui nunc serum male convenit aurum.

Epistola Sapphus:

Grata lyram posuit tibi, Phœbe, poëtria Sappho.
Convenit illa mihi, convenit illa tibi.

83. *Non tamen ut Priamus.*] Perperam quidam rescribunt, *aut Priamus.* Propert. ii. xv. 21.

Non tamen ut vastos ausim tentare leones.

Virgilius xii. Æneid.

Juturnam, fateor, misero succurrere fratri
Suasi, et pro vita majora audere probavi.
Non ut tela tamen, non ut contenderet arcu.

Guntherus, qui veterum elegantiarum studiosus est. lib. ii. Ligur.

———Romanus tempore prisco
Pauper erat præsul, regali munere crevit;
Nec tamen ut fasces et regia jura Latini
Vel dare personæ, vel cuiquam tollere posset.

Noster Art. Am. iii. 209.

Non tamen ut positas mensa deprendat amator
Pyxidas.

Ita scribendum videtur ex optimo libro, in quo *et positas* vulgo, *expositos.* Heins.

85. *Matrona.*] Sic Plaut. Mostell. i. 3.

Matronæ, non meretricum est, uni inservire amanti.

Matronalis habitus. Justin. vii. 3.

89. *Denique tutus amor meus est tibi.*] Sic distinguit Puteaneus, et alii quidam. Puto scribendum:

Denique tutus amor meus est. mihi nulla parantur
Bella, nec ultrices advehet unda rates.

Tyndaris infestis fugitiva reposcitur armis.
  Hac venit in thalamos dote superba tuos.
Quæ si sit Danaïs reddenda, vel Hectora fratrem,
  Vel cum Deïphobo Polydamanta roga.
Quid gravis Antenor, Priamus quid censeat ipse,
  Consule; quîs ætas longa magistra fuit.
Turpe rudimentum, patriæ præponere raptam.
  Caussa pudenda tua est; justa vir arma movet.
Nec tibi, si sapias, fidam promitte Lacænam,
  Quæ sit in amplexus tam cito versa tuos.
Ut minor Atrides temerati fœdera lecti
  Clamat, et externo læsus amore dolet;
Tu quoque clamabis. Nulla reparabilis arte
  Læsa pudicitia est: deperit illa semel.

Ut ostendat suas nuptias Paridi utiliores fore, quam nuptias Helenæ; et sequens distichon correctionem hanc firmat. Heins. Eleganter tales nuptias *ἀπτολέμου εὐνὰς* vocat Euripides Medea. 643. et *Æschyl.* Agamem. 695. *Τὰν δορύγαμβρον ἀμφινεικῆ Ἑλέναν.* Capoferreus malebat, *cui nulla parantur bella.* Burm.

93. *Hectora fratrem.*] Non prohibet, ut quidam putant: omnino suadet. Hector enim connubii fidem sanctissime coluit. Adjecit Deiphobum, non ex historia, (quippe quem constat auctorem fuisse ne Helene redderetur) sed opinionis errore, et puellari bonitate, quam non decebat esse suspiciosam. Parrhasius.

94. *Polydamanta roga.*] Sunt, qui tam hoc loco, quam Metamorph. xii. v. 547. *Pulidamanta* scribendum censent. quos inter Ciofanus: quod Homero sit Πουλύδαμας passim, et in Πολύδαμας prima corripiatur. sed cum membranæ veteres constanter pro vulgata stent Scriptura, apud Propertium quoque et Silium Italicum et Persium, non ausim immutare receptam scribendi rationem. præsertim cum dialecto Dorica et Πωλύδαμας dicatur. sic *κοράλλον, κουράλλον* et *κωράλλον*, aliaque ejusdem notæ. apud Propertium libro iii. Elegia prima: *Polydamantu sine armis.* apud Persum Satyra prima: *Ne mihi Polydamas et Troïades Labeonem Prætulerint.* apud Silium libro xii. *Polydamanteis juvenis Pedianus in armis Bella agitabat atrox.* Heins.

Priamus quid suadeat ipse.] *Censeat* Lovaniensis. Sic Epistola Helenæ vetus codex. 211.

Quid Priamus de me, Priami quid censeat uxor. Heins.

103. *Tu quoque clamabis.*] Perperam sequentia distinguuntur in vulgatis libris, ac si clamantis Menelai verba sint. quod Poëta minime voluit. forte tamen *damnabis*, et versu superiore *damnat* legendum. Heins. Nihil muto. *clamare* enim est hic Deos inclamare ob temerati fœdera lecti. vid. ipsum Heins. ad Petron. lviii.

Ardet amore tui: sic et Menelaon amavit;
Nunc jacet in viduo credulus ille toro.
Felix Adromache, certo bene nupta marito!
Uxor ad exemplum fratris habenda fui.
Tu levior foliis, tunc cum, sine pondere succi,
Mobilibus ventis arida facta, volant.
Et minus est in te, quam summa pondus arista,
Quæ levis adsiduis solibus usta riget.
Hoc tua (nam recolo) quondam germana canebat,
Sic mihi diffusis vaticinata comis?
Quid facis, Œnone? quid arenæ semina mandas?
Non profecturis litora bubus aras.
Graja juvenca venit, quæ te, patriamque, domumque
Perdat. ïo prohibe; Graja juvenca venit.

107. *Certo marito.*] Qui præter Andromacham justo matrimonio nullam sibi junxit. etsi liberos ex pellicibus eum suscepisse, licet ex Euripide suspicari. quod et Anaxicrates Argolicorum secundo videtur affirmare. Parrhasius.

113. *Germana canebat.*] Tale Lycophronis carmen. sic et Bacchylides vaticinantem induxerat. v. ejus fragmenta apud Fulv. Ursin. p. 208. Heins.

116. *Non profecturis littora bobus aras.*] Consule huic voci *bobus*, cujus brevis est prima, itaque lege *bubus*, per *u*. ut est in vetustioribus, et ratio requirit. Cato de Re Rustica cap. xxxvii. *Ubi uvæ variæ cœperint fieri, bubus medicamentum dato quotannis, uti valeant.* Sæpissime etiam apud Varronem de Re Rust. et ipse lib. Noster i. Fastorum:

Tantaque res paucis pascua bubus erat.

Idem lib. iii. De Arte:

Quid nisi araturis pascua bubus erant?

Horat. in Carm. sæculari:

Quique vos bubus veneratur albis
Clarus, &c. Ciof.

Bubus recte quidam libri. atque ita ubique ex auctoritate optimorum codicum castigandum. Auson. Epig. v. *Abactis bubus.* Vid. Metam. xiv. initio et i. Fast. 244. ex MSS. proverbii vero speciem obtinuit hæc locutio. Noster in Tristibus lib. v. 4.

Non sinet ille tuos litus arare boves.

Juvenal. Satyr. vii.

——— *In pulvere sulcos*
Ducimus, et sterili litus versamus aratro.

Adludit Virgil. iv.

——— *Cui litus arandum*
Cuique loci leges dedimus.

117. *Juvenca.*] Per ambages vaticinium. Nam quod *juvenca* significet adulteram, quæque sui copiam facit, affaniæ sunt et meræ nugæ. quippe cum dicit Ovidius in Arte lib. i. 78.

Multas illa facit, quod fuit ipsa Jovi.

Intelligi voluit in Isæo, id est Isidis templo, puellas exemplo Deæ suis

Dum licet, obscænam ponto, Dî, mergite puppim.
  Heu quantum Phrygii sanguinis illa vehit!
Dixerat. in cursu famulæ rapuere furentem;
  At mihi flaventes diriguere comæ.
Ah nimium vates miseræ mihi vera fuisti!
  Possidet en saltus illa juvenca meos.

amatoribus obsequi, itaque morem gerere, ut ipsa Io olim Jovi. Parrhasius. Probrosa admodum Metaphora in Helenam. Ciof. *Venit* vero positum pro *veniet;* ita solebant vaticinantes. Virg. vii. 98. *Externi veniunt*, ut Servius et plurimi MSS. *juvencam* vero vocat exemplo Græcorum. ita Lycophr. v. 102. vocat *πόρτιν*, quam vocem Tzetzes exponit *Πολύανδρον δαμάλιν*, quod ibi de libidine capi debet. sic quoque quidam codices lib. xii. Metam. 609.

Vinceris a timido Grajæ raptore juvencæ.

Ubi vulgo *maritæ*. Jo. Iscanius, non ineptus Poeta, de bello Trojano lib. iii. 374. manifesta imitatione Ovidii:

——— Tunc illa juvenca,
Quæ saltus ingressa novos, præsepe paternum
Incesta liquisse fuga, taurumque jugalem
Diceris. Burm.

118. *Iö.*] Dictio hoc loco commiserationis et doloris plena, alibi lætitiæ. Ciof.

121. *Dixerat incursu.*] Alii plerique divisis dictionibus *in cursu* legunt, quasi dicat in medio vaticinandi cursu sive calore. Ego vero etiam una dictione *incursu*, pro accursu, et interventu recte legi existimo, ut intelligamus famulos incursu et interventu suo vaticinantem longius progredi prohibuisse. Mycil. Lege, *in cursu famulæ rapuere furentem.* hoc est, in ipso furoris cursu. De quo loquendi more plura lib. x. Met. in Fab. Myrrhæ dixi. Cicer. Tusc. Quæst. i. *Nonne modo pueros, modo adolescentes in cursu a tergo insequens, nec opinantes assecuta est senectus?* id est in ætatis cursu. Nisi cui scribendum videatur hoc loco:

Vox erat in cursu. famulæ rapuere furentem.

Amor. lib. i. El. viii.

Vox erat in cursu, cum me mea prodidit umbra.

Fast. v. 245.

Vox erat in cursu: vultum dubitantis habebam.

Fast. vi. 362.

Spes erat in cursu: nunc lare pulsa suo est. Heins. vid. Ep. vi. 39.

Rapuere.] Nam Priamus imperaverat, ut quoties Cassandra solveret os in oracula, toties eam famulæ cœrcerent marmorei thalami claustris, ut insanam. meminit Lycophron et ejus interpres. Parrh.

123. *Nimium vera.*] Valer. Flacc. v. 5.

At memor Æsonides nimium jam vera locuti
Phineos. ———

Ita *verus Calchas.* Papinio ii. Achil. 7. ipsa Cassandra apud Æschyl. Agamemn. 125.

———Καὶ σὺ μὴν τάχει παρὼν
Ἀγάν γ' ἀληθόμαντιν, οἰκτείρας, ἐρεῖς. Burm.

124. *Possidet saltus.*] Locutio desumta ab amoribus Taurorum, qui ob juvencam sæpe silvas implebant tumultibus. v. ad Phædr. i. Fab. 30. Stat. iv. Theb. 404.

Et saltus dux alter habet. Burm.

Sit facie quamvis insignis, adultera certe est.
Deseruit patrios, hospite capta, Deos.
Illam de patria Theseus, (nisi nomine fallor)
Nescio quis Theseus, abstulit ante sua.
A juvene et cupido credatur reddita virgo.
Unde hoc compererim tam bene, quæris? amo.
Vim licet appelles, et culpam nomine veles;
Quæ toties rapta est, præbuit ipsa rapi.
At manet Œnone fallenti casta marito:
Et poteras falli legibus ipse tuis.

126. *Deseruit patrios hospite capta Deos.*] *Socios Deos* codices exarati omnes. vere. nam *patria* mox sequitur. Deos enim conjugales intelligit. Amor. ii. El. xi.

Ecce fugit notumque torum sociosque penates.

Sic ibi veteres libri. quomodo Virgil. Æneid. iii. 15.

Hospitium antiquum Trojæ sociique penates.

Et Epist. Briseidis:

Si tibi jam reditusque placet sociique penates.

Ut illic Lincolniensis codex exhibet. *Communes Deos* pro sociis dixit Propert. i. Eleg. xi. sic Ep. iv. 62. *Sociæ leges* Fast. ii. 618.

Et venit ad socias turba propinqua dapes.

Stat. Theb. viii. 24. *Socia mensa.* vid. ad i. Amor. ix. 6. alioquin, et *patrii Dei* et *penates* Poëtis passim, quos θεοὺς πατρῴους vocitatos, Hyginus apud Macrob. docet. lib. iv. Sat. i. v. Gronov. ad Stat. p. 290. Stat. Theb. xii. 699.

———*Patriis modo fixa revellam*
Arma Deis.———

Ubi male vulgo *patris.* v. Claud. Cons. Hon. vi. 613 Ovid. Ep. i. 26. iii. 67. et xii. 128. Fast. ii. 728. Heins. Ego tamen hic *patrios* præferrem, propter vocem *hospite:* peregrinum enim secuta virum *patrios Deos* deseruit. Burm.

129. *A juvene.*] Aut oratorie mentitur, ut Helenam inducat in suspicionem stupri; aut certe juventam produxit ex sententia Varronis ad annum quintum et quadragesimum. nam cum Theseus Helenam rapuit, agebat annum fere quinquagesimum. Parrhusius.

130. *Unde.*] Id est, a quo. *Hæc.*] Quæ dixi de Helena. *Amo.*] Et ideo amor cogit me ista investigare. Virg.

132. *Præbuit ipsa rapi.*] Vide Coluthum de ipsius Helenæ raptu. Ciof.

Quis fallere possit amantem?

134. *Legibus.*] Sic eleganter apud Val. Flac. in fine lib. iv. de Amyco, cæstibus a Polluce interfecto, quod genus pugnæ ipse præscripserat Grajis, Lycus ait:

——*Bellove magis lætarer, et armis*
Procubuisse meis, quam lege quod occidit ultus
Ipse sua.————

Ubi notandum *ultus* sumi passive, nec audiendus Carrio, qui lectionem *usus,*

Me Satyri celeres (silvis ego tecta latebam)
  Quæsierunt rapido, turba proterva, pede:
Cornigerumque caput pinu præcinctus acuta
  Faunus, in immensis qua tumet Ida jugis.
Me fide conspicuus Trojæ munitor amavit:
  Ille meæ spolium virginitatis habet.
Id quoque luctando. rupi tamen ungue capillos,
  Oraque sunt digitis aspera facta meis.
Nec pretium stupri gemmas aurumve poposci.
  Turpiter ingenuum munera corpus emunt.
Ipse, ratus dignam, medicas mihi tradidit artes;
  Admisitque meas ad sua dona manus.

quam vitiosi codices habent, defendit, in plerisque etiam *accidit*. Heins.

136. *Quæsierant.*] *Quæsierunt* liber chartaceus Lovaniensis, et placet. sic *steterunt, dederunt, tulerunt*, et similia penultima syllaba correpta. de quibus ad Epistol. vii. 166. Heins.

Turba proterva.] Adlusit ad originem vocabuli. Satyros enim dictos a Σάθη, quæ prisca Græcorum lingua significat mentulam, Macrobius auctor est, quia salaces et libidinosi sunt. Parrh.

138. *Qua tumet Ida.*] Ubi magis densa est arboribus, vel magis alta. Ciof. Ita recte *tumidas Germaniæ terras*, montosas interpretatur Pichena apud Tacit. ii. Annal. 23. et Noster *tumidos montes* dixit ii. Amor. xvi. 52. Burm.

139. *Me fide conspicuus Trojæ munitor amavit.*] Περίφρασις Apollinis ad differentiam Neptuni. Ideoque postea subjicit:

Ipse ratus dignam medicas mihi tradidit artes,
Admisitque meas ad sua dona manus.

Constat enim cum ex aliis locis, tum ex lib. i. Metamorph. et ex lib. i. De remedio amoris, eum medicinæ inventorem fuisse. Apollo autem et Neptunus cum Ilium mœnibus essent circumdaturi, laboris socium Æacum sibi adsciverunt: quoniam fatale erat Ilium excisum iri: idque eventurum non erat, nisi aliqua parte muri a mortali extruerentur. Hinc igitur factus est locus fabulæ. Pindarus in Olymp. η.

Τὸν (de Æaco loquitur) παῖς ὁ Λατοῦς Εὐρυμέδων
  τε Ποσειδᾶν,
Ἰλίῳ μέλλοντες ἐπὶ στέφανον
Τεῦξαι, καλέσαντο συνεργὸν
Τείχεος· ἦν ὅτι νίν, &c. Ciof.

Trojæ.] Ilii. Alias Troja regio est. Ciof.

141. *Tamen ante.*] *Ungue* scripti: rectius. sup. 72. Epist. xi. 92.

Contigit inque meas unguibus ire genas. Heins.

145. *Medicas.*] Vide Lycophron. Cassand. v. 61. et ibi Scholiasten et Commentarios.

Quæcumque herba potens ad opem, radixque medenti
Utilis in toto nascitur orbe, mea est.
Me miseram, quod amor non est medicabilis herbis!
Deficior prudens artis ab arte mea.
Ipse repertor opis vaccas pavisse Pheræas 151
Fertur, et a nostro saucius igne fuit.

151. *Ipse repertor opis vaccas pavisse Pheræas Fertur.*] Callimachus diversam ab aliis causam servitii canit, cum scilicet Admeto Apollinem servisse prodat, quod adolescentis amore captus esset, atque ad emerendum ejus amorem gregem ab eo pastum. Egnatius. Sensus est: Neque tamen mirum videri debet, me non posse mederi morbo, id est amori meo: cum nec ipse Apollo, inventor ac deus medicinæ, idem hoc potuerit: ut qui amore impulsus, Admeti armenta paverit. Sumptum autem exemplum hoc est ex hymno Callimachi in Apollinem, ubi ille:

> Φοῖβον καὶ νόμιον, inquit, κίκλήσκομεν, ἐξ ἔτι κείνου
> Ἔξοτ' ἐπ' ἀμφρυσῷ ζευγήτιδας ἔτρεφεν ἵππους,
> Ηιθέου ὑπ' ἐρῶτι κεκαυμένος Ἀδμήτοιο.

Nisi quod Callimachus ἵππους vocat, quas hic Ovidius *vaccas* dicit. Sed in hoc non multum momenti positum. De Œnones autem exitu, et quo pacto in morte tandem iterum conjuncti fuerint ipsa et Paris, apud Calabrum poetam vide, qui lib. 10. Paridem a Philoctete sagitta vulneratum, ad Œnonem confugisse ait, ab eaque auxilium atque remedium vulneris rogasse. Quod cum illa negasset, inter redeundum in Ida monte expirasse. Ubi cum a pastoribus ex more cremaretur, Œnonem eodem secutam, in eundem rogum, cui tum forte Paris impositus erat, seipsam quoque præcipitasse. Micyllus. lib. ii. Art.

> *Cynthius Admeti vaccas pavisse per æstus*
> *Fertur.*———

Hujus rei caussam reddit Hyginus cap. xlix. his verbis: *Æsculapius Apollinis filius, Glauco Minois filio vitam reddidisse, sive Hippolyto dicitur; quem Juppiter ob id fulmine percussit. Apollo, quod Jovi nocere non potuit, eos, qui fulmina fecerunt, id est Cyclopes interfecit. Quod ob factum Apollo datus est in servitutem Admeto regi Thessaliæ:* Hac etiam de re et Euripides sub initio Alcestis tragœdiæ de Apolline multa cognitu digna scribit, et Phurnutus de Natura Deorum. Ciof. *Pheræas*, sic meliores libri, non *per æstus*, aut *per herbas*. similiter vetustiora exemplaria Art. Am. ii. 239. monent reponendum esse:

> *Cynthius Admeti vaccas pavisse Pheræi*
> *Dicitur.* ————

Ubi pari modo in vulgatis codicibus peccatur. Seneca Hercule Furenti, 451.

> *Pastor Pheræos Delius pavit greges.*

Pheræorum enim rex Admetus. hinc Apollonio lib. i. 49. Οὐδὲ Φεραῖς Ἄδμητος ἐυῤῥηνεσσιν ἀνάσσων, Μίμνεν ὑπὸ σκοπιῇν ὄρεος χαλκωδόνιοιο. et ita Valer. Flacc. i. 444.

> *Te quoque dant campi tanto pastore Pheræi*
> *Felices Admete.*

Copiose hæc fabula narratur in parœmiis Græcis Schotti p. 45. ubi v. notas. Apollod. p. 27. et 37. Hygin. Fab. 49, 50, 51. v. Frischl. in Callim.

Quod neque graminibus tellus fecunda creandis,
Nec Deus, auxilium tu mihi ferre potes.
Et potes, et merui. dignæ miserere puellæ;
Non ego cum Danaïs arma cruenta fero.
Sed tua sum, tecumque fui puerilibus annis:
Et tua, quod superest temporis, esse precor.

EPISTOLA VI.

HYPSIPYLE JASONI.

Litora Thessaliæ reduci tetigisse carina
Diceris, auratæ vellere dives ovis.
Gratulor incolumi, quantum sinis. hoc tamen ip-
Debueram scripto certior esse tuo. [sum

p. 14. et 36. *Pheræi* Moschionis a Stobæo citantur. Admetus autem ab Hygino Fab. xiv. filius Pheretis, et Periclymenes. Heins.

152. *Et e nostro saucius igne fuit.*] Ita legendum e bonis libb. idque est magis poëticum. Ciof. Pauci codices, et post Gryphium recentiores quædam editiones, *dicitur, et nostro.* sed antiquiores et Aldinæ cum Lovaniensi codice *fertur et a nostro.* quod prætulimus. *a* hic ponitur pro *post.* sensus est, Phœbus, postquam me amavit, etiam Alcestida deinde amavit. quid miri ergo, si repertor Medicinæ, et qui mihi medicas artes tradidit, ipse adhuc postquam me amaverat, non potuerit ab amore se continere, si nec ego accepta medendi arte, nondum resanuerim. passim autem præpositio hæc ita a Nostro ponitur. v. ad Epist. x. 16. et supr. Epist. ii. 86. sic et recte Heinsius vindicavit Velleji locum lib. ii. 127. *D. Augustus M. Agrippa, et maxime ab eo Statilio Tauro usus.* Senec. i. de Clem. 14. *Numquid aliquis sanus filium a prima offensa exheredat?* ut recte pro, *ad primam offensam,* correxerunt viri docti. Burm.

Etiam huic Epistolæ præfigitur distichon hoc in Excerptis Puteani:

Lemnias Hypsipyle, Bacchi genus, Æsone nato
Dicit: et in verbis pars quota mentis erat.

Ubi tamen malo *mentis inest.* Heins.

3. *Incolumi.*] Id est tibi Jason, qui incolumis reversus es. Ciof. *Incolumem* unus Moreti. quod non negligendum, ut subintelligatur, te redisse, vide Malasp. ad Cicer. v. ad Att. 20. et nos ad Phædr. iv. 20. Burm.

Hoc tamen ipso.] *Ipso* fere scripti, et editi; nisi quod in Leidensi erat *ipsum,* ut sit Græcismus. et proba-

Nam, ne pacta tibi præter mea regna redires,
Cum cuperes; ventos non habuisse potes.
Quamlibet adverso signetur epistola vento;
Hypsipyle missa digna salute fui.
Cur mihi fama prior, quam nuntia litera, venit,
Isse sacros Marti sub juga panda boves?
Seminibus jactis segetes adolêsse virorum,
Inque necem dextra non eguisse tua?
Pervigilem spolium pecudis servasse draconem,
Rapta tamen forti vellera fulva manu?
Hæc ego si possem timide credentibus, Ista
Ipse mihi scripsit, dicere, quanta forem!
Quid queror officium lenti cessasse mariti!
Obsequium, maneo si tua, grande tuli.

bat Douza. posset et *ipso* capi per ellipsin, pro de hoc ipso.

5. *Præter.*] Id est *prope*, vide quæ dixi in observationibus in Metamorphosim. Ciof. mallem *propter*, vide viii. Metam. 258. sed tamen Statius Theb. ix.

Jamque fere medium Parnasi frondea præter
Colla tenebat iter.

Nisi et illic *propter* legas. posset et *propere in mea regna;* ut Ep. xix. 157. *In tua castra redi.* Heins.

10. *Martis boves.*] Dios tauros et feros, et miræ magnitudinis Apollodorus lib. i. Bibliothecæ. Ciof. *Marti* malim. sed obstant membranæ. Scriverii codex habebat *Marti*, sed sciolus quidam adscripserat *s.* Heins. iv. Fast. 286.

Veneri sacra Cythera petit.

Reduxi veterem scriptorum et excusorum lectionem, qui non variant, nisi quod quidam habeant *hoc*, quod eodem redit. quamvis *hæc* propter *ista*, quod sequitur, prætulerim. ingeniosa quidem Heinsii conjectura, sed nobis tantum non permittimus, ut in textum recipiamus conjecturas, quæ nihilo meliorem sensum faciunt, nec fide codicum nituntur. Ceterum egregie huc facit locus Ciceronis iii. ad Fam. 3. *De qua etsi permultum antea certior eram factus literis, nuntiis, fama denique ipsa, tamen eadem lætiora fecerunt mihi tuæ literæ. non solum quia plenius loquebantur, et uberius, quam vulgi sermo; sed etiam quia videbar magis tibi gratulari, cum de te ex te ipso audiebam.* Forte etiam magis sensus hujus loci erigeretur, si legeretur:

Hæc ego si possem timide credentibus, Ipse,
Ipse mihi scripsit, dicere, quanta forem!

In illis repetitionibus vis et venustas est. ita mox duo codices repetunt, *officium maneo, si tua; grande tuli.* Burm.

Barbara narratur venisse venefica tecum,
In mihi promissi parte recepta tori.
Credula res amor est. utinam temeraria dicar
Criminibus falsis insimulasse virum!
Nuper ab Hæmoniis hospes mihi Thessalus oris
Venerat; et tactum vix bene limen erat:
Æsonides, dixi, quid agit meus! Ille pudore
Hæsit, in opposita lumina fixus humo.
Protinus exsilui; tunicisque a pectore ruptis,
Vivit? an, exclamo, me quoque fata trahunt?
Vivit, ait. timidumque mihi jurare coëgi.
Vix mihi, teste Deo, credita vita tua est.
Ut rediit animus, tua facta requirere cœpi.
Narrat, aënipedes Martis arasse boves:

27. *Exilui.*] *Exilui,* inquit metu ac trepidatione, scilicet pro salute tua anxia atque sollicita sum. non egressa sum propius ad eum. ut Hubertinus exponit. MICYLLUS.

29. *Vivit, ait, timidumque mihi jurare coëgi.*] Diverse legitur. Alii: *Vivit, ait, timidum, quod ait, jurare coëgi.* ut sit sensus, Coëgi timidum illum, sive timide loquentem, ut jurejurando id, quod ait, hoc est, te vivum atque incolumem esse, confirmaret. Alii: *Vivit, ait: timidum, quod amat, jurare coëgi.* ut sit sensus, Quoniam qui amant, solliciti ac timidi sunt, jurare illum coëgi. Ut sit allusio ad id, quod prima Epistola Penelope ait: *Res est solliciti plena timoris amor.* Sed hic rursum videndum, num rectius legeretur: *Quod amo,* prima persona: pro eo quod est, Quia ego amo, jurare timidum illum coëgi. Ceterum simplicissima lectio videtur ea, quam nos secuti sumus, si legas: *Timidumque mihi jurare coëgi.* ut timidum eum accipias, de quo paulo ante dixit: *Ille pudore Hæsit,* &c. et Hypsipylen ad jurandum adegisse illum quia timentem ac trepidantem animadverterat, cum primum de Jasone interrogaretur. MICYLLUS.

31. *Utque animus rediit.*] Turbant hic denuo libri. Sed Excerpta Jureti cum uno Patavino, *Ut rediit animus.* recte: producitur enim Nasoni aliisque Poëtis passim ultima ejus verbi syllaba, quemadmodum et in *adiit, abiit, iniit, præiit, subiit, præteriit,* et similibus, de quibus suo loco. Epistola Laodamiæ, 29.

Ut rediit animus, pariter rediere dolores.

Art. Am. iii. 707.

Ut rediit animus, tenues a pectore vestes
Rumpit.———

Quibus etiam in locis libri veteres sibi non constant, dum alii, *Ut rediitque animus.* alii, *Utque redit animus,* alii alia, substituunt. meliores constanter, quod nos exhibemus, agnoscunt. Metam. xiv. 519.

Vipereos dentes in humum pro semine jactos,
  Et subito natos arma tulisse viros:
Terrigenas populos, civili Marte peremtos,
  Implesse ætatis fata diurna suæ.
Devicto serpente, iterum, si vivat Iason,
  Quærimus. alternant spesque timorque fidem.
Singula dum narrat; studio cursuque loquendi,
  Detegit ingenio vulnera facta suo.
Heu! ubi pacta fides? ubi connubialia jura?
  Faxque sub arsuros dignior ire rogos?
Non ego sum furto tibi cognita. pronuba Juno
  Adfuit, et sertis tempora vinctus Hymen.

Mox ubi mens rediit, et contempsere sequentem.
Remed. Am. vi.
In liquidum rediit æthera Martis equo.
Theb. 664. ex MS.
Adorato rediit ingloria disco.
Epicedio in Drusum 235.
Ille meus periit; periit arma inter et enses.
Rediit vero *animus* opponitur *linqui animo.* Plaut. Trucul. Act. ii. Sc. 4. *Adspersisti aquam, jam rediit animus.* Heinsius.

37. *Devicto serpente.*] Sic in nonnullis. sed et recte *devictus serpens.* Naugerius. Ita quidem in Aldinis legitur, ut sit sensus; postquam autem audissem tandem etiam devictum Draconem, sive Serpentem, a quo custodiebatur vellus, &c. Iterum, præ timore ac sollicitudine scilicet, quæro, num vivat Jason, &c. Alii autem *devictum serpentem* legunt, ut cum præcedentibus cohæreat, et sit ordo: Ille rettulit aëripedes boves, vipereos dentes, et ex iis armatos viros e terra natos, mox a se mutuo interemptos; postremo et Serpentem, sive Draconem devictum. Atque ibi tamen ego iterum quæsivi, &c. sed hæc non ita magni momenti. Mihi tamen Aldina lectio magis probatur. Micyl.

40. *Ingenio suo.*] Id est sponte, simpliciter, in rapiditate illa et cursu loquendi et narrationis, excidit ipsi perfidia tua, qua me læsisti; et ideo majorem ipsi fidem habeo, quam si subornatus et composita et meditata oratione mihi id exponere tentasset. ita *crines ingenio suo flexi,* id est sponte, sine arte, Petronio cap. 126. Claudian. i. in Rufin. 210.
Hic radiant flores, et prati viva voluptas
Ingenio variata suo. Burm.

42. *Faxque.*] Vid. Schott. ii. Obs. 40.

43. *Furtim.*] Scriverii, Francofurtensis et quatuor alii *furto,* quod recipere non dubitavimus, quia id elegantius, et bonis auctoribus usitatum novimus. sed sæpe vox hæc a librariis loco mota. ita apud Virgil. iv. 337. ex optimis membranis:
—— *Non ego hanc abscondere furto*
Speravi, ne finge, fuga.
Et Statio reddidit Bernartius i. Theb. 312. qui pluribus de ea voce agit.

At mihi nec Juno, nec Hymen, sed tristis Erinnys
Prætulit infaustas sanguinolenta faces.
Quid mihi cum Minyis? quid cum Tritonide pinu?
Quid tibi cum patria, navita Tiphy, mea?
Non erat hic aries villo spectabilis aureo:
Nec senis Æëtæ regia Lemnos erat.
Certa fui primo (sed me malà fata trahebant)
Hospita feminea pellere castra manu.
Lemniadesque viros, nimium quoque, vincere no-
Milite tam forti ripa tuenda fuit. [runt.
Urbe virum vidi, tectoque animoque recepi:
Hic tibi bisque æstas, bisque cucurrit hiems.

49. *Villo spectabilis aureo.*] Synizesis. sic lib. i. Amorum Eleg. xii.

Ipse Deus vatum, palla spectabilis aurea,
Tractat inauratæ consona fila Lyræ.

Et in Epist Medeæ xii. 201.

Aureus ille Aries villo spectabilis aureo
Dos mea. CIOF.

Multi codices *fulvo spectabilis auro.* ut *vellera fulva* supra dixit. sed nihil mutandum temere. Valer. Flac. viii. 122.

———Villisque comantem
Sidereis totos pellem nunc fundit in artus.

vii. 30.

———Aurea si jam
Pellis, et oblatis clarescant atria villis.

Senec. Troad. 1035.

Cum gregis ductor radiante villo
Aureo.——— BURM.

52. *Pellere castra manu.*] *Domo* Vossii excerpta et codex Junii. sed nihil mutandum suadent sequentia. *Castra* vero hic recte Hubertinus classem interpretatur. Virgil. iv. 604.

Faces in castra tulissem.

Ubi vid. Serv. et nos ad vii. Metam. 99. BURM.

54. *Milite tam forti vita tuenda fuit.*] *Fortuna tuenda* Puteaneus. mendose. At in uno Vossiano (et Francof.) pro diversa lectione, *ripa tuenda.* quod placet. Hoc enim omni studio Lemniades agebant, ut Argonautas littore prohiberent. de vitâ nullum certamen fuit. Causam dedit loco interpolando, quod *ripam* pro *littore* nonnunquam sumi nesciret, quisquis *vitam ripa* supposuit. at Horatius lib. iii. Od. xxvi.

Æquoris nigri fremitum et trementes
———Verbere ripas

dixit. Florus quoque lib. iv. cap. ii. de Bello Antonii Parthico: *Purpuram aurumq' e in ripam assidue mota ventis maria revomebant.* Contra *littus* fluvii pro ripa passim apud optimos auctores Latinitatis. *Litus tueri* habet Noster Met. xii. 66.

Prohibent aditu, littusque tuentur
Troes.——— HEINS.

55. *Urbe virum vidi.*] Tò *vidi* vehementer friget. nec juvant tamen membranæ nostræ. Scribo:

Urbe virum viduâ, tectoque, animoque recepi.

Viduam urbem eleganter dixit, quod viri in ea omnes ab uxoribus essent obtruncati. nihil notius hac fabula. HEINS.

Ingeniosa certe conjectura, quam

Tertia messis erat: cum tu, dare vela coactus,
  Implêsti lacrimis talia verba tuis:
Abstrahor, Hypsipyle: sed (dent modo fata recursus)
  Vir tuus hinc abeo: vir tibi semper ero.
Quod tamen e nobis gravida celatur in alvo,
  Vivat; et ejusdem simus uterque parens.
Hactenus: et, lacrimis in falsa fluentibus ora,
  Cetera te memini non potuisse loqui.
Ultimus e sociis sacram conscendis in Argo.
  Illa volat: ventus concava vela tenet.

adjuvant quoque illa Valerii Flacci lib. ii. 370.

Urbe sedent læti Minyæ, viduisque vacantes
Indulgent thalamis.

Sed quia per gradus amor venire solet, et aspectus præcedit hospitium, et penitus animo receptum amorem, nihil muto; maxime ob illa quoque Nostri inf. xii. Ep. 9.

Cur umquam Colchi Magnetida vidimus Argo.

Et ibid. 31.

Tunc ego te vidi, tunc cœpi scire quid esses.

Francius malebat, *hic ego te vidi.* BURM.

56. *Bisque æstas.*] Quatuor tantum menses huic moræ tribuit Valer. Flacc. lib. ii. 367. multo elegantius et verosimilius. Fortasse Nasoni longius tempus placuit, quia duos ex hoc coitu filios natos sciebat, *Euneum* et *Deiphilum*. Hygin. Fab. xv. et cclxxiii. *Thoanta* et *Euneum* vocat Lutat. ad Stat. vi. Theb. 340. sed geminos peperit. Stat. v. Theb. 464. et Noster ipse mox 121. ad quos generandos biennio non erat opus. recte vero adhuc gravida de unico fœtu mentionem facit apud Valer. Flac. ii. 425. ex naturali et consueto more partus numerum conjiciens. ut et Noster, mox vers. 61. de uno modo in utero latente loquitur. BURM.

60. *Vir tuus.*] Apollonius lib. i. ver. 892. et seqq. fingit Jasonem non promisisse reditum, neque ergo connubium; sed petiisse ut puerum natum sibi in Thessaliam mitteret. Minus certe amatorie. BURM.

63. *Cadentibus.*] Gottorphianus *fluentibus.* quod minime spernendum, cum majorem hoc loco vim habere mihi videatur; quasi sponte et ubertim provenerint, nec coactæ aut simulatæ visæ sint Hypsipylæ; et quæ ita facilius per illas decepta fuerit. hinc *flumina* lacrimarum et *imbres* passim occurrunt. de verborum horum confusione vid. ad iii. Amor. ii. 14. BURM.

65. *Ultimus.*] Atqui Apollonius lib. i. vers. 910. primum navem conscendisse canit. cui concinit Statius v. Theb. 480.

Primoque ferit dux verbere pontum.

Sed illi magis solliciti videntur fuisse, ut bonum nobis ducem Jasona, quam doctum amatorem exhiberent. At Ovidius aptius fingit, et decorum magis fraudi Hypsipylæ ab Jasone factæ, eum coactum ab Hercule et aliis, ultimum tandem in navem compulsum. Valerius, licet non expressis verbis dicat Jasonem ultimum conscendisse, hæsisse tamen cum Castore et Polluce

Cærula propulsæ subducitur unda carinæ:
  Terra tibi, nobis adspiciuntur aquæ.
In latus omne patens turris circumspicit undas.
  Huc feror; et lacrimis osque sinusque madent.
Per lacrimas specto; cupidæque faventia menti
  Longius adsueto lumina nostra vident.
Addo preces castas, immixtaque vota timori,
  Nunc quoque te salvo persolüenda mihi.
Vota ego persolvam? votis Medea fruetur?
  Cor dolet; atque ira mixtus abundat amor.
Dona feram templis, vivum quod Iäsona perdo?
  Hostia pro damnis concidat icta meis?
Non equidem secura fui; semperque verebar,
  Ne pater Argolica sumeret urbe nurum.
Argolidas timui: nocuit mihi barbara pellex.
  Non expectatâ vulnus ab hoste tuli;
Nec facie meritisve placet; sed carmine movit:
  Diraque cantata pabula falce metit.
Illa reluctantem curru deducere Lunam
  Nititur, et tenebris abdere Solis equos.

diutius reliquis Argonautis in amplexibus Lemniadum innuit. lib. ii. v. 425. Burm.

66. *Illa volat.*] Alludit ad Etymon 'Αργοῦς, quæ idcirco *cita* navis a veteribus dicta est. Ciof.

75. *Vota ego.*] Ex Tibullo adumbratum, qui lib. i. Eleg. 5.

Omnia persolvi; fruitur nunc alter amore,
Et precibus felix utitur ille meis.

77. *Dona feram.*] *Tura* Gronovius, quæ est glossa τοῦ *dona*, quæ vox et tura, et omnia, quæ Diis offeruntur, notat. Obseq. c. xli. *Virgines viginti septem dona canentes tulerunt.* c.xliv. *Matronæ thesaurum et virgines dona Cereri et Proserpinæ tulerunt.* *Dona templorum* Tacitus Agric. 6. dixit. Burm.

81. *Barbara.*] Sic Noster sæpe Medeam vocat. Epist. xii. 105.

Illa ego, quæ tibi sum nunc denique barbara facta.

vii. Metam. 276.

Propositum instruxit mortari barbara munus. Heins.

82. *Exspectato.*] *Expectata* Puteaneus. recte. Heinsius. Sic egregie Livio lib. xxx. 14. restituit Gronov. *Quo die captam hostem vidisset*, et ex Prisciano illustravit. Burm.

85. *Cursu deducere Lunam.*] Sic in omnibus. ego libenter *curru* legerim, non *cursu*. Nauger. Repone *curru* cum tribus codicibus. De curru

Illa refrenat aquas, obliquaque flumina sistit:
 Illa loco silvas, vivaque saxa movet.
Per tumulos errat passis discincta capillis,
 Certaque de tepidis colligit ossa rogis.
Devovet absentes; simulacraque cerea figit,
 Et miserum tenues in jecur urget acus.

Solis ac Lunæ apud Poëtas jam protrita sunt omnia. Tibullus, i. Eleg. viii.

Cantus et e curru Lunam deducere tentat.

Sic et *Lunares currus* Metam. xv. 790.

Virg. x. Æneid. 215.

———Almaque curru
Noctivago Phœbe medium pulsabat Olympum.

Ita Theocrit. Idyl. xxii. et xxv. et Pindarus Olymp. Od. iii. Lunæ dant currum. Heins.

87. *Obliquaque flumina sistit.*] Broukh. ad Tibul. i. ii. 44. *Fulmina* probat, sed ego nihil muto: aliena enim hic mentio fulminis inter aquas, silvas et saxa. *Obliqua* vero *flumina* sunt decurrentia ex monte vel altis locis, curvato cursu, quæ sistere artis magicæ opus. i. Metam. 39.

Fluminaque obliquis cinxit declivia ripis.

Et ix. 17.

———Regem me cernis aquarum
Cursibus obliquis inter tua regna fluentem.

Claudian. i. in Ruf. 160. inter artes magicas hoc quoque recenset. *Pronum lapsum* dicens:

Versaque non prono curvavi flumina lapsu,
In fontes reditura suos.

Ubi præcesserat et *fulmen stare coegi*, et in codicibus multis est etiam *flumen*. vid. ibi Heinsium. Lucan. vi. 473.

———Amnisque cucurrit,
Non qua pronus erat.

Vid. i. Amor. viii. 6. Eadem varietas apud Plin. xxxvii. 10. *In Persis vero suffitu earum tempestates averti, et prætera fulmina*, (ubi alii *flumina*) *sisti*. Apoll. Rhod. iii. 532.

Καὶ ποταμοὺς ἵστησιν ἄφαρ κελαδεινὰ ῥέοντας. Burm.

90. *Certaquê de tepidis colligit ossa rogis.*] Puteaneus *colligat*. *Cunctaque ossa* Scriverianus et Hafniensis. *Curtaque* suspicatur Doctissimus Gronovius Observationibus Ecclesiasticis cap. 5. Heinsius. Nihil equidem mutandum. non enim omnia ossa, licet minuta, utilia erant magicis artibus, sed præcipue calvæ et præsegmina quædam, ut jam Hubertinus vidit. et Reinesius Epist. xxx. ad Daumium hanc lectionem retinendam esse se persuasisse Gronovio scribit. vide de hoc Magarum instituto Lindenb. ad Ammian. lib. xix. in fine *colligit* vero non est movendum Horat. i. Sat. viii. 22.

Quin ossa legant, herbasque nocentes. Burm.

91. *Simulacraque cerea fingit.*] Puteaneus *figit*. optime, ut de defixionibus magicis agatur. Vidit id jam Salmasius. Seneca Hercule Œtæo:

———Hoc, inquit, magæ
Dixere amorem posse defigi malo.

Paulo aliter Persius Sat. v. 16. *Ingenuo culpam defigere ludo*, tanquam aculeo tangere Satyricis reprehensionibus. Plenius quid hic velit, explicat Noster Amor. iii. El. vi.

Sagave punicea defixit nomina cera,
Et miserum tenues in jecur egit acus.

Ubi plura. Heins.

Et quæ nescierim melius. male quæritur herbis,
  Moribus et forma conciliandus, amor.
Hanc potes amplecti? thalamoque relictus in uno
  Impavidus somno, nocte silente, frui?
Scilicet ut tauros, ita te juga ferre coëgit:
  Quaque feros angues, te quoque mulcet, ope.
Adde, quod adscribi factis procerumque tuisque
  Se favet; et titulo conjugis uxor obest.
Atque aliquis Peliæ de partibus acta venenis
  Imputat, et populum, qui sibi credat, habet.

93. *Et quæ nescierim.*] Varia lectio est, scribentibus aliis, *et quæ nescierim: meliusne age quæritur herbis?* &c. per interrogationem. aliis, *et quæ nescierim: melius mage quæritur herbis.* ut sit *mage* dictum pro *magis, meliusque* adverbium cum *conciliandus* construatur. sed nos Aldinam lectionem secuti sumus, quæ et simplicior et planior. ut sit sensus. et quæ ego melius sive rectius nescierim. male enim quæritur herbis amor, qui moribus et forma conciliandus erat. MICYL.

96. *Frui.*] Non damno hanc lectionem. sed nescio an non elegantior sit Argentinensis codicis lectio *premi.* id est tam alte et secure dormire, ac si nullum tibi periculum a maga illa immineret. profundus enim somnus arguit abesse omnem timorem et sollicitudinem. Virgil. Culic. 159.

Securo pressos somno mandaverat artus.

Noster Ep. x. 109.

Crudeles somni, qui me tenuistis inertem?
At semel æterná nocte premenda fui.

Et ita passim Poëtæ, quando aut de nimio vino, aut etiam morte, qui somnus perpetuus, loquuntur. Propert. ii. xii. 42.

Et pressi multo membra jacere mero.

Horat. i. Od. 4.

————*Jam te premet nox,*
Fabulæque manes.

Et hinc quoque passim *graves* somno, et vino *βεβαρημένοι* Græcis dicuntur. Lucas Evang. ix. 32. et xxi. 34. et Ovidius iii. Met. 608. *Ille mero somnoque gravis.* Noster Met. xv. 21. *Pressum gravitate soporis Claviger adloquitur.* et passim. ita quoque *oppressum somno gravi* dixit Livius vii. 39. et Cæsar ii. Bel. civ. 38. et Ter. Eun. iii. 5. *Somnus virginem opprimit.* sed hæc jam nimia. *τῷ frui* etiam sua elegantia inest. BURM.

101. *Peliæ de partibus.*] Recte *partes* dixit. nam populi pars favebat Peliæ, pars Æsoni. Valer. Flacc. i. 70. de Jasone iter a Pelia mandatum auspicaturo:

Heu quid agat, populumne levem, veterique tyranno
Infensum, atque olim miserantes Æsona partes
Advocet.————

Sic n. optime Aldinus codex. quod mirum neminem interpretum observasse, inepte vulgo *miserantes Æsona patres* eodem libro de Æsone:

Sic curæ subiere ducem, ferrumne capessat
Imbelle, atque ævi senior gestamina primi,
An partes regnique acuat mutabile vulgus.

Non hæc Æsonides, sed Phasias Æëtine
Aurea Phryxêæ terga revellit ovis.
Non probat Alcimede mater tua; consule matrem:
Non pater, a gelido cui venit axe nurus. 106

Sic restituo invitis Codd. vulgo etiam in omnibus Edit. *patres*. sed videatur Apollonius. autor autem noster, cum *credat* dicit, ad vulgi levitatem respicit. Heins. Vid. ad Val. Flac. i. 70.

103. *Non hæc Æsonides, sed filia Phasis Aëtæ.*] Valde Naugerius, aliique interpretes se in hoc loco torserunt, ut Carrio Notis in Valer. Flaccum. et Vossius Art. Grammat. lib. ii. c. xi. et libri quidam *Phasis Æctæ*, pessime. *Æëta* enim vel *Æëtes* trisyllabum est. Nam quod Epistola Medeæ legitur:

Excipit hospitio juvenes pater Æta Pelasgos.

Et Metamorph. lib. vii. 170.

Dissimilemque animum subiit pater Æta relictus.

Tò *pater* ex fide optimorum codicum delendum. quod decepit cum alios, tum Salmasium Animadversis ad Flori libr. iii. c. v. ut *Æta* a Nasone dictum esse arbitrarentur. Idem tamen Salmasius *Æëtæ* nomen illic Floro feliciter reddidit. Auctor elegiæ in obitum Mæcenatis:

Viscera dissecti mutaverat arietis agno Æëtis, succis omniperita suis.

Sic lego ex vestigiis veterum codicum. aliter *Ætias et succis*. *Ætis* quoque dicta Apollinari in Narbone. v. 271. *Sive Ætis et inclytus Iason.* ita ex vestigiis MSS. lege, in quibus *Œtes*. vulgo aliter. Gronovius noster in Observationibus *Ætam* contracte pro *Æëtam* dici quoque monuit, idque probat ex corrupto Valer. Flacci loco, in quo non *Æta* sed *Æa* scribendum; est enim *Æa* inter præcipuas Colchidis civitates, unde et Medea *Ææa venefica* dicitur. et sic meminit ejus Schol. Pindar. ad Pyth. Od. iv. Ceterum in veterrimo codice Puteaneo pars posterior hujus versus in litura cubabat, veteri lectione erasa, cujus tamen e vestigiis utcunque appareret scriptum primo fuisse *Phasias Æëtine*, cum Tò *filia* a manu secunda esset additum. Atque hanc esse genuinam Nasonis ipsius scripturam ausim adfirmare, quam et Mezeriacus Gallicis in has Epistolas Notis, Salmasio suggerente, laudavit. *Æëtine*; ut *Neptunine*, *Nereine*, *Oceanine*, *Adrastine*, *Nonacrine*, *Evenine*, et similia. quod etiam in nominibus obtinet civitatum: sic *Elephantine* in Æthiopia civitas, quam Vitruvius et Mela *Elephantidem*. Insula Æthiopiæ *Daphnis* Plinio et Ptolemæo est *Daphnine*. Pari modo duo quoque patronymica conjunxit lib. vii. Metam. 547. loco mendosissimo, *Calydonides Eveninæ*. ut quidem illic monui corrigendum. ita et *Inachis Acrisione* Virgilio Danaë dicta Elegia ad Messallam. et *Tyndaris Lacæna* Helena lib. ii. Æneidos. Jason Orpheo in Argonauticis Θεσσαλος Αἰσωνίδης. Medeam vero Æëtinen dictam ab Avieno quoque Descriptione Orbis apparet hisce versibus. v. 658.

Absyrti cautes et crebras protinus arces
Inveniet. Colchos huc quondam cura fidesque
Extulit, insanam sectantes Æëtinem.

Heins.

105. *Non probat Alcimede mater tua.*] Hanc Hyginus Fab. 14. Clymeni filiam facit. alii Autolyco natam volunt. Sunt tamen qui Rhœo vel Polymelam Jasoni matrem adsignent. suspendio vitam finivit Apollo. p. 37. Vide Tzetzen Chiliad. vii. Hist. xcvi. Sequenti versu malim *quis venit*, ut

Illa sibi Tanai, Scythiæque paludibus udæ
  Quærat, et a patria Phasidos usque, virum.
Mobilis Æsonide, vernaque incertior aura,
  Cur tua pollicito pondere verba carent?
Vir meus hinc ieras, vir non meus inde redisti.
  Sim reducis conjux, sicut euntis eram.
Si te nobilitas, generosaque nomina tangunt;
  En ego Minoo nata Thoante feror.
Bacchus avus; Bacchi conjux redimita corona
  Præradiat stellis signa minora suis.
Dos tibi Lemnos erit, terra ingeniosa colenti:
  Me quoque res tales inter habere potes.

tam ad matrem quam patrem referatur. Heins.

106. *A gelido.*] *A Getico* mallet Francius. et ita sæpe in Tristibus hæ voces a librariis commutatæ fuerunt. sed ibi patientius feram, quam hic, quia Getas Hypsipylæ incognitos adhuc fuisse reor. Burm.

108. *A patria Phasidis.*] Janus Vlitius corrigebat, *a patrio Phasidos amne*, sed non opus: patria Phasidis est, fons, origo fluvii; ut iii. Am. vi. 40. de Nilo:

Qui patriam tantæ tam bene celat aquæ. Burm.

114. *Feror.*] Barth. ad Stat. v. Theb. 650. ex suis membranis profert *precor*, quod impense placet, et melius respondet *τῷ tangunt*. ego, illa nobilis Hypsipyle, supplex precor. ut supra Phædra Ep. iv.

Victa precor, genibusque tuis regalia tendo
Brachia.——— Burm.

117. *Ingeniosa.*] Sic lib. iv. Fast. 684.

——*Nec olivis apta ferendis*
Terra, sed ad segetes ingeniosus ager. Ciof.

118. *Me quoque jam tales inter habere potes.*] Libri scripti, *Me quoque quod tales*, vel *res tales.* quod posterius arridet elegantissimo Gronovio in Observationibus lib. iv. cap. xi. qui videatur. Tanaquillus Faber notis in Lucret. lib. iii. p. 481. tentabat:

Me quoque jam matres inter habere potes.

Jam tum, cum hæc scribebat Hypsipyle, prolem se peperisse gemellam in hac eadem innuit Epistola. Nos vetustos codices videamus. In Puteaneo *Me quoque q....lis.* erasis iis, quæ per puncta designantur. Unde Mezeriacus *Me res dotales* concinnat. Salmasius *Me quoque dotales inter*, pro *dotatas.* ut *res dotales* subintelligantur. Hoc sensu. Non tantum Lemnos tibi dotalis erit, sed ego quoque ipsa. Quæ conjectura sic illi placuit, ut eamdem Commentariis de modo usurarum, et libello adversus Wissembachium super mutui alienatione inculcarit. nec melius, quod pro *terra ingeniosa*, substituit *invidiosa*. Quid ergo? Scribo minima mutatione:

Me quoque, quot tales, inter habere potes!

Hoc vult, paucas esse quæ secum com-

Nunc etiam peperi. gratare ambobus, Iäson.
  Dulce mihi gravidæ fecerat auctor onus.
Felix in numero quoque sum; prolemque gemellam
  Pignora Lucina bina favente dedi.
Si quæris, cui sint similes; cognosceris illis.
  Fallere non norunt: cetera patris habent.
Legatis quos pene dedi pro matre ferendos:
  Sed tenuit cœptas sæva noverca vias.
Medeam timui: plus est Medea novercâ.
  Medeæ faciunt ad scelus omne manus.
Spargere quæ fratris potuit laniata per agros
  Corpora, pignoribus parceret illa meis?

parari possint. Amor. lib. ii. Eleg. xi. quamquam diverso sensu:

Quam vir, quam custos, quam janua firma (quot hostes!)
Servabant, ne qua posset ab arte capi.

Ita vetus codex. Florus i. c. 6. *Cum per hoc interficiendos principes intelligi vellet (quæ superbia) sic respondet.* ita Tzetz. Chiliad. xx. 17. Καὶ συγγράφεως πόσων. *et authoris quot rerum?* Heins.

119. *Gratare ambobus, Iason.*] Barth. ad Stat. v. Theb. 713. ita distinguit:

———Gratare ambobus. Iason
Dulce mihi gravidæ fecerat auctor onus.

123. *Si quæras.*] *Quæris* meliores. Ita pro *cognosceris* duo libri *ignosceris*. hoc est *agnosceris*. vide Fast. iii. v. 65. sed nil necesse. lib. iv. Metam. 290.

Hujus erat facies, in qua materque paterque
Cognosci posset.

Apulej. v. Metam. *In hoc saltem parvulo cognoscam faciem tuam.* Sunt Psyches verba ad maritum. Capoferreus, *cognoscor in illis.* Heinsius. Variant fere semper codices in hac formula *si quæris,* vel *quæras.* vid. Epist. iv. 119. xii. 115. xvi. 173. xx. 219. Metam. iii. 141. et alibi sæpius. pessima vero Capoferrei correctio; Jason enim, non Hypsipyle, cognosci debebat similitudine parvulorum, ut omnem suspicionem alieni tori a se removeret. Burm.

125. *Legatos.*] Posset explicari, quasi hos tam parvulos, ut adhuc ferri oporteret, pene adlegasset ad Jasonem, pro matre deprecaturos. sed mihi magis placet, quod in Scriverii et uno Regio est, *legatis.* ut sit sensus: Dedi hos fere ferendos, quia ingredi nondum possunt, legatis pro matre missis ad deprecandum. quod melius convenit τῷ *dedi,* nam *dare legatos* an eleganter dicatur dubito: *Sed dedi parvulos ferendos legatis,* recte et plane. Burm.

129. *Spargere quæ fratris potuit lacerata per agros Corpora.*] Metaphora ab agricolis, qui semina in terras proprie spargere dicuntur. sic in Ibin:

Et tua sic latos spargantur membra per agros,
Tanquam quæ patrias detinuere vias.

Hanc tamen, ô demens, Colchisque ablate venenis,
  Diceris Hypsipyles præposuisse toro.
Turpiter illa virum cognovit adultera virgo:
  Me tibi, teque mihi tæda pudica dedit.
Prodidit illa patrem: rapui de cæde Thoanta.
  Deseruit Colchos: me mea Lemnos habet.
Quid refert, scelerata piam si vincit, et ipso
  Crimine dotata est, emeruitque virum?
Lemniadum facinus culpo, non miror, Iäson.
  Quamlibet iratis ipse dat arma dolor.

Et:

Aut lacer in silvis manibus spargare tuorum:
Sparsus ut est Thebis angue creatus avo. Ciof.

130. *Pignoribus parceret illa meis?*] Hanc sententiam expressam legimus lib. i. Epigramm. quam ita Latine reddidit Alciatus in suis emblematis:

Colchidos in gremio nidum quid congeris? eheu
Nescia cur pullos tam male credis avis.
Dira parens Medea suos sævissima natos
Perdidit, et speras parcat ut illa tuis? Ciof.

131. *Hanc tamen.*] *Ablatus* eleganter dictum, pro in diversum a pristina sententia et amore deducto, alienato. ita mox vers. 150.

Quemque veneficiis abstulit illa suis.

135. *Prodidit illa patrem.*] Æetam, cui rapuit vellus aureum. illum Meleager in pugna trucidavit, quæ in littore cum Argonautis est orta.

136. *Deseruit Colchon.*] *Colchos* libri omnes, idque recte. *Colchos* enim non dicitur, sed *Colchi.* Κόλχοι καὶ Κόλχις Græcis. Stat. v. Theb.

Alios Colchi generatis amores.

Ennius apud Priscian. de versibus comicis:

Petebant illam pellem inauratam arietis
Colchis imperio regis Peliæ per dolum.

Et ita Noster semper. Epist. xii. 23. xviii. 157. xix. 175. Amm. Marcel. lib. xxii. *Phasis fremebundis cursibus Colchos attingit.* Heins.

138. *Crimine dotata.*] Eleganter; quasi crimen esset pro dote. ita loquitur et Justin. i. cap. 7. *Uxor mariti sanguine dotata regnum viri et se pariter adultero tradidit.* Burm.

Emeruitque virum.] *Demeruitque* Sarravianus cum quatuor aliis. sed *emeruisse* pro *demeruisse* simili significatione occurrit: sic A. Gellius, cum lib. i. cap. 8. de Laïde Corinthia dixisset, ob *elegantiam formæ grandem pecuniam demerebat;* idem lib. vi. c. 7. de Acca Larentia ait, *corpus in vulgus dabat, pecuniamque emeruerat ex eo quæstu uberem.*

140. *Quælibet iratis.*] Alii libri *Quodlibet ad facinus,* vel *Quælibet ad facinus.* Sed recte Puteaneus, *Quamlibet iratis.* Qui loquendi modus unice in deliciis est Nasoni, sed ut plurimum e vulgatis libris per inscitos librarios jussus exulare. supra, vers. 7.

Quamlibet adverso signetur epistola vento.

Dic age, si ventis (ut oportuit) actus iniquis
Intrasses portus, tuque comesque, meos;
Obviaque exissem, fœtu comitata gemello:
(Hiscere nempe tibi terra roganda foret.)
Quo vultu natos, quo me, scelerate, videres?
Perfidiæ pretio, qua nece, dignus eras?
Ipse quidem per me tutus sospesque fuisses:
Non quia tu dignus, sed quia mitis ego.

Epistola Canaces:
Urnaque nos habeat quamlibet arcta duos.
Amor. lib. i. El. vii. 66.
Quamlibet infirmas adjuvat ira manus.
Trist. lib. i. El. ii.
Quamlibet e minimis domui si favimus illi.
El. iii.
Quamlibet inviso Cæsar in hoste probat.
El. ix.
Occupat egressas quamlibet ante rates.
Pont. lib. iii. El. iv.
Quamlibet invitum difficilemque tenent.
Lib. iv. El. iv.
Quamlibet absentem qua possum mente videbo.
Et alibi passim. Loca plura adscripsi, quod ea majori ex parte mendosa in vulgatis libris circumferantur. auctor Monostichorum de Moribus in Catalectis Pithœi:
Quamlibet ignavum facit indignatio fortem. HEINS.
Francius non inconcinne conjiciebat:
Quamlibet iratis justa dat arma dolor.
Schottus vero lib. ii. Observ. 47. dicit se in codice MS. reperisse:
Quodlibet ad facinus ipse dat arma dolor.
Quod et in plurimis Heinsio inspectis extat. in uno etiam pro *dolor*, est *furor*; nec hoc male: *ira* enim *furor brevis* est. sic Virgil. i. Æneid. 154.
———*Furor arma ministrat.*
Apud quem etiam eodem libro v. 594. quidam codices, *quis indomitas tantus furor excitat iras*, cum in aliis sit *dolor*: et apud Senec. Herc. Œt. 233. ex Florentino codice:
O quam cruentus feminas stimulat furor!
Vulgo *dolor*. et ita apud Lucan. vi. 228. et Nostrum vi. Metam. 280. hæ voces a librariis permutatæ. BURM.

Dolor.] Indignatio: dolebant Lemniades viros Thraces servas adduxisse, quibus oblectarentur. ANT.

143. *Comitata.* Παθητικῶς. CIOF.

146. *Perfide, quo pretio.*] In Scaligeri codice legebatur, *Perfidiæ pretio qua nece dignus eras?* DAN. HEINSIUS. Puteaneus et Scaligeri excerpta:
Perfidiæ pretio qua nece dignus eras?
Optime; ut et parens meus in notis ad ipsum Nasonem, et postea Salmasius de Usuris Commentario c. ii. restituerunt. Multus est passim in hac locutione Naso. sic Epistola sequenti:
Grande moræ pretium tuta futura via est.
Et Epist. xiv.
Exul Hypermnestra pretium pietatis iniquum,
Quam mortem fratri depulit, ipsa tulit.
HEINSIUS. Vid. Græv. ad Justin. i. 7. et Gronov. ad Liv. xxvi. 40.

147. *Per me.*] *Per te* Puteaneus.

Pellicis ipsa meos implêssem sanguine vultus,
Quosque veneficiis abstulit illa suis.
Medeæ Medea forem. quod si quid ab alto
Justus ades votis, Juppiter, ipse meis;
Quod gemit Hypsipyle, lecti quoque subnuba nos-
Mœreat, et leges sanciat ipsa suas. [tri
Utque ego destituor conjux, materque duorum;
A totidem natis orba sit, aque viro.

Heinsius. *Pro me* alii: sed nihil muta: quantum in me esset, ego te non læsissem. vid. Ep. i. 3.

151. *Quod si quis ab alto Justus adest.*] *Quod si quid adest* scripti plerique cum priscis editionibus. venuste et vere. nisi quod in Puteaneo, *quod si quod*. Tò *quid* eleganter redundat. Et Virgil.

——*Si quid pietas antiqua labores*
Respicit humanos.

Posset et retineri *si quis;* ut Horat. iii. Od. 27. 51. *O Deorum si quis hæc audis.* Deinde *Justus ades,* vel sine libris scribendum videtur: ut Jovem alloquatur. Causam mox videbimus. Deinde *Juppiter ille* a Nasonis ipsius manu esse opinor, etsi pro recepta lectione stantibus membranis antiquis. Fragmentum Cornelii Nepotis, ubi Cornelia Mater Gracchorum: *Nec ille sinat Juppiter. Sic Juppiter ille monebat* apud Maronem ex optimis codicibus Æneidos vii. ver. 110. ubi pluribus exemplis hunc loquendi modum illustravimus, quæ hic loci iterare nunc piget. Heinsius. Cum vero Autolyci cujusdam piceata manus illas in Virgilium notas summo rei literariæ damno surripuerit, detrimentum hoc reparavit Egregius Broukhusius ad Tibulli i. Eleg. iv. 19. Francius corrigebat, *si quid ab alta Justus ades votis Jupiter arce meis.* Offendit forte vocula *ipse,* quæ jam bis præcesserat, et mox sequitur. sed nihil muta: *ab alto,* est *ex alto,* scilicet cœlo. Art. Am. 633.

Juppiter ex alto perjuria ridet amantum.

Ades precibus Colinei et Bersmanni editiones. nil muta: iii. Trist. i. 78.

Ades voto, maxime dive, meo. Burm.

153. *Lecti quoque succuba nostri.*] Vetus lectio, *subnuba nostri.* Naugerius. Glossæ H. Steph. Παλλακῆ, *Concubina, succuba, pellex.* Eædem *unicuba* μονολεχής. Heins.

154. *Leges sentiat ipses uas.*] *Sanciat* scribendum censeo. atque ita liber Vossianus et alter Mentelianus. *Sancire leges* obvium apud veteres auctores. Lucanus vii. 351.

Romanas sancire volent hoc sanguine leges.

Livius lib. xxiii. *Jam ego, inquit, sanguine Hannibalis sanciam Romanum fœdus.* Nihil magis obvium. Adeantur Jurisconsulti. Heinsius. Sic apud Catull. Epith. Thes. v. 21. *Sanxit,* pro *sensit* reposuere viri docti.

155. *Duorum.*] Eunei et Nebrophoni Apollodor. lib. i. Bibl. Ciof.

156. *A totidem,* &c.] Felicissime hunc locum considerat Julius Cæsar Scaliger in Critico, cujus hæc sunt: *Ovidianæ Hypsipyles clara admodum imprecatio est; quæ neque tumida, neque vulgaris, ac tam rotunda, ut tam brevi gyro, tam composita apud multos etiam excellentes possimus desiderare.* Vide et Scholia in lib. Tristium. Ciof.

Nec male parta diu teneat; pejusque relinquat.
Exsulet; et toto quærat in orbe fugam.
Quam fratri germana fuit, miseroque parenti
Filia; tam natis, tam sit acerba viro.
Cum mare, cum terras consumserit, aëra tentet.
Erret inops, exspes, cæde cruenta sua.
Hæc ego conjugio fraudata Thoantias oro;
Vivite devoto, nuptaque, virque, toro.

EPISTOLA VII.

DIDO ÆNEÆ.

Sic, ubi fata vocant, udis abjectus in herbis,
Ad vada Mæandri concinit albus olor.

A totidem natis orba sit atque viro.] *Orba a natis* infrequens. usitatum *orba natis*, aut *natorum.* Deinde *illa viro* Puteaneus et reliqui plerique. Legebam:

Da totidem natis orba sit, orba viro.

Vid. supr. ad v. 29. *Dare* ex veteri formula. *Di date*, et *Di dent*, quorum pleni scriptores antiqui. Noster libro xiii. Metam. 48. qui locus vulgo pessime habitus:

———*Laertiadæque precaris*
Quæ meruit: quæ Di dent ô non vana preceris.

Tò *orba* nimirum geminare librarius neglexerat, ut sæpe. qua de re supra. alloqui autem Jovem videtur, quare et *ades* supra pro *adest* reponendum, ut jam diximus. nisi mavis, quod verum omnino videtur:

A totidem natis orba sit, atque viro.

Nam *orba ab optimatibus concio* apud Ciceronem, Oratione pro Flacco, exstare deprehendo. Heinsius. In Douzæ codice erat *cum totidem natis.* Ego legendum censeo:

A totidem natis orba sit, aque viro. Locum Ciceronis, quem innuit Heinsius, est cap. 23. ubi videndus Sylvius. Burm.

158. *In orbe fugam.*] Durius dictum, *quærere fugam: petere fugam* pro fugere dici novimus. Quare forte hic non rejicienda Vaticani unius lectio, *quærat in orbe fidem*, ut nusquam fidem, at ubique perfidiam inventuram imprecetur. nisi *quærat fugam* dictum quis velit, ut *petere fugam*, de quo Davies. ad Jul. Cæs. ii. de Bel. Gal. 24. et *petere viam*, Gron. ad Liv. xlii. 3. nam et hic unus Strozzæ habebat, *quærat in orbe viam.* Burm.

159. *Fratri.*] Absyrto, quem laniavit. *Parenti.*] Æetæ, quem erat fatum interire, cum raptum fuisset aureum vellus.

160. *Natis.*] Didymo et Thesandro. *Viro.*] Jasoni, quem ad necem etiam impulit. Ant.

1. *Sic ubi.*] Ab hac similitudine doctiores plerique Epistolam hanc or-

Nec, quia te nostra sperem prece posse moveri,
Adloquor: adverso movimus ista Deo. [dicum
Sed merita et famam, corpusque animumque pu-
Cum male perdiderim, perdere verba leve est. 6

diuntur, ellipsim ac præcisionem istam affectui tribuentes. Ceterum quia particula *sic* vulgo sententiam aliquam postulat, cui vel inferatur, vel alias adaptetur: Deinde et similitudinem absque collatione poni, ita ut neque epilogi, neque epiphonematis vicem sustineat, non ita usitatum est; curiosus quispiam rei mederi volens, versiculos a principio alios duos adjecit, quibus similitudo ipsa inferretur, et quod affectus caussa omissum a Poëta erat, perfectum ac plenum redderetur. Quamquam igitur ipsi versus tolerabiles sunt, et cum iis, quibus præmissi sunt, non male cohærent; quia tamen a doctis tanquam nothi et adulterini notantur, nos quoque eosdem ab aliis separavimus, seorsimque et suo charactere ponendos duximus. Mic.' Liber Regius et Excerpta Puteani cum codice Lovaniensi sequens distichon huic Epistolæ præfigunt:

Accipe, Dardanide, morituræ carmen Elissæ,
Quæ legis, a nobis ultima verba legis.

Ceterum *Elissa*, non *Elisa* constanter Dido nominatur in veterrimis Virgilii, Silii, Ausonii, Claudiani, Paterculi et nostri Poëtæ codicibus. nec aliter apud Græcos. nam *Elissam* lingua Punica *divinam viraginem* sonare contendunt. Vide Etymologici auctorem in Διδώ. ubi alia proferuntur ad hanc rem. adi et virum summum Samuelem Bochartum in Phaleg suo. Heins.

2. *Concinit albus olor.*] Huc facit, quod scriptum reliquit Cicero lib. i. Tusc. Disputationum: cap. 30. *Cygni, qui non sine caussa Apollini dicati sunt, sed quod ab eo divinationem habere videantur, quia providentes quid in morte boni sit, cum cantu et voluptate moriantur.* Videndus est Ælianus lib. i. De Var. Historia, et Hyginus. Ciof.

4. *Adverso movimus ista Deo.*] *Movimus* retinuimus, quod melius τῷ *alloquor* convenit. *Movere* enim de scriptione, epistola, et sermone recte dicitur v. Epist. xv. 4. 1. Art. Amat. 29. et alibi: et Deos tam *adversos*, quam *aversos* recte dici scimus, licet librarii perpetuo fere commutaverint. vid. Gronov. ad Senec. Med. 10. et ita *adversus Mars* necessario retinendus in lib. i. Fast. 60. quia idem notat, quod *adversa prælii fortuna*, quam *aversam* dici posse non puto. *Aversi* vero proprie dii, si excedere ex templis, destituere loca, aut homines, ante amata inducuntur. *Adversi*, ubi inimica mente, iniqui, irati, contrarii sunt. sensus vero est; Scripsimus ergo hanc Epistolam non ea spe, quasi tu moveri posses, sed quia leve est verba perdere. Burm.

5. *Sed meriti famam.*] Gottorphianus et alter Mentelianus, *meritam*. Unus Mediceus *merita*. Puteaneus, *merite*. Scribe:

Sed merita et famam.

Merita vocat beneficia, quæ in ingratum Ænean contulerat. sic Auson. parentalibus, *merita et famam* conjunxit. Heins.

6. *Perdiderim.*] Patavinus *perdideris.* venuste: amat enim Noster secunda persona loqui. supr. Epist. v. 7.

Leniter ex merito, quicquid patiare, ferendum est.
Heins. i. Trist. 11. 13.
Verba miser frustra non proficientia perdo.

Douza adscripserat locum Quinctil.

Certus es ire tamen, miseramque relinquere Dido:
Atque idem venti vela fidemque ferent.
Certus es, Ænea, cum fœdere solvere naves:
Quæque ubi sint nescis, Itala regna sequi.
Nec nova Carthago, nec te crescentia tangunt
Mœnia; nec sceptro tradita summa tuo.
Facta fugis; facienda petis. quærenda per orbem
Altera, quæsita est altera terra tibi.
Ut terram invenias, quis eam tibi tradet habendam?
Quis sua non notis arva tenenda dabit?
Alter habendus amor tibi restat, et altera Dido:
Quamque iterum fallas, altera danda fides.

lib. viii. *Miser enim et pauper orator est, qui nullum verbum æquo animo perdere potest.*

11. *Nec te crescentia tangunt Mœnia.*] Dices mœnia esse animata? Sed scite. Aristoteles enim lib. iii. Rhetoricorum inter eas figuras, quibus oratio illustratur, ponit eam, ut rebus sensu carentibus detur sensus. Sic Virg. lib. i. Æneid. 437. unde locus hic expressus est, item de Carthagine ait:

O fortunati, quorum jam mœnia surgunt.

Et lib. iv. 86.

Non cœptæ assurgunt turres. Ciof. *Surgentia*, codex Regius, solemni horum verborum apud Nasonem permutatione. idque rectius puto. Horat. iii. Od. iii.

Ter si resurgat murus aheneus,
Auctore Phœbo.

Et Noster i. Fast. 523.

Eversaque Troja resurges.

Et alibi passim. Virgil. i. Æneid. 365.

——— *Ubi nunc ingentia cernes*
Mœnia, surgentemque novæ Carthaginis arcem.

Vide Cerdam ad v. 437. non invenuste quoque hoc loco Lovaniensis, *nec mea Carthago*, quod conveniret sequentibus:

Sceptro tradita summa tuo.

Suam enim poterat Æneæ tradere. Sed *nova* non temere rejiciendum: nam respicit forte ad Etymon Carthaginis, quæ lingua Phœnicia *novam urbem* notat. quod et Douzæ placuisse postea vidi. Vide Solin. 27. et ibi Salmasium. Burm.

16. *Arva tenenda.*] *Regna tenenda*, tres libri, *arva colenda*, unus Vaticanus. et Mentelii alter *tuenda*: nihil muta. *Tenere* enim proprium verbum regum, ut notissimum. eadem varietas apud Lucan. ix. 440.

Nudus rura tenet.

Ubi codex Vossii *colit.* præterea *tenere* convenit præcedenti verbo *Habere*, cujus eadem vis, et quod male Douza antique sumit, pro *habitare.* cum ipse infr. 163. *habendam* explicet *possidendam.* Ovid. i. Metam. 197.

Qui vos habeoque regoque.

Et ita centies Noster et alii. Burm.

Quando erit, ut condas instar Carthaginis urbem,
Et videas populos altus ab arce tuos?
Omnia ut eveniant, nec te tua vota morentur;
Unde tibi, quæ te sic amet, uxor erit?
Uror, ut inducto ceratæ sulfure tædæ:
Ut pia fumosis addita tura focis.
Æneas oculis semper vigilantis inhæret:
Ænean animo noxque diesque refert.
Ille quidem male gratus, et ad mea munera surdus;
Et quo, si non sim stulta, carere velim:

23. *Uror, ut inducto.*] Notarunt alii, in aliis codd. legi:

Uror, ut inducto ceratæ sulfure tædæ,
Ut pia fumosis addita thura focis.
Æneasque oculis semper vigilantibus hæret,
Æneamque animo noxque diesque refert.

Ut duo inserantur versus. Qui ut admittantur, legam: *Æneas oculis semper vigilantibus hæret, Ænean animo.* Dan. Heins. Post hunc versum in uno Vatic. a veteri glossario notatum est, legisse se in veteri textu hoc distichon:

Ut pia fumosis addita tura rogis.
Æneas oculis vigilantis semper inhærens. Ciof.

Excerpta Sarravii *incocto*, quod non de nihilo esse suspicor: intelligit vero facem lustralem. v. Scaliger. ad Sever. Ætnæ vers. 350. Burm.

24. *Ut pia fumosis.*] Hunc et sequentem versum a vulgatis libris exulantes adjeci ex auctoritate optimarum membranarum. et sunt elegantes nec Ovidio indigni. Invenerat etiam eos in suis codicibus Andreas Schottus, ut Observationes ejus ii. cap. 53. testantur. Mycillus eosdem quoque agnoscit. in Sarraviano et plurimis erat, *addita tura rogis.* sed Gronovianus et Basileensis *focis.* recte. Epist. xxi. 34.

Festaque fumosis ingerit exta focis.

In Nuce 178.

Nostraque fumosis urite membra focis.

iii. Amor. iii. 33.

Et quisquam pia tura focis imponere curet.

Sed et in *rogis* tus crematum, ex Statio Silv. ii. Epiced. Glaucæ posset ostendi:

——— *Puerile feretrum*
Produxi, et sævos damnati turis acervos.

Virg. vi. 224.

——— *Congesta cremantur*
Turea dona. Heins.

25. *Vigilantis inhæret.*] *Vigilantibus hæret.* Micyl. Sed *vigilantis inhæret* rectum. vid. ii. Epist. 91. Burm.

26. *Æneamque animo.*] *Ænean animo* meliores. et sic Græco more etiam infra, ac passim alibi in optimis libris scribitur. Heins. ii. Art. Am. 348.

Exhibeat vultus noxque diesque tuos.

Ubi nescio, cur ex uno codice, *exhibeant* malit Heinsius, cum hic locus vulgatam manifeste tueatur. Burm.

27. *Surdus.*] *Tardus* Moreti, Hafniensis et Leidensis, quod proprium in amore frigidi et cessantis. eadem varietas apud Propert. i. Eleg. viii. 41.

Non tamen Ænean, quamvis male cogitat, odi:
Sed queror infidum, questaque pejus amo.
Parce Venus nurui, durumque amplectere fratrem,
Frater Amor: castris militet ille tuis.
Aut ego, quem cœpi (neque enim dedignor) amare;
Materiam curæ præbeat ille meæ.
Fallor; et ista mihi falso jactatur imago.
Matris ab ingenio dissidet ille suæ.
Te lapis, et montes, innataque rupibus altis
Robora, te sævæ progenuere feræ:
Aut mare, quale vides agitari nunc quoque ventis:
Quod tamen adversis fluctibus ire paras.
Quo fugis? obstat hiems: hiemis mihi gratia prosit.
Adspice, ut eversas concitet Eurus aquas.

Sunt igitur Musæ, neque amanti surdus Apollo.

Ubi in MSS. quos Heinsius contulit, *tardus.* et prætulit Broukhusius et alii. BURM.

33. *Quæ cœpi.*] Interruptionem pono statim post *Aut.* ut intelligas, aut ille præbeat materiam. vel est substractum meæ curæ, meo amori, neque enim ego, quæ cœpi, dedignor amare. AARON. Lege ex veteris libri fide et ratione, *quem cœpi.* CIOF. *Quem cœpi* meliores, et ita Naugerius. ut dicat, quod alibi:

Aut amet, aut faciat cur ego semper amem.

Sic iii. Amor. xii. 2.

Quam cœpi solus amare. HEINS. Nondum tamen video sensum, cum suspensa sit oratio. In Puteaneo et duobus aliis erat, *et ego*, in alio, *ait.* in quinque, *en ego quæ.* in Argent. *haud ego.* in Francofurtensi, *quem cepi, nec enim dedignor amore.* Legendum forte erit:

——— *Castris militet ille tuis;*

Atque ego, quæ cœpi: nec enim dedignor amare.

Ille militet, qui durus est, et ego, quæ jam cœpi amare: neque enim detrecto, ut ille, militiam tuam. præbeat modo ille mutuo amore materiem meo amori. BURM.

35. *Et ipsa mihi falso jactatur imago.*] *Ista imago* Puteaneus et alii ex castigatioribus. placet. *falsa* quoque idem Puteaneus. Forte, *mihi falsæ.* HEINS.

40. *Quo tamen adversis fluctibus ire paras.*] Malim, *Qua tamen* cum Scriveriano, vel etiam, *Quod tamen* cum Strozzæ codice, quia sequitur, *Quo fugis?* qui durus est concursus. *Ire maria* obvium. Ep. Herus, *Hellespontiacam iturus aquam* ex antiquis libris. Art. Am. ii. 47. ex vetustis exemplaribus:

Restat iter cæli, cælum tentabimus ire.

Amor. ii. El. xi.

Fallacesque vias ire Corinna parat,

de mari. Epistola Ariadnes:

Quod tibi maluerim, sine me debere procellis.
  Justior est animo ventus et unda tuo.
Non ego sum tanti, (quamvis merearis, inique,)
  Ut pereas, dum me per freta longa fugis.
Exerces pretiosa odia, et constantia magno;
  Si, dum me careas, est tibi vile mori.
Jam venti ponent; strataque æqualiter unda,
  Cæruleis Triton per mare curret equis.
Tu quoque cum ventis utinam mutabilis esses!
  Et, nisi duritia robora vincis, eris.
Quid? si nescieris, insana quid æquora possint?
  Expertæ toties quam male credis aquæ?

Ibis Cecropios portus.
Ire iter. vide Notas ad Epist. xviii. ver. 135. ita locuti Virgilius, Val. Flaccus et Gratius, qui *ire fretum* dixit. Heins.

45. *Quamvis merearis inique.*] In quibusdam *meditaris*, utrumque recte. Naugerius. Mirum hic in modum variant libri veteres. Diversas lectiones subjiciam, ut alienæ quoque conjecturæ sit locus. Puteaneus, *quid non terreris.* et emendatum *quod.* Ut forte corrigendum sit, *quo non terreris*, Vel, *quod non tu reris.* At Puteani et Jureti excerpta, et alter Mentelianus et Francofurtensis, *quod non censeris*, cum quatuor aliis. Heins. Legerem, *quamvis censebis inique:* id est tanti me non habebis, nec justo pretio me æstimabis. ita *pretium iniquum.* Epist. xiv. 129. et *iniqua pondera.* Flor. i. 13. Douza vulgatum, *quamvis merearis inique*, retinet. Burm.

48. *Si dum me fugias.*] *Me careas* præstantiores. *Fugis* paullo ante præcesserat. Heins. Octo etiam libri, *sit tibi velle mori*, quod posset capi, pro sit tibi voluntas moriendi. ut Mart. v. Ep. 85.

Velle tuum nolo, Dindyme, nolle volo.
Sed vulgata præstat. non magni ducas mortem, dummodo me careas. Apud Flor. ii. cap. 6. male puto Salmasium rescribere, *gens contumax vilisque morti.* et explicare facilem ad mortem excipiendam. cum *gens vilis mortis*, sit in cujus morte non magnum damnum: Sardi enim venales, et alius alio nequior, vili pretio vendebantur, et ita non magna jactura in eorum morte. ita Lucan. v. 263.

Animas effundere viles. Burm.

49. *Ponent.*] Ita passim Noster et alii loquuntur. sed subintelligi debere *mare*, vel *undas* docet locus Horatii. i. Od. 3. ubi de Noto:

——— *tollere seu ponere vult freta.*
Vide Cerdam ad Virg. vii. Æneid. 27. vel etiam potest subintelligi *flatus*, ut apud Statium ii. Silv. ii. 117.

——— *Hinc motis audit Tritonia cristis:*
Tunc rapidi ponunt flatus.
Qui locus et Douzæ erat notatus. Burm.

52. *Duritia.*] *Duritie* mallem. Vid. ad Ep. ii. 137. Heins.

53. *Quid si nescires.*] *Nescieris* tres

Ut pelago suadente etiam retinacula solvas,
Multa tamen latus tristia pontus habet.
Nec violasse fidem tentantibus æquora prodest.
Perfidiæ pœnas exigit ille locus.
Præcipue cum læsus Amor: quia mater Amoris
Nuda Cytheriacis edita fertur aquis.
Perdita ne perdam timeo, noceamve nocenti;
Neu bibat æquoreas naufragus hostis aquas.

libri. bene, ultima producta. ut Art. Am. i. 222.

Et quæ nescieris, ut bene nota refer.

Metam. x. 560.

Forsitan audieris aliquam certamine cursus
Veloces superasse viros.

similiter in *dederis, tuleris,* alibi produxit ultimam. ratio est, quod interdum quartam syllabam producebant, in *nescieritis,* et *audieritis,* similibusque. quod non vidit Cl. Vir Gerard. Vossius, qui in opere Grammatico complura exempla hanc in rem adfert. Plura loca animum intendenti facile tam apud Nostrum, quam alios primi ordinis Poëtas hic illic occurrent. Statius præsertim frequens est in hisce. Similiter in *tentaritis, dederitis, præstiteritis, abfueritis, steteritis, reddideritis, abstuleritis,* tertiam aut quartam syllabam interdum producebant. imo si Valerio Probo credendum, natura longam haberi syllabam hanc oportet. is artis Grammaticæ libro primo pag. 1433. Edit. Puts. *Sunt aliquæ syllabæ apud Virgilium, quæ necessitate metrica cum vitio βαρβαρισμοῦ, qui apud Poëtas μεταπλασμὸς appellatur, contra rationem corripiuntur, sunt aliquæ, quæ cum breves sint, necessario producuntur; in his, Matri longa decem tulerunt, &c. item, Obstupui steteruntque comæ,* te *syllabam longam in verbo corripit. item Egerimus nosti, et nimium meminisse necesse est;* ri *syllabam longam corripit.* Noster lib. vi. Metam. *vitam dederitis in undis.* Ponticorum lib. iv. El. v.

Consulis ut limen contigeritis, erit.

Ibid.

Cum maris Ionii transieritis aquas.

Sic *oderimus et erimus* tertia et secunda producta apud Paulinum carmine Sapphico ad Nicetam:

Et quia spes jam rapitur tenendi,
Urget adfectus, placitis favere,
Jam vias illas licet oderímus,
Quæ rapiunt te.

Et postea eodem carmine:

Quaque contendes, comites erímus
Ætheris arce.

Cœperimus pari modo et *sustulerimus* apud Terentianum Maurum. sic *noverimus,* apud Prudentium præfatione in Psychomach. Atque hæc ad hunc locum. *possint* etiam pro *possent* meliores libri. HEINS.

54. *Tam male.*] Vaticanus et Lovaniensis, *quam male,* ut per interrogationem legatur. Francius malebat sine interrogatione, *expertæ toties te male credis aquæ,* vel, *quam bene credis aquæ?* BURM.

59. *Quia mater amorum, Nuda Cytheriacis edita fertur aquis.*] In Epist. ad Helenam:

In mare (nil mirum) jus habet orta mari.

Ausonius: *Orta mari, suscepta solo,* &c. CIOF.

Vive, precor: sic te melius, quam funere, perdam.
Tu potius leti caussa ferare mei.
Finge, age, te rapido (nullum sit in omine pondus)
Turbine deprendi: quid tibi mentis erit? 66
Protinus occurrent falsæ perjuria linguæ,
Et Phrygia Dido fraude coacta mori.

63. *Vive precor.*] Diras his verbis imprecari Æneæ Dido credebat bonus ille Dausquejus ad Sil. lib. i. pag. 41. quasi vitam miseram et morte pejorem voveat. inepte. Amoris est vehementia, ut licet mereatur Æneas odium Didûs, illa tamen eum vivere malit, quam naufragio perire, quod mortis genus miserrimum credebant, quia sepulturâ carebat. Burm.

68. *Et Phrygia Dido fraude coacta mori.*] Fabulosum, et plane falsum est, Didonem ab Ænea adamatam fuisse: Cum certum atque exploratum sit, Æneam ante Urbis Romæ primordium anno cd. eoque amplius in Italiam venisse. Carthago autem ante Romam annis lxxii. vel, ut aliis placet, xcvii. condita est a Didone. Unde probabiliter colligitur, Didonem ab Ænea nec amari, nec videri potuisse. At licet Poëtis vulgo receptas opiniones sequi, quam fabulam ab Ennio in Romanorum gratiam primum confictam esse litteris proditum est. Huc facit Ausonii e Græco epigramma, in quo ejus fabulæ auctorem Virgilium fuisse ait:

Illa ego sum Dido, vultu quam conspicis hospes,
Assimulata modis pulcraque mirificis.
Talis eram, sed non, Maro quam mihi finxit, erat mens,
Vita nec incestis læta cupidinibus.
Namque nec Æneas vidit me Troïus unquam,
Nec Libyam advenit classibus Iliacis.
Sed furias fugiens atque arma procacis Iärbæ
Servavi, fateor, morte pudicitiam.
Pectore transfixo, castos quod pertudit enses,
Non furor, aut læso crudus amore dolor.
Sic cecidisse juvat: vixi sine vulnere famæ,
Ulta virum, positis mœnibus oppetii.
Invida cur in me stimulasti Musa Maronem,
Fingeret ut nostræ damna pudicitiæ?
Vos magis historicis lectores credite de me,
Quam qui furta Deûm, concubitusque canunt.
Falsidici vates, temerant qui carmine verum,
Humanisque Deos assimilant vitiis.

Ciof.

Vitiosus certe locus, si quis alius. Crispinus legit, *at me movere merentem, Inde minor,* &c. ut narratio Æneæ moverit Didonem ad misericordiam, et ex eo, quod doleret vices Æneæ, evenerit, ut minorem perfidiæ pœnam luerit. sed hæc longe a mente Poëtæ abeunt. Variant vero vehementer codices: in Scriveriano erat vulgata quidem lectio, sed adscriptum pro varia lectione, *nec eram corruptior inde.* in Regio post *narrabas* erat spatium vacuum, sed in margine vulgata scriptura. in Francof. erat pro *ure, jure.* Ego ex vestigiis veterum puto sic refingi commode posse:

Conjugis ante oculos deceptæ stabit imago
  Tristis, et effusis sanguinolenta comis.
Quidquid id est, totum merui, concedite dicas:
  Quæque cadent, in te fulmina missa putes.
Da breve sævitiæ spatium pelagique tuæque:
  Grande moræ pretium tuta futura via est.
Nec mihi parcatur; puero parcatur Iülo.
  Te satis est titulum mortis habere meæ.
Quid puer Ascanius, quid Dî meruere Penates?
  Ignibus ereptos obruet unda Deos.
Sed neque fers tecum: nec, quæ mihi, perfide, jactas
  Presserunt humeros sacra Paterque tuos.
Omnia mentiris: nec enim tua fallere lingua
  Incipit a nobis; primaque plector ego.
Si quæras, ubi sit formosi mater Iüli:
  Occidit, a duro sola relicta viro.
Hæc mihi narraras: nec me movere: merentem
  Ure; minor culpâ pœna futura meâ est.
Nec mihi mens dubia est, quin te tua numina damnent.
  Per mare, per terras septima jactat hiems.

Hæc mihi narraras; nec me movêre; merentem
Ure; minor culpâ pœna futura mea est.

Hoc sensu: debueram ex ipsa tua narratione, de uxore Creüsa prodita, perfidiam tuam didicisse, sed ita amore eram excæcata, ut me illa non moverent; quare me quoque, (nam stultitia mea id meruit) ure, ut Creüsam in igne et flammis prodidisti; illa enim pœna minor adhuc culpâ meâ erit. *Me movêre.* ut Ep. xii. 89.

Hæc animum (et quota pars hæc sunt) movêre puellæ.

Si vero quid sani lateat sub illa Scriveriani codicis lectione, quæ nec a librario videtur profecta, posset legi, *nec eram quoque cautior inde*, vel *nec eram prudentior.* sed verius opinor prius. Francius conjecerat:

—— *Hæc me movere gementem,*
At minor hæc culpâ culpa futura mea est. Burm.

87. *Quin te tua numina damnent.*] *Munera* multi ex scriptis. Puteaneus, *Quin te te munera damnant.* quod non assequor. De diis certe Æneæ comitibus jam supra egerat. Heinsius. In Regio et Francof. erat, *te mea munera;* sed optimam credo Moreti codicis lectionem, *Quin te tua crimina damnent.* Burm.

Fluctibus ejectum tuta statione recepi,
Vixque bene audito nomine, regna dedi.
His tamen officiis utinam contenta fuissem:
Et mihi concubitûs fama sepulta foret!
Illa dies nocuit, qua nos declive sub antrum
Cæruleus subitis compulit imber aquis.
Audieram vocem; Nymphas ululasse putavi;
Eumenides fatis signa dedêre meis.
Exige læse pudor pœnas, violate Sichæo:
Ad quem (me miseram!) plena pudoris eo.

89. *Ejectum.*] *Ereptum* Moreti et duo alii frustra: proprium enim hoc de naufragis in litus ejectis. Catal. Petronii:

Naufragus ejecta nudus rate quærit eodem
Percussum telo, cui sua fata legat.

Ubi perperam Douza *eversa rate.* vide quæ nos ad Petronii cap. cxv. et respicit Noster illa Virgilii lib. iv. 373.

——— *Ejectum litore, egentem*
Excepi, et regni demens in parte locavi.

Et mox, ut Priscianus citat, notante Pierio:

Ejectam classem, socios a morte reduxi.

Ubi nunc legitur *amissam classem.* Terent Andr. v. 4. *Ejectus apud Andrum navi fracta.* Plaut. Rudente. ii. vii. *Ejectus e mari.* et ita sæpe in ea fabula. Burm.

95. *Voces.*] *Vocem* meliores. Heinsius. Ita quoque Francof. Sueton. Nero. 46. de Mausoleo. *Sponte foribus patefactis exaudita vox est, nomine eum citantis.* vide de hoc prodigio Bulenger. de Prodig. iv. 19. sed in MS. quoque sæpe *voces* occurrunt. Valer. Flac. iii. 405.

—— *Et subitæ post longa silentia voces.*

Et hic quoque *voces* retineri possent, quia de Nymphis sequitur. Burm.

97. *Violate Sichæi.*] Sunt qui *Sichæo* malint. Egnatius. *Sichæu* veteres omnes. quod notandum: nec tamen quid sibi velit satis adsequor. *Thais Menandru* pro Μενάνδρου. in vetustis codicibus exaratur. sed hic *Sichæu* est casus tertius. *Ceu Simonidei,* pro *Cei* Auson. Profes. xiv. ex veteri codice. *Melampu* in vocativo. Stat. iii. Theb. 546. et 573. præterea in Regio codice hæc ita auctiora et interpolata legebantur:

Exige læse pudor pœnas, violataque —
Jura, nec ad cineres fama retenta meos:
Vosque mei manes, animæque cinisque Sichæi,
Ad quas, me miseram, plena pudoris eo. Heins.

98. *Ad quas me miseram plena pudoris eo.*] Sic scripti omnes. Occuparat jam editiones nonnullas *Ad quem.* nec auderem id damnare, si scriptorum codicum auctoritate inniteretur. Ut hæc, non minus quam sequentia, ad statuam referantur Sichæi, quam aditura sit Dido. Præterea scribe, *plena ruboris,* ne toties eodem vocabulo utatur prorsus inconcinne. nam et *pudor* proximo præcesserat versu, et mox subsequitur denuo, *admissi tarda pudore mei.* Heins.

Est mihi marmorea sacratus in æde Sichæus:
Adpositæ frondes velleraque alba tegunt.
Hinc ego me sensi noto quater ore citari:
Ipse sono tenui dixit, Elissa veni.
Nulla mora est; venio; venio tibi debita conjux:
Sed tamen admissi tarda pudore mei.
Da veniam culpæ; decepit idoneus auctor;
Invidiam noxæ detrahit ille meæ.
Diva parens, seniorque pater, pia sarcina nati,
Spem mihi mansuri rite dedère viri.
Si fuit errandum, caussas habet error honestas:
Adde fidem; nulla parte pigendus erit.
Durat in extremum, vitæque novissima nostræ
Persequitur fati, qui fuit ante, tenor.
Occidit internas conjux mactatus ad aras:
Et sceleris tanti præmia frater habet.

100. *Velleraque alba.*] Lanam niveam recte ex Virgilio interpretes esse docent. Baudelotius vero de utilitate Peregrinationum tom. i. pag. 275. de *pelle canis* explicat; nihil vidi ineptius. Burm.

103. *Nulla mora est.*] Sollemni ex formula. Nepos Conon. iii. *Huic ille inquit, nulla mora est.* sæpe Comici. Burm.

112. *Prosequitur.*] Lege cum iv. MSS. *persequitur*, id est cum infesto animo. Phædr. lib. iii. Fab. 20.

Qui natus est infelix, non vitam modo
Tristem decurrit, verum post obitum quoque
Persequitur illum dura fati miseria.
Burm.

113. *Occidit in terras.*] Sic in omnibus: ego quid sibi illud *in terras* velit nescio. fortasse *internas* legendum. Ante deos enim penates et aras domesticas occisus et Sichæus. ut Virgilius etiam, *et sparsos fraterna cæde penates.* Nauger. Ita quidem in plerisque legitur, nulla satis commoda sententia, quid enim ad sententiam faciunt hæ voces *in terras*? Proinde quidam emendare volentes hunc locum, pro *in terras, internas* substituêre: ut sit *ad internas aras* dictum, pro ad interiores, sive occultas, ut opinor. Quando et Virgilius dixit, *Clam ferro incautum superat,* &c. Sed quid si legas *Herculeas,* pro *in terras.* ut ad Herculis aras occisum accipiamus: quando Sichæus Herculis Sacerdos fuisse etiam apud Justinum traditur. Studiosis ergo hunc locum amplius excutiendum relinquimus. Micyllus. Eruditissimorum virorum sequor opinionem, qui non magna mutatione legunt, *Occidit internas. Internas* autem *aras,* id est ante Deos penates, interpretantur. Virgil. lib. iv. Æneid. Vulgata autem lectio ita vitiosa est,

Exul agor; cineresque viri, patriamque relinquo:
Et feror in duras, hoste sequente, vias.
Adplicor ignotis: fratrique elapsa fretoque,
Quod tibi donavi, perfide, littus emo.
Urbem constitui; lateque patentia fixi
Mœnia, finitimis invidiosa locis.

ut nullo pacto ferri posse videatur. Ciofanus. *In terras* Puteaneus cum aliis plerisque. quinque libri *ad terras.* quatuor *in terris.* duo *in terra.* *Externas* totidem. Micyllus *Herculeas* reponit. Forte Naso reliquerat, *Herceas ad aras.* Ara enim in interiori parte ædium dedicabatur Jovi Herceo. Talis illa, ad quam a Neoptolemo interfectus est Priamus. Noster in Ibide de Priamo:

Cui nihil Hercei profuit ara Jovis.

Atque ita passim, cum extrema Priami describunt Poëtæ. Senec. Agamem.

Sparsum cruore regis Herceum Jovem.

Hesychius: Ἥρκιον κύκλος αὐλῆς, οἰκία, τειχίδιον, στεφανὴ δώματος. Idem: Ἑρκίου Διὸς, τοῦ ἀσφαλίου ἢ τοῦ κατὰ τὴν οἰκίαν. ἔστι δὲ ἑρκεῖος Ζεὺς παρὰ Ἀθηναίοις. Vide et Harpocrationem in eadem voce, et Suidam, et Etymologici auctorem, et Eustathium in Iliada atque Odysseam. et Sciopp. Paradox. Literar. p. 48. et Column. in Enn. p. 367. Unde liquet Latine sine diphthongo id nomen scribendum. Lucanus lib. ix. de Cæsare Troadem transeunte:

Herceas monstrator ait, non respicis aras!

At Pater meus notis ad Silium lib. ii. 426. *Infernas* existimat legendum. sed si vulgata placet, potest *internas* pro *infernas* dictum esse, quomodo *subterna centra* Prudentio lib. i. contra Symmach. v. 393. pro infernalibus; et Hamart. v. 930. *subterna nox* e MS. veterrimo; et ita Amm. lib. xv. *Interna veritatis adyta.* Heins.

116. *In duras.*] *Dubias* Basileensis. sic sæpe alibi; ut et *fallaces vias.* ii. Amor. xi. 8. quoties de mari agitur. Heinsius. Recte, et ita esset de navigatione, quæ dubia et periculosa, capiendum. ut *ambiguas* dixit Epist. x. 62. et Epist. xvi. 22. *Dubias* etiam dixit. sic sæpe *dubium* mare, aquam, &c. passim Noster et alii. præfero tamen hic consensum codicum, ut *duræ* viæ sint laboriosæ et plenæ jactationis. ita Valer. Flac. i. 565.

—— *Durum vobis iter et grave cœli Institui.* ———

Lucan. ix. 39.

Durum iter ad leges patriæque ruentis amorem.

Ita contra *molle iter.* ii. Amor. xvi. 20. has vero voces *durus* et *dubius* frequentissime confuderunt librarii. vide ad Quinct. vi. Inst. Orator. 3. et Val. Flac. vi. 543. Burm.

119. *Lateque patentia fixi mœnia.*] *Finxi* Putean. et decem alii; novem *feci*, ut in Fastis iii. 92.

Factaque Telegoni mœnia celsa manu.

Nisi *jeci mœnia* hic, et ibi *jacta mœnia* legendum, ut in illo Propertii ii. Eleg. xxv. 64.

Jactaque Lavinis mœnia littoribus.

De Roma. et Fast. iv. 835.

Jaciunt fundamina cives. Heins.

Insolentius *jacere* mœnia, quam *figere* puto. quamvis etiam melius sedes, quam mœnia *figi* dici arbitrer: *jacere* vero *fundamina, moles,* et similia recte dici puto. ut notat Acro in Horat. iii.

Bella tument: bellis peregrina et femina tentor:
Vixque rudes portas urbis, et arma, paro.
Mille procis placui: qui me coïere, querentes,
Nescio quem thalamis præposuisse suis.
Quid dubitas vinctam Gætulo tradere Iärbæ?
Præbuerim sceleri brachia nostra tuo.
Est etiam frater; cujus manus impia possit
Respergi nostro, sparsa cruore viri.

Od. i. sed *jacere mœnia* non placet; si *strui* in MSS. esset amplecterer. ut Ep. xvi. 180.

Mœnia Phœbeæ structa canore lyræ.

Ubi et codices quidam *facta*, quare et hoc verbum hic præfero. præterea nescio an non rectius cum uno Regio legatur, *lateque potentia*. de quo v. ad Petron. lxxxii. Burm.

121. *Bella tument.*] Vulgata recte se habet. Claudian. ii. de Laud. Stilic. 95.

——— *Quamvis certamine partes*
Jam tumeant. ———

Ubi vide Barth. et quidam illic codices *certamina partis jam timeant.* et ita *tumere* omnes dicuntur, qui graviori animi motu concitantur. vid. Heins. ad Claud. Bell. Gild. 330. sic *tumere* negotia dici, cum maxime agitantur, notat Ampl. Cuper. ii. Obs. 4. et in his locutionibus metaphoram esse a mari concitato puto, quod *tumere* Noster ii. Pont. iii. 27. dixit, et *tumidum* passim Noster et alii vocant. similis ratio in *ardere*, ut enim mare *ventis ardere*, sic *bella ardere*, et *regiones ardere bellis* dicunt scriptores. de quibus alibi. Burm.

122. *Vixque rudes.*] Portæ recte *rudes* possent intelligi, nondum arte fabrili perfectæ et politæ; ut *rudes remi* Claud. Præf. in Rapt. et *rude solium*. vid. Rittersh. ad Querol. p. 82. sed cum in Puteanei excerptis sit, *virque rudis*; in Leidensi *ad arma.* ego ex vestigiis eorum legere mallem:

Vixque rudis portas urbis ad arma paro.

Ut sit sensus; ego femina, rudis ad arma, vix paro portas urbis. vel etiam, vix paro portas urbis rudis ad arma. sic infr. Ep. xi. 48. *rudis ad partus. rudis ad Veneris furtum.* xvii. Ep. 141. et Justin. i. 1. *rudes ad resistendum populos.* portarum autem recte mentio, quibus incursus sustineri vicinorum posset, sine quibus mœnia nihil prodessent. Burm.

123. *Qui me coiere.*] Alii codices, *me cupiere* vel *petiere*. sed vera lectio est vulgata, si Tò *in* tollas ex auctoritate optimorum exemplarium. Refer autem *me* ad *querentes*, non ad *coiere*. *Coire* pro convenire. *Coire* cum quarto casu jungunt Jurisconsulti veteres, hinc *coire societatem* apud illos frequens. Heinsius. Probo Heinsii expositionem. ejectum et hoc verbum apud Senec. ii. de ira 8. *Undique velut signo dato ad fas nefasque miscendum coiere.* ita scripti. vulgo *coörti sunt.* Burm.

126. *Præbuerim.*] Douza legebat *præbueram.*

127. *Poscit.*] *Possit* constanter libri veteres, quos sequor. nisi legendum *poscat*. iv. Trist. iv. 59.

Sunt circa gentes, quæ prædam sanguine quærant. Heins.

Pone Deos, et quæ tangendo sacra profanas:
Non bene cœlestes impia dextra colit.
Si tu cultor eras elapsis igne futurus;
Pœnitet elapsos ignibus esse Deos.
Forsitan et gravidam Dido, scelerate, relinquas;
Parsque tui lateat corpore clausa meo.
Accedet fatis matris miserabilis infans;
Et nondum nato funeris auctor eris.
Cumque parente sua frater morietur Iüli;
Pœnaque connexos auferet una duos.
Sed jubet ire Deus. vellem vetuisset adire;
Punica nec Teucris pressa fuisset humus.
Hoc duce (nempe Deo) ventis agitaris iniquis,
Et teris in rapido tempora longa freto.
Pergama vix tanto tibi erant repetenda labore,
Hectore si vivo, quanta fuere, forent.
Non patrium Simoënta petis; sed Thybridas undas.
Nempe, ut pervenias quo cupis, hospes eris.
Utque latet, vitatque tuas abstrusa carinas,
Vix tibi continget terra petita seni.

135. *Accedat fatis matris.*] Malim *matris fato*, ne tres voces in *is* exeant. ita vers. 187. *Quam bene conveniunt fato tua munera nostro.* Burm.

136. *Nondum nati.*] Scribe *nato*, ut ambiguitas vitetur; et ita Slichtenhorstius. Heins.

138. *Connexos.*] *Connixos* Bersm. MS. quod ille explicat partu simul laborantes.

145. *Non patrium Simoënta petis, sed Tibridis undas.*] Optimus Puteaneus *Tybridas undas*. egregie. sic *Cephisidas undas* Noster dixit libro primo Met. v. 369. et ibidem *Peneïdes undæ*. ii. Fast. 597. *Tiberinides undæ*. Tibul. i. Eleg. 6. *Aniena flumina.* quomodo et Horat. iii. Od. xii. *Tyberinas undas.* et in veteri Epigrammate Græco Anthologiæ θύμβριας Ῥώμη. et Lucanus libro iii. 277. *Mæotidas undas*, ex veteri codice:

Quoque fretum torrens Mæotidas egerit undas.

Et *Garamantidas undas* idem lib. ix. 369. Heins.

146. *Hospes eris.*] Gebhardus notaverat in ora codicis sui se existimare legendum, *Hostis eras.* non probo. Burm.

147. *Utque latet refugitque tuas.*] *Vitatque tuas* Puteaneus et alii quidam. sic Virgilio v. 629.

Italiam sequimur fugientem.

Hos potius populos in dotem, ambage remissa,
  Accipe; et advectas Pygmalionis opes.
Ilion in Tyriam transfer felicius urbem:
  Hancque, locum regni, sceptraque sacra tene.
Si tibi mens avida est belli, si quærit Iülus
  Unde suo partus Marte triumphus eat;
Quem superet, ne quid desit, præbebimus hostem.
  Hic pacis leges: hic locus arma capit.
Tu modo, per matrem, fraternaque tela, sagittas,
  Perque fugæ comites, Dardana sacra, Deos:
(Sic superent, quoscumque tua de gente reportas,
  Mars ferus et damnis sit modus ille tuis,
Ascaniusque suos feliciter impleat annos,
  Et senis Anchisæ molliter ossa cubent)

Abstrusa etiam meliores. Alii aliter, eodem tamen omnes sensu hunc versum libri exhibent. HEINSIUS. Immo vero diverso sensu multi codices hunc versum exhibent. nam in Regio, Juniano et sex aliis erat: *Utque juvet ventusque tuas, remusque carinas.* et octo alii eodem fere modo, nisi quod *remus* et *ventus* transponant. Leidensis: *Utque juvet velumque tuas ventusque carinas.* Scriverii: *Ut moveas remoque tuas ventoque carinas.* in alio erat: *Utque volet remusque tuis ventusque carinis.* ut *volet carinis* sit dictum, ut *alicui velle*, pro favere, Stat. xi. Theb. 510. et dubito valde, an non ad sensum accommodatior sit Regii codicis scriptura. ut velit, licet prosperrima utaris navigatione, vix tamen pervenies in terram, quam petis, ante senectutem. *Juvare* vero proprie ventus dicitur, ut sæpe apud Nostrum et alios. Val. Flac. ii. 587.

Stridentesque juvant auræ.

Ubi plura notabimus. *venti* autem et *remi* toties junguntur, ut proverbio locum dederint. sic Florus ii. 18. *Mox ventis remisque properatum est.* et antiquos, in primis etiam Ænean, ventis remisque navigasse docet Servius ad Virgil. i. Æneid. 104. BURM.

152. *Inque loco regis sceptra sacrata tene.*] Ego ex vestigiis Barberini Vossiani et Leidensis codicum recepi:

Hancque, locum regni, sceptraque sacra tene.

Hanc urbem, non illam, quam in Italia quæris, tene locum regni tui, et ibi sceptra sacra habe. BURM.

155. *Quem superet.*] *Quod superest* Puteaneus et alii ex melioribus. Forte *Quos superet hostes.* HEINS.

157. *Tu modo per patrem.*] Heumannus in Parerg. Criticis. pag. 118. legit:

Tu modo fer patrem, fraternaque tela sagittas,
Ferque fugæ comites.

Et *fer* pro *refer* capit. sed an repeteret patris ossa ex Sicilia? ergo prius Siciliam tendere debebat? et qualis hæc consociatio ossium paternorum, et telorum Cupidinis? BURM.

Parce precor domui, quæ se tibi tradit habendam.
Quod crimen dicis, præter amasse, meum?
Non ego sum Phthias, magnisve oriunda Mycenis:
Nec steterunt in te virque paterque meus.
Si pudet uxoris; non nupta, sed hospita dicar.
Dum tua sit Dido, quodlibet esse feret.
Nota mihi freta sunt Afrum frangentia littus:
Temporibus certis dantque negantque viam.

165. *Non ego sum Phthia.*] *Phthias* Puteaneus cum emendatioribus novem aut decem aliis. vere. fœmina *Phthias* et *Phthiotis*. Euripides Andromacha choro primo, nam apud alios vix occurrit:

Φθιὰς, ὅμως ἔμολον ποτὶ σὰν Ασιήτιδα Γύναν.

Ad te Phthias ego quamvis Asiatida veni.

Inter nummos Philippi Parutæ Siculos unus exstat elegans in primis æreus, ab una parte fulmen referens, cum inscriptione ΠΥΡΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ab altera parte fœmina vittata; reginæ habitu, ΦΘΙΑΕ, quo designari Achillis patriam existimo, per fulmen autem originem ejus ab ipso Jove deductam. Apoll. Rhodius libro i. 53.

Τοῖσι δ' ἐπὶ τρίτατος γνωτὸς κίε νισομένοισιν
Αιθαλίδης. καὶ τὸν μὲν ἐπ' Ἀμφρύσσοιο ῥοῇσιν
Μυρμίδονος κούρη Φθιὰς τέκεν Ἐυπολέμεια.

Tertius Æthalides hos frater in arma secutus,
Amphrysi in lucem quem propter fluminis oras
Filia Myrmidonis Phthias dedit Eupolemia.

Euripidis exemp'um producit Stephanus Byzantinus in Φθίᾳ. *Pthia* hinc nomen muliebre, quomodo appellata apud Justin. lib. xxviii. cap. 1. neptis Pyrrhi Epirotarum Regis; et apud Plutarch. in vita Pyrrhi ejusdem mater. Heinsius. Non tamen damno *Pthia*, quia *Mycenis* sequitur, quas conjungit etiam Virgil. i. 284.

Cum domus Assaraci Pthiam clarasque Mycenas
Servitio premet.

Scribendum vero *magnisve* vel invitis libris, quorum multi habent, *magnis oriunda*, unus *ornata*. Burm.

166. *Nec steterunt.*] Ea forma, qua Virgilius *steteruntque comæ*, et Terentius *emerunt*. Egnat. *Steterunt* Puteaneus et Leidensis. recte: Virgilius ii. 774.

Obstupui, steteruntque comæ.

Sic *Quæsierunt* Epistola Œnones ex veteri libro. et *Vagierunt* in Fastis. sic apud Statium Theb. iii. v. 302. *Exciderunt*. Theb. v. 274. *Absciderunt*. lib. xii. v. 167. *Horruerunt*. Epist. Medeæ ex veteri libro:

Nostin? an exciderunt mecum loca?

Epistola Hypermnestræ ver. 72. *Expulerunt*. Epist. Acontii. ver. 242. et Art. Am. iii. 405. *Fuerunt*. et ver. 188. *Exciderunt*. *Mollierunt* Amor. ii. Eleg. i. *Terruerunt*. lib. iii. El. v. *Profuerunt*. Remed. 263. *Præbuerunt*. Epist. ii. v. 141. *Contigerunt*. Fast. i. v. 592. *Vagierunt*. Fast. ii. v. 505. *Horruerunt*. Fast. ii. v. 502. *Annuerunt*. Fast. ii. v. 497. *Audierunt*. Fast. iii. v. 65. *Finierunt*. Fast. iii. v. 231. *Polluerunt*. Fast. iii. quæ loca in vulgatis libris sunt depravata. Plura alibi dicemus. Heins.

169. *Frangentia.*] Alii *tangentia*.

Cum dabit aura viam, præbebis carbasa ventis.
Nunc levis ejectam continet alga ratem.
Tempus ut observem, manda mihi; certius ibis:
Nec te, si cupies ipse, manere sinam.
Et socii requiem poscunt, laniataque classis
Postulat exiguas semirefecta moras.
Pro meritis, et siqua tibi præbebimus ultra,
Pro spe conjugii tempora parva peto.

Puto scribendum *plangentia*. Epistola Herus:

Me miseram! quanto planguntur littora fluctu!

Ubi etiam *franguntur* in veteri libro: male. Lucanus libro vi. 691.

Exprimit et planctus illisæ cautibus undæ.

Apud Statium quoque Achilleide i. 389. scribendum videtur:

————*Interque vadosas*
Cycladas, Ægææ plangunt ubi saxa procellæ.

Ubi pari modo peccatur. Virgilius Georgicωn libro primo v. 333.

Ingeminant Austri, et densissimus imber
Nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangit.

Ita enim in nonnullis exemplaribus. Vulgati codices *plangunt*. Lucretius libro ii. 1154.

Nec mare, nec fluctus plangentes saxa crearunt.

Et ita alii. Fluctus vero a littore frangi passim Poëtis dicuntur, non littus a fluctibus. quomodo *fluctifragum littus* Lucretius. Senec. Œd. 603.

Fluctus non tot frangit Ionium mare. Heins.

Dubito an perpetuo vera sit Heinsii observatio, et æque littora *frangi* a fluctibus dici deprehendo, ac fluctus a littoribus. idem enim Priscianus in Periegesi dixit:

Rapido quod frangit gurgite saxa.

Alias, fatemur, frequentius est de aquis. Vid. ad Val. Flac. iii. 36. et ad Petron. 123. Scaligero placuisse *mutantia*, notat Bersmannus. quia hoc naturam Syrtis melius exprimit. Burmannus.

177. *Debebimus ultra.*] *Ultro* Puteaneus et Argentinensis. hoc est, si quid tibi debebimus, quod vincat mea beneficia. Heinsius. Neque verba Ovidii, neque Heinsii interpretationem satis recte capio. nec puto nos obtestari et rogare per ea, quæ debemus alteri; neque etiam *debere ultro* eleganter dici. quare Vossiani codicis scripturam amplectimur, et legimus:

Pro meritis, et si qua tibi præbebimus ultra.

Rogat, ut aliquid sibi reddat pro tot meritis, quibus jam eum prosequuta est, et pro illis, quæ adhuc præter ea libens est præbitura. idem ut dicat, quod Phyllis Demophoonti Epist. ii. 110.

Munera multa dedi, multa datura fui.

Præbebimus etiam codex Douzæ. solemnis illa confusio *τῶν debere* et *præbere*, ut vii. Metam. 48. *Tibi se semper debebit Iason.* ubi etiam codices *præbebit*. si quis *ultro* malit, non valde repugnabo. restituimus etiam hoc verbum *præbere*, Quinctiliano Decl. ix. 19. Burm.

Dum freta mitescunt, et Amor: dum tempore et usu
Fortiter edisco tristia posse pati.
Sin minus; est animus nobis effundere vitam.
In me crudelis non potes esse diu.
Adspicias utinam, quæ sit scribentis imago!
Scribimus; et gremio Troïcus ensis adest:
Perque genas lacrimæ strictum labuntur in ensem;
Qui jam pro lacrimis sanguine tinctus erit.
Quam bene conveniunt fato tua munera nostro!
Instruis impensa nostra sepulcra brevi.
Nec mea nunc primo feriuntur pectora telo:
Ille locus sævi vulnus Amoris habet.
Anna soror, soror Anna, meæ male conscia culpæ,
Jam dabis in cineres ultima dona meos.
Nec, consumta rogis, inscribar, Elissa Sichæi;
Hoc tamen in tumuli marmore carmen erit:

179. *Dum freta mitescunt. et amor dum temperat usum; Fortiter ediscam tristia posse pati.*] *Edisco* meliores omnes. hoc primum. Heinsius. Douza *temperat usu*, pro temperatur, id est tolerabilis fiat, capiebat. sed Salmasiana emendatio palmam refert, et ex ipsis Philosophorum placitis petita est sententia. Vid. Senec. de Tranquillitate, cap. x. Burm.

188. *Instruis impensa.*] Argute: *impensa* non pro sumtu capiendum, quod volunt interpretes, sed pro re qualibet ad ornandum sepulchrum idonea. in antiquo marmore apud Gruterum pag. mxcvi. 10. *Huic ordo publice locum sepulturæ, impensam funeris, et statuam decrevit.* et sic apud Justinum libro xi. c. 15. videtur scribendum, *pro se magis justam quam gravem sepulturæ impensam orare.* non *veniam.* idem libro xii. *Alexander amissos milites magnis funerum impensis extulit.* apud Juvenalem:

Ardet adhuc, et jam accurrit, qui marmora donet,
Conferat impensas: hic nuda et candida signa,
Hic aliquid præclarum Euphranoris aut Polycleti.

Vides per *impensas* marmor designari et statuas, quæ ad instaurandam ac ornandam domum exustam ab amicis conferebantur. Heinsius. Idem de voce *impensa* notavit Salmasius de Usuris p. 40. et verum puto in quibusdam locis. et ita forte illa apud Jul. Obseq. cap. lxxxvii. capienda: *Terracinæ sereno navis velum fulmine tactum, in aquas dejectum, et impensas omnes, quæ ibi erant, ignis absumsit.* ubi male Schefferus, *Res impositas omnes,* audaci conjectura restituit. *Impensæ navis* sunt ornamenta, vel armamenta, quibus instructa fuit navis. non vero in inscriptionibus, ubi funeris impensæ sunt sumptus publice facti in funus. Burm.

193. *Elissa Sichæi.*] Ita *Cæcilia Metelli* in veteri lapide. vid. Pigh.

Præbuit Æneas et caussam mortis et ensem. 195
Ipsa suâ Dido concidit usa manu.

EPISTOLA VIII.

HERMIONE ORESTÆ.

[Adloquor Hermione nuper fratremque virumque,
Nunc fratrem; nomen conjugis alter habet.]

ad Valer. Max. i. v. et viii. 3. Heinsius. Vide Clar. Perizonium Dissertat. i. p. 18.

194. *Tumuli.*] Codex chartaceus Car. Strozzæ *tituli. Titulus* est inscriptio. Am. ii. xii. 25.

Adjiciam titulum servata Naso Corinna.

Met. xi. 429. ex MSS.

Et sæpe in titulis sine corpore nomina legi. Heins.

Sed rectius *marmor tumuli* dici puto. cum *titulus marmoris* potius, quam *tituli marmor* dicendum esset, et Virgilii locus ab aliis productus, *tumulo superaddite carmen,* satis hoc evincit. passim vero permutari a librariis *titulum* et *tumulum* videbimus ad xi. Met. 429. Burm.

195. *Præbuit Æneas et caussam mortis et ensem. Ipsa sua Dido concidit usa manu.*] Repetit hoc distichon lib. iii. Fastorum 549. Et iii. 39. De Arte hanc eandem expressit sententiam, ubi ita est:

Et famam pietatis habet, tamen hospes et ensem
Præbuit, et caussam mortis Elissa tuæ. Ciof.

Sententia ex Jure, quo occidisse dicitur, qui mortis caussam præbuit. leg. 51. ff. ad L. Aquil. et i. 15. ad Leg. Cornel. de Sicar. et hinc toties in Declamationibus, quinam caussa mortis fuisse dicatur, disceptatur. Vid. Quinctil. Decl. cclxx. cclxxxix. ccxcii. et alibi. Burm.

1. *Alloquor.*] Non inveniuntur hæc in antiquis exemplaribus, sed omnino his ablatis nescio quid desideraretur. Naugerius. Etiam hos versus sunt qui velut nothos rejiciant, et omittant: quod equidem miror, cum et propositionem Epistolæ contineant, et iisdem omissis Epistola ipsa plane ἀκέφαλος relinquatur. Quare et nos quidem, Aldi auctoritatem sequuti, apud quem idem Epistolæ hujus principium est, integras, ac suo loco immotas reliquimus. Ceterum ut hoc παρεργῶς addamus; familiare Ovidio est a principio Epistolarum, et item aliarum Elegiarum, ponere distichon aliquod, quod summam argumenti quandam proponat. sic hactenus in plerisque epistolis factum videmus. sic alibi in amoribus, ut de morte Psittaci:

Psittacus, Eois ales mihi missus ab Indis,
Occidit, exsequias ite frequenter aves.

Et in Nuce:

Nux ego juncta viæ, cum sim sine crimine vitæ,
A populo saxis prætereunte petor.

Sed hæc hactenus. Micyllus. Hi duo versus non sunt in lib. Vatic. neque in aliis, quos vidi, veteribus. Ciofanus. Primum hoc distichon ab

Pyrrhus Achillides, animosus imagine patris,
Inclusam contra jusque piumque tenet.
Quod potui, renui; ne non invita tenerer;
Cetera femineæ non valuere manus.
Quid facis, Æacide? non sum sine vindice, dixi:
Hæc tibi sub domino, Pyrrhe, puella suo est.
Surdior ille freto clamantem nomen Orestæ
Traxit inornatis in sua tecta comis.

omnibus, quos vidi, libris manu descriptis abest, nisi quod in uno meo margini est adjectum, et quidem manu recentiori. Videtur autem ejusdem notæ esse, cum iis versibus, quos initio Epistolæ Œnones et Didûs extare in nonnullis libris monuimus. Heins.

3. *Achilleides.*] De Pyrrho et Oreste vide quæ ex Hygino in Ibin adnotabo. Pyrrhus autem dictus est a patris sui nomine, qui cum in Scyro inter Lycomedis regis filias lateret, Pyrrha vocabatur. Auctor idem Hyginus cap. xcvi. et xcvii. Ciofanus. *Achillides* bene Puteaneus hic, ut et Ibide 301. sic *Atrides, Ægides, Pelides, Belides, Phinides, Thesides, Driantides, Promethides, Œnides, Amphiaraides*, et similia apud Nostrum. Heins.

Animosus.] Ita egregie in scenam prodit apud Senecam in Troad. v. 210. et seqq.

4. *Jusque piumque.*] Est idem quod *jus* et *fas*. Vid. ad Petron. cviii.

5. *Quod potui.*] *Quam potui* alter Mentelianus, pro diversa lectione, cum glossa, id est *quantum*. adi notas Remed. Amor. v. 325. Gottorph. *qua*. alius *quo*. Heinsius. Nihil muta; nam æque bene et eleganter *quod potui* dicitur: ita Terent. Eunuch. ii. 1. 9. Burm.

9. *Clamantem nomen Orestis.*] Puteaneus *Orestes*. Lege *Orestæ*. non enim aliter secundum tertiumque casum ejus nominis meliori ævo efferebant. nisi quod Priscianus notet libro sexto, Ciceronem et Sallustium semel *Orestis* casu secundo enuntiasse. *Oresti* est apud Gell. lib. iii. cap. 10. In Ibide ex scriptis:

Utque Agamemnonio vulnus dedit anguis Orestæ.

Orestes, Orestæ. Thyestes, Thyestæ. Geriones, Gerionæ. Pylades, Pyladæ. Noster Pont. lib. ii. Eleg. iii. cum optimo codice:

Adfuit insano juvenis Phoceus Orestæ.

Hinc et *Oresta* non semel in quinto casu apud Nostrum. At Patavinus liber habet *nomen Oresti*. Quomodo Priscianus, *Bootes, Bootæ*, et *Booti* ex Ciceronis Arateis notat, ut Ulysses, Ulyssi, et similia. Noster in Ibin:

———*sit quod Pelopea Thyestæ.*

Bootæ apud Nostrum secundo casu passim occurrit. apud Avienum Descriptione Orbis *Bootis* frequenter. vid. Servium ad Virg. Æneid. vii. 662. Heins.

10. *Traxit.*] *Tradit* Basileensis, unde Heinsius olim faciebat *Trudit*. ego nihil muto. est enim elegans oppositio violenti raptus, et placidæ deductionis sponsæ. quam ducere debebat ornatam et comptam (vide Epist. ix. 125. et xii. 156. et alibi) eam vi traxit inornatis capillis. in *sua castra* etiam venustius Gronovianus. Burm.

Quid gravius, capta Lacedæmone, serva tulissem,
Si raperet Grajas barbara turba nurus?
Parcius Andromachen vexavit Achaïa victrix,
Cum Danaus Phrygias ureret ignis opes.
At tu, cura mei si te pia tangit, Oreste,
Injice non timidas in tua jura manus.
An, si quis rapiat stabulis armenta reclusis,
Arma feras? rapta conjuge lentus eris?
Sit socer exemplo, nuptæ repetitor ademtæ:
Cui pia militiæ caussa puella fuit.
Si socer ignavus vidua sedisset in aula;
Nupta foret Paridi mater, ut ante fuit.

11. *Quid gravius capta Lacedæmone serva tulissem.*] Sic prope lib. iv. Fast. de Cerere:

Quid gravius victore Gyge captiva tulissem? CIOF.

In multis codicibus est *fuissem*, an pro *luissem?* Francius pro *barbara*, malebat Dardana. vid. Epist. i. 26.

13. *Achaïa.*] A parte totum, κατὰ συνεκδοχήν. sic in epistola ad Helenam:

O quoties dices quam pauper Achaïa nostra est.

Et lib. xiii. Metamorph.

——et auxilium promittet Achaïa Trojæ. CIOF.

15. *Si te jam tangit.*] Alii *pia tangit*, alii *nunc*. EGNATIUS. Dubito tamen an æque recte *cura pia* dicatur, ac *cura piæ sororis*. ita certe loquitur Epist. xiv. 123.

At tu si qua piæ, Lynceu, tibi cura sororis.

Quare et hic posset legi, *At te, cura piæ si te jam tangit, Oreste.* sed parum abest, quin præferam scripturam codicis Balliolensis: *At te caussa mei si te pia tangit. Pia caussa* passim, pro justa, æqua. ut mox v. 20. ubi etiam alii codices *pia cura.* et vi. Met. 496. *Quoniam pia caussa coëgit.* ii. Amor. xvi. 47. tamen dixit: *Si qua mei tamen est in te pia cura relicti.* ita parum certum ex uno loco ad alterum argumentum ducitur. Francius, *si te modo.* BURM.

17. *An si quis.*] Argumentum a minori. CIOF.

Reclusis.] Non grave satis verbum, nec aptum raptori, qui vi effringere fores fingendus. vid. xiv. Met. 781. ubi de apertis admodum leniter foribus adhibetur. Forte scripsit, *revulsis*, vel *refractis*. ut vi. Metam. 597.

————Portasque refringit,
Germanamque rapit. BURM.

20. *Cui pia.*] Hunc et sequentem versum plerique codices non agnoscunt, sed male. pro *vacua aula* tres libri *vidua*. HEINS.

21. *Stertisset.*] Miror omnes Interpretes tam secure hoc verbum transire, cum certe barbarum sit: dicendum enim *stertuisset*. sed hoc respuit lex carminis. v. Vossium de Analog. lib. iii. c. 31. Editiones Venetæ et Gryphii cum Palatino codice *stetisset.* quod æque vitiosum, nec versus admittit. margo Micylli et Bersmanni *sedisset*, quod recipi posset: *Sedere*

Nec tu mille rates sinuosaque vela pararis;
  Nec numeros Danai militis: ipse veni.
Sic quoque eram repetenda tamen: nec turpe marito
  Aspera pro caro bella tulisse toro.
Quid? quod avus nobis idem Pelopeïus Atreus;
  Et si non esses vir mihi, frater eras.
Vir, precor, uxori, frater succurre sorori:
  Instant officio nomina bina tuo.
Me tibi Tyndareos, vita gravis auctor et annis,
  Tradidit: arbitrium neptis habebat avus.

enim proprie est desidis et inertis, ut vulgo notissimum. et ita Virgilius in nostri Ovidii sensum utitur iii. Georg. 456.

——*Et meliora Deos sedet omnia poscens.*

Neque minus venustate sua se commendat Regii unius et Heinsiani alterius lectio:

Si socer ignavus vidua plorasset in aula.

Est autem adlusum ad illud, quod graviter Sallustius extulit. Catil. 52. *Non votis neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur, vigilando, agendo, bene consulendo prospere omnia cedunt,* &c. Vid. et Liv. xxv. 37. sic et Noster vi. Fast. 444.

Non est auxilium flere, Metellus, ait.

Et quæ passim ejus generis apud omnes cordatos scriptores occurrunt. idem sensus eveniret certe, si *stertisset* posset stare. nam Terent. Adel. iv. 5. dixit: *Credebus dormienti hæc tibi confecturos Deos.* sed muliebre magis est plorare. Quinctil. Decl. 343. *Frustra plorabimus apud judices.* Burmannus.

23. *Non tu mille rates.*] Valde blanditur Vossiani codicis lectio, *nec mihi mille rates,* &c. est enim venustas quædam in illo prænomine *mihi,* quod vel *παρέλκει*, ut sæpe solet, et millies a viris doctis adnotatum; vel hic vim suam habet, ut valeat, in meam gratiam, ut me vindices a raptore, quemadmodum Menelaus Helenæ caussa fecit. Burm.

24: *Nec numerum Danai militis.*] *Numeros* Puteaneus, Gottorphianus et Ambrosianus. sic *numeri militares* passim. *Numeri* Græcis *σπεῖραι*. Theophylactus in Acta Apostolorum: *Σπεῖρά ἐστιν ὃ καλοῦμεν νῦν Νούμερον.* Sequenti versu Τὸ *est* meliores non agnoscunt. Heinsius. Vide Lindenbr. ad Ammian. Marcel. xiv. 7. et Torrent. ad Suet. Vespas. vi. ne vero quis dubitet hoc sensu jam ævo Nasonis *numeros* dictos esse, ita iii. Am. 9.

Auxisti numeros culte Tibulle pios.

Sed et pro multitudine posse capi non nego, ut *numeri laborum.* vii. Met. 8. ubi vide. Burm.

28. *Frater.*] Id est, patruelis. nam in hoc significatu sæpe ponitur et frater et soror. Sic Ajax. 13. Metam. ver. 31.

——*Frater erat, fraterna peto.*

Et deinde ver. 41.

Nos inhonorati, et donis patruelibus orbi.

At pater Æacidæ promiserit inscius acti;
Plus quoque, qui prior est ordine, possit avus.
Cum tibi nubebam, nulli mea tæda nocebat:
Si jungar Pyrrho, tu mihi læsus eris.
Et pater ignoscet nostro Menelaus amori:
Succubuit telis præpetis ipse Dei.
Quem sibi permisit, genero permittet amorem:
Proderit exemplo mater amata suo.
Tu mihi, quod matri pater, es: quas egerat olim
Dardanius partes advena, Pyrrhus agit.
Ille licet patriis sine fine superbiat actis;
Et tu, quæ referas, acta parentis habes.
Tantalides omnes, ipsumque regebat Achillen.
Hic pars militiæ; dux erat ille ducum.

34. *Plus quoque qui prior est ordine possit avus.*] Puteaneus Tò *qui* non exhibet. deinde *posset* habet, ut et alii nonnulli. Lego:

Plus quo, qui (vel *quod*) *prior est ordine, posset avus.*

Et *promiserit* superiori versu. Heins. Ex emendatione Heinsii sequeretur Avum, qui prior est ordine, plus posse in nuptiis neptis, Patre, cujus filia erat. sed an hoc rationi et juri communi conveniat, vehementer dubito. et hoc sibi objici posse Hermione sentiebat, quæ ab Avo materno Tyndareo desponsata erat Orestæ. quem scrupulum in his verbis conatur removere, sed quæ corrupta ita restitui posse arbitror:

At pater Æacidæ promiserit; inscius acti,
Plus quoque, qui prior est ordine, possit avo.

Demus, ait, hoc adversariis, Patrem me promisisse Æacidæ, demus quoque Patrem meum, qui prior est ordine, et cujus voluntas ante Avi voluntatem est consulenda, plus posse. hæc ex stricto jure adfirmari posse video. sed æquum et bonum hac in caussa vincere debet, Pater promiserat, inscius me jam esse alii datam; Tyndareus vero me despondit eo tempore, quo libera et nulli amori obnoxia eram. itaque tibi jam jus in me quæsitum fuit, quod si auferat Pater jure suo utens, tibi injuriam faciet. ita argumentatur Puella sibi colores ex æquo et bono quærens, quæ summo jure se Neoptolemo cedere debere sentiebat. Interpretes, qui dicunt Tyndarea plus patre valuisse, propter absentiam Menelai, vel emancipationem, meras nugas agunt. Burm.

41. *Tu mihi.*] Imitatus Ausonius Profess. xx.

Tu mihi quod genitor, quod avunculus.

46. *Hic pars militiæ, dux erat ille ducum.*] Hunc locum expressit Seneca in Agamemnone:

Rex ille regum, ductor Agamemnon ducum. Ciof.

Hic dux militiæ, Broukhusium maluisse notabat Francius.

Tu quoque habes proavum Pelopem, Pelopisque parentem:
Si melius numeres, a Jove quintus eris.
Nec virtute cares: arma invidiosa tulisti.
Sed tu quid faceres? induit illa pater.
Materia vellem fortis meliore fuisses:
(Non lecta est, operi sed data caussa tuo.)
Hanc tamen implêsti; juguloque Ægysthus aperto
Tecta cruentavit, quæ pater ante tuus.
Increpat Æacides, laudemque in crimina vertit;
Et tamen adspectus sustinet ille meos.
Rumpor, et ora mihi pariter cum mente tumescunt:
Pectoraque inclusis ignibus usta dolent.
Hermione coram quidquamne objectet Orestæ?
Nec mihi sunt vires; nec ferus ensis adest.

48. *A Jove quintus erit.*] Lege *ab Jove.* sic alibi semper apud Nostrum in optimis membranis. monui Fast. i. ver. 236. Heins.

50. *Induit illa patrem.*] Sic quidem vulgo, ut ad matrem Orestis referatur, et ad vestem perplexam et impeditam, qua illa Agamemnonem indutum et implicatum, Ægisto trucidandum objecerat: ut Seneca in Tragœdia auctor est. Verum haud scio an eorum lectio sit simplicior, qui legunt, *Induit illa pater.* ut intelligas, patrem induisse arma illa invidiosa Oresti: hoc est, fuisse causam, cur ille arma sumeret: pietate videlicet postulante, ut cædem patris filius ulcisceretur. Micyllus. *Induit illa pater* recte Puteaneus. reliqui cum vulgatis *patrem.* Noster lib. i. Art. Am.

Induit arma tibi genitor patriæque tuusque.

Liv. xxx. 13. *Nec conquiesse, donec ipsa manibus suis nefaria sibi arma adversus hospitem atque amicum induerit.* Silius xiv. 292.

Hostem induere arma sibi.

Val. Flac. vii. 90.

——*Cum prima tuis pro mœnibus arma*
Induimus. Heins.

Heumannus in Parergis Criticis p. 119. legit *imbuit illa patrem*, sed quo referendum τὸ *illa* non video, nam non præcessit mater, quæ imbuisset patrem, denique quis umquam dixit *imbuere aliquem*, pro interimere, aut alicujus sanguine suas manus imbuere? Burm.

52. *Non lecta est.*] Aut *operæ* legendum, aut hic versus Parenthesi includendus, ut τὸ *hanc tamen implesti*, ad τὸ præcedens *materiam* referatur. nam in uno Moreti erat, *hanc caussam implesti.* Burm.

56. *Aspectus.*] *Amplexus* Scriverii et Basileensis. perperam. nec enim Hermione rapta et invita amplecteretur Pyrrhum. Burm.

Flere licet certe: flendo diffundimus iram:
Perque sinum lacrimæ, fluminis instar, eunt.
Has solas habeo semper, semperque profundo:
Hument incultæ fonte perenne genæ.
Hoc generis fato, quod nostros errat in annos,
Tantalides matres apta rapina sumus.
Non ego fluminei referam mendacia cygni:
Nec querar in plumis delituisse Jovem.
Qua duo porrectus longe freta distinet Isthmos,
Vecta peregrinis Hippodamia rotis.

61. *Diffundimus iram.*] *Flere licet certe. Flendo diffundimus iram.* sic distinguunt meliores. et *sinum* sequenti versu iidem agnoscunt. nisi malis *flere libet.* Trist. iii. ii. i. 9.

Nil nisi flere libet.

In Puteaneo est, *defundimus.* Heinsius. Non movendum illud *flere licet certe.* quia non licet arma capere et ense vindicare dolorem, quod virile est, saltem muliebria arma moveo, quæ sunt lacrimæ; *certe* hic est ad minimum, saltem, ut apud Terentium et alios centies. *Si illud ergo non licet, saltem hoc licebit,* ut in alia re Terentius ait. iv. Eun. 2. neque *diffundere* displicet, quod idem est quod minuere, in diversas partes fundendo exhaurire. nam *defundere* puto esse fundere ex patera, vel simili re liquorem, in aliud vas vel locum inferius positum, *diffundere* est ita fundere, ut ipse liquor pereat, diversis locis fusus; et hinc translate est minuere. et idem hic dicit quod in Tristibus:

Expletur lacrymis egeriturque dolor.

Ita *diffundere animum, vultum, dolorem* et similia de quibus vid. Barth. ad Stat. ii. Theb. 213. Broukh. ad Tibull. i. ii. 3. Ceterum male Egnatius huc *diffusiones dierum* refert. nam *diffissos dies,* et *diffissiones dierum,* esse legendum, jam diu est quod viri docti ostenderunt. vide Gronov. ad A. Gell. xiv. 2. Burm.

66. *Tantalides omnes.*] *Matres* scripti. hoc est matronæ vel nuptæ. sic *Dardanides matres* Epistola Helenæ. Heins.

69. *Qua duo porrectus longe freta distinet Isthmos, Vecta peregrinis Hippodamia rotis.*] Duo sunt advertenda, et quod male codices omnes habent, *detinet,* cum *distinet* dubio procul legendum sit, quod quivis vel mediocriter doctus advertat: et quid sit illud, quod *externas rotas* in Hippodamia hîc dicat Ovidius. Nos rem eruditis etiam non paucis ignotam brevi explicabimus, ex Pindaro in primis et Apollonio, qui cum interpretibus suis prodidere, Hippodamiam inter currendum alieno curru, id est procorum, qui cum ea cursu certabant, esse vectam: unde et hoc in loco *peregrinas rotas* Pelopis currum intellexit, quo donatus ille olim a Neptuno est in amoris compensationem. Egnatius. In Epist. Phædræ:

Æquora bina suis oppugnant fluctibus Isthmon,
Et tenuis tellus audit utrumque fretum.

Et Medeæ:

Quique maris gemini distinet Isthmos aquas?

Castori Amyclæo et Amyclæo Polluci
  Reddita Mopsopiâ Tænaris urbe soror.
Tænaris, Idæo trans æquor ab hospite rapta,
  Argolicas pro se vertit in arma manus.
Vix equidem memini: memini tamen. omnia luc-
  Omnia solliciti plena timoris erant. [tus,
Flebat avus, Phœbeque soror, fratresque gemelli:
  Orabat superos Leda, suumque Jovem.
Ipsa ego, non longos etiam nunc scissa capillos,
  Clamabam, Sine me, me sine, mater, abis?
Nam conjux aberat. ne non Pelopeïa credar,
  Ecce Neoptolemo præda parata fui.
Pelides utinam vitasset Apollinis arcus!
  Damnaret nati facta proterva pater.

Sed vide ne hic legendum sit *quo*, non autem *qua*. Ciof.

70. *Vecta peregrinis Hippodamia rotis.*] Omnium optime hunc locum explicat Parrhasius lib. iii. in Claud. de Raptu Proserpinæ. Ciofanus. Propert. i. ii. 20. *Avecta externis Hippodamia rotis.* ubi vid. Broukhusium.

72. *Tyndaris urbe soror.*] Puteaneus *Tænaris*, tam hic, quam sequenti versu. probe. Delectatur enim Noster hisce oppositionibus. ut supra v. 14.

Cum Danaus Phrygias ureret ignis opes.

Et i. Art. 686.

Grajaque in Iliacis mœnibus uxor erat.

Quorum finis non esset. sic *Tænaris terra* Ep. Paridis 31. et *Tænaris ora* Ep. Helenæ, *Tænariam maritam* Helenam quoque Epist. xiii. 45. vocat. in quibus omnibus locis eadem in MSS. varietas. Heins.

73. *Trans æquora.*] Lege, *trans æquor.* Heins.

77. *Flebat avus, flebatque soror.*] *Phœbique soror* Puteaneus, Francofurtensis et Junianus. Lege *Phœbeque.* Euripides Iphigenia non longe ab initio apposite:

Ἐγένοντο Λήδᾳ Θεστιάδι τρεῖς παρθένοι,
Φοίβη, Κλυταιμνέστρατ' ἐμὴ ξυνάορος,
Ἑλένη τε. ———

Phœbe ergo soror Helenæ. Veram quoque lectionem subodoratus est Mezeriacus. Heinsius. Egregie quidem Heinsius. sed alii non Helenes sororem Phœben, sed Leucippi filiam faciunt, et uxorem Pollucis. vid. ad Propert. i. Eleg. ii. 15. et infr. Epist. xvi. 327.

83. *Pelides utinam vitasset Apollinis arcus.*] Achilles interfectus est ab Apolline ad portas Scæas, quod vaticinium a matre sua Thetide acceperat. Q. Smyrnæus lib. iii. Paralip. Alii volunt eum, dum Polyxenam, Priami ex Hecuba filiam, cujus forma captus erat, uxorem sibi postulasset, in tem-

Nec quondam placuit, nec jam placuisset Achilli,
  Abducta viduum conjuge flere virum.
Quæ mea cœlestes injuria fecit iniquos?
  Quod mihi (væ miseræ) sidus obesse querar?
Parva mea sine matre fui; pater arma ferebat:
  Et, duo cum vivant, orba duobus eram.
Non tibi blanditias primis, mea mater, in annis
  Incerto dictas ore puella tuli.
Non ego captavi brevibus tua colla lacertis:
  Nec gremio sedi sarcina grata tuo.
Non cultûs tibi cura mei: nec pacta marito
  Intravi thalamos, matre parante, novos.
Obvia prodieram reduci tibi (vera fatebor)
  Nec facies nobis nota parentis erat.
Te tamen esse Helenen, quod eras pulcherrima, [sensi.
  Ipsa requirebas, quæ tibi nata foret.
Pars hæc una mihi conjux bene cessit Orestes:
  Is quoque, ni pro se pugnet, ademtus erit.
Pyrrhus habet raptam, reduce et victore parente:
  Munus et hoc nobis diruta Troja dedit.

plo Apollinis Tymbræi a Paride, qui ab ipso Deo edoctus erat, qua corporis parte vulnerari posset, interfectum. Idque ostendit Virg. lib. vi. Æneid.

Phœbe graves Trojæ semper miserate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela, manusque
Corpus in Æacidæ ———

Et hic Noster lib. xii. Metamorph.

— et ostendens sternentem Troïca ferro
Corpora Peliden, arcumque obvertit in illum,
Certaque letifera direxit spicula dextra.

Hecuba apud Euripidem:

—ἐγὼ τέκον Πάριν, ὃς παῖδα Θέτιδος ὤλεσεν τόξα βαλών. Ciof.

87. *Quæ mea.*] Alter Mentelianus, *quod mea.* tres scripti, *quæ mihi:* elegantius.

89. *Arma gerebat.*] Pro bello, continens pro eo, quod continetur. Ciofanus. *Ferebat* meliores.

92. *Incerto ore.*] Imitatum hæc Quinctilianum lib. i. notavit Douza: *Ita futurus eloquentissimus, edidit aliquando vagitum, et loqui primum incerta voce tentavit.*

104. *Et minus a nobis diruta Troja fuit.*] Sic in nonnullis, quidam, *Ah non hoc nobis diruta Troja fuit.* in aliis, *Munus et hoc nobis diruta Troja dedit.* quod et Planudes interpretatur. et fortasse est rectius. sunt et qui

Cum tamen altus equis Titan radiantibus instat,
Perfruor infelix liberiore malo,
Nox ubi me thalamis, ululantem et acerba gemen-
Condidit, in mœsto procubuique toro; [tem,
Pro somno lacrimis oculi funguntur obortis:
Quaque licet fugio, sicut ab hoste, virum.
Sæpe malis stupeo: rerumque oblita locique
Ignara tetigi Scyria membra manu.
Utque nefas sensi; male corpora tacta relinquo:
Et mihi pollutas credor habere manus.
Sæpe Neoptolemi pro nomine, nomen Orestæ
Exit: et errorem vocis, ut omen, amo.
Per genus infelix juro generisque parentem,
Qui freta, qui terras, qui sua regna quatit;
Per patris ossa tui, patrui mihi; quæ tibi debent,
Quod se sub tumulo fortiter ulta jacent:

legunt. *Et minus hoc nobis diruta Troja dedit.* Naugerius. *Munus et hoc nobis diruta Troja dedit,* legendum potius censeo, quam ut vulgo habetur, *et minus a nobis diruta Troja fuit,* ut sit ironice dictum pro eo, quod est, hoc quoque munus, sive beneficium, ex Troja diruta consecutæ sumus, ut nos, quæ Græcæ sumus, deteriore conditione simus, quam ipsæ barbaræ et captivæ. Micyllus. *Munus et hoc nobis diruta Troja dedit.* Quis non videt hanc lectionem, quæ optimam continet sententiam, multo illa altera, quam substituunt, *Et minus hoc nobis diruta Troja fuit,* elegantiorem? Quum eam et Planudes, idque alii testati sunt, agnoscat, et Vatic. lib. habeat. Itaque non dubito, quin prorsus vera sit. Ciofanus. Cogitandum de eo, quod alii codices repræsentant, *Munus et hoc nobis diruta Troja dedit.* Dan. Heins.

Heuman. Parerg. Crit. p. 119. *Hoc munus nobis,* quasi conjecturam suam venditat. cum sex codices ita habere jam Heinsius monuerit. Crispinus profert:

Et minus, ah, nobis diruta Troja fuit.

Eo sensu, quo Penelope dixit Ep. i.

Diruta sunt aliis, soli mihi Pergama restant.

Sed quis ita Latinorum loquitur? Douza legebat ex codice suo, *Munus et hoc Pyrrho diruta Troja dedit.*

114. *Credor habere.*] Id est videor mihi. sic ego:

Et mihi Pieriis credor inesse choris.

Id est *interesse.* Douza.

117. *Per genus infelix oro.*] Lego, *Per genus infelix juro,* &c. Attestatione enim quadam confirmare vult, se aut statim prima hac ætate morituram esse, aut Oresti, suo priori legitimoque marito, uxorem futuram. Micyllus. *Oro* Puteaneus et alii multi, sed frus-

Aut ego præmoriar, primoque extinguar in ævo;
Aut ego Tantalidæ Tantalis uxor ero.

EPISTOLA IX.

DEIANIRA HERCULI.

Gratulor Œchaliam titulis accedere nostris:
Victorem victæ succubuisse queror.

tra. sequenti versu, *qui sua regna*, non *et sua* meliores duodecim. quod sequor. aliter tamen Puteaneus. Heins.

120. *Quod se sub tumulo fortiter ulta jacent.*] Nescio an recte ossa dicantur *se ulta*. non enim illa se vindicarunt, sed Orestes patris cædem cæde matris ultus curavit, ut patris ossa bene sub tumulo jacerent, inferiis ab adultero Ægystho exactis. quare verior mihi videtur codicis Lovaniensis lectio:

Quod sic sub titulo fortiter ulta jacent,

licet malim *sub tumulo*, quamvis *sub titulo* defendi posset. *Ulta* vero passive est capiendum, vid. ad vii. Metam. 3. et ad Valer. Flacc. v. 753. Burm.

1. *Gratulor.*] Hoc verum Epistolæ hujus principium est: nam reliqui duo versus, qui eidem in quibusdam præponuntur, neque sententiam quicquam juvant, et per se inculti ac putidi sunt. Quare eos, ut superiores ejus generis, a reliquo corpore seposuimus. Micyllus. Huic denuo Epistolæ Puteani Excepta et vetustæ editiones cum codice Regio sequens distichon præfigunt:

Mittor ad Alciden a conjuge conscia mentis
Littera, si conjux Deïanira tua est. Heins.

Titulis accedere nostris.] Nimis invidiose profecto mariti titulos invadit et sibi vindicat, quod Hypsipyle Medeæ supra objiciebat:

Adde, quod adscribi factis procerumque tuisque
Se facit, et titulo conjugis uxor obest.

Recte igitur codices nonnulli, *titulis vestris*. sic infra:

Ne videar titulis insidiata tuis.

Et Ariadne:

Non ego sum titulis surripienda tuis. Heins.

Immo vero reducenda antiquarum editionum et scriptorum lectio, quam habent fere omnes, præter duos Scriverii et unum Gronovii, qui tantum pro varia lectione habent *vestris*, loco veræ scripturæ *nostris*. Decebat enim objurgantem et iratam uxorem, sibi partem vindicare eorum, quæ maritus gesserat, et sibi quoque gratulatur, tot titulis jam ante partis, nunc Œchaliam subactam accedere; minime vero sibi pellicem inde adduci. Imitatus vero hunc locum Lucanus lib. ii. 555.

Te quoque si superi titulis accedere nostris
Jusserunt. ——— Burm.

Fama Pelasgiadas subito pervenit in urbes
Decolor, et factis inficianda tuis;
Quem numquam Juno, seriesque immensa laborum
Fregerit; huic Iölen imposuisse jugum.
Hoc velit Eurystheus, velit hoc germana Tonantis:
Lætaque sit vitæ labe noverca tuæ.
At non ille velit, cui nox (si creditur) una
Non tanti, ut tantus conciperêre, fuit.
Plus tibi, quam Juno, nocuit Venus. illa premendo
Sustulit: hæc humili sub pede colla tenet.
Respice vindicibus pacatum viribus orbem,
Qua latam Nereus cærulus ambit humum.
Se tibi pax terræ, tibi se tota æquora debent:
Implêsti meritis Solis utramque domum.

4. *Decolor et factis inficianda tuis.*] Recte *decolor*, id est deformis: ita *decolor Indus*, qui aliis *niger*. ut nostro iii. Art. Am. 130. et v. Trist. iii. 24. Proper. iv. iii. 10. ubi vide egregie Broukhusium. BURM.

13. *Vindicibus.*] Sarravianus sollemni aberratione *judicibus*. male. Senec. Herc. Œt. 321.

——— *Vindicem tellus suum*
Defendet omnis.

Et 109.

Totusque poscit vindicem mundus suum.

Qui locus et hic *tota æquora* confirmat. BURM.

14. *Qua.*] Id est *ubi*. CIOF.

15. *Se tibi pax.* Scribe:

Se tibi pax terræ, tibi se tuta æquora debent.

Nam et mare et terras, domitis belluis et monstris marinis, pacaverat. Pindar. Nemæ. Od. i. et iii.

Tuta autem æquora, ut in Halieut.

Tutumque evadit in æquor.

Vulgatam qui præfracte tueri velit, habeat sibi ista ex Herc. Œtæ.

——— *Gesseris cœlum licet*
Totusque pacem debeat mundus tibi.
HEINS.

Qui *tuta* cum Heinsio probant, possunt et illa Ovidii nostri adducere ex lib. i. Fast. 67.

——— *Quorum secura labore*
Otia terra ferax, otia pontus agit.

Sed cum in nullo codice hæc lectio appareat, nos *tota* retinemus. imitatus hæc Jos. Iscanius lib. ii. Bell. Troj. 130.

Non solum tibi se tellus, sed sidera debent. BURM.

16. *Utramque domum.*] Id est orientem et occidentem, quia inde Sol, ut ex domo egreditur, huc iterum quasi domum se recipit. Senec. Herc. Furent. 1061. *Novit tuas utrasque domus.* et Herc. Œt. iii.

Utræque Phœbi sentiunt fulmen domus.

Noster *utrumque Phœbum* dicit. i. Metam. 338. et *utrumque latus Solis.* ii. Fast. 136. BURM.

Quod te laturum est, cœlum prior ipse tulisti:
Hercule supposito sidera fulcit Atlas.
Quid nisi notitia est misero quæsita pudori,
Si macula stupri facta priora notas?
Tene ferunt geminos pressisse tenaciter angues,
Cum tener in cunis jam Jove dignus eras?
Cœpisti melius, quam desinis. ultima primis
Cedunt: dissimiles hic vir et ille puer.
Quem non mille feræ, quem non Stheneleïus hostis,
Non potuit Juno vincere; vincit Amor.

18. *Supposito.*] Malebat Heinsius olim *seposito*, quod Hercule omisso explicabat, et ita Parentem suum accepisse notavit. vel explicabat Hercule *seposito*, pro seponente, ut eo seponente successerit Atlas. nimirum, ut postquam Hercules aliquamdiu tulisset cœlum, dum Atlas quiesceret, ille deinde iterum remoto Hercule, munus suum subierit. sed quia in nullo codice hæc scriptura exstat, et in omnibus fere codicibus legatur *fulsit*, ego hunc versiculum, parenthesi inclusum, legerem hoc modo:

(*Hercule supposito sidera fulsit Atlas.*)

Ut sensus sit, tu cœlum, quod te laturum est, prior tulisti, tunc scilicet, cum Atlas perpetuo onere cœli fatigatus et deficiens, supposuerit ad tempus Herculem, quo quasi vicario fulsit sidera, quæ aliter fuissent ruitura. Claud. i. laud. Stil. 142.

——— Sic Hercule quondam
Sustentante polum, melius librata pependit
Machina, nec dubiis titubavit signifer astris
Perpetuaque senex subducta mole parumper
Obstupuit proprii spectator ponderis Atlas.

Supponere hic est substituere. ita *vicariam fidem supponere* dixit Cicero pro Rosc. Americ. 38. *Quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his operæ nostræ vicaria fides amicorum supponitur.* *Fulsit* si vero alicui non placet, licet Vossius lib. iii. Anal. 33. hoc etiam ex loco probet, ille *fulcit* pro *fulciit* capiat, vel *fulcivit*. Burm.

20. *Si cumulas.*] In magnâ codicum varietate præferrem ego:

Si macula stupri facta priora notas.

Macula stupri, ut apud Terentium *avaritiæ macula*. Adel. v. 8. apud Justin. xxxvi. *Segnitiæ*. *Furtorum* et *flagitiorum*. Cicer. v. Verr. 46. *Notas* vero est infamia et deformia reddis egregie ante acta, hac nova stupri servilis nota. ut supr. ii. 86.

Quisquis ab eventu facta notanda putet.

Vid. Broukh. ad Propert. iii. ver. 52. neque tamen rejicerem codicis Leidensis lectionem: *Si cumulo stupri facta priora notes*, vel *notas*, ut est in Francof. si post tot amores, nunc cumulo hujus stupri notas facta priora. *Turpi* in nullo codice conspicitur. Douza ex suo codice proferebat:

Si cumulus stupri facta priora notat?

Burm.

At bene nupta feror; quia nominer Herculis uxor:
  Sitque socer, rapidis qui tonat altus equis.
Quam male inæquales veniant ad aratra juvenci,
  Tam premitur magno conjuge nupta minor.
Non honor est, sed onus: species læsura ferentem.
  Si qua voles apte nubere, nube pari.
Vir mihi semper abest; et conjuge notior hospes
  Monstraque, terribiles persequiturque feras.
Ipsa domo vidua, votis operata pudicis,
  Torqueor, infesto ne vir ab hoste cadat.
Inter serpentes, aprosque, avidosque leones
  Jactor, et esuros terna per ora canes.
Me pecudum fibræ, simulacraque inania somni,
  Ominaque arcanâ nocte petita movent.

29. *Veniunt.*] *Veniant* Puteaneus. Idem.

31. *Non honor est, sed onus.*] Παρωνομασία. P. Rutilius: *Ad hujus sceleratissimi opera qui fuit locus? religiosissimus: nimirum quia traditam sibi publicorum custodiam sacrorum non honori, sed oneri esse existimavit.* Ciof.

35. *Votis operata pudicis.*] Vota enim concipiebat, ne vir caderet inter tot Athla et pericula, et sacrificiis deorum pacem expetebat. non agit hic de lanificio aut aliis pudicarum matronarum studiis, sed de votis et precibus, ne vir cadat. Burm.

38. *Et hæsuros cerno per ossa canes.*] *Esuros* est in multis codicibus. Puteaneus *hæsuros terna per ossa.* in uno Vaticano *esuros cerno per ora.* Scribe, *esuros terna per ora canes.* Cerberum intelligit. Apud Græcos Poëtas τρικάρηνος Cerberus. Heinsius. Nihil certius hac correctione. sic et apud Senec. Herc. Fur. 784.

Qui trina vasto capita concutiens sono
Regnum tuetur.

Ubi alii codices *terna.* sed nihil opus. idem enim in Thyeste 676.

——— *Sæpe latratu nemus*
Trino remugit. ———

Ubi et ad Cerberi latratum respicit. sic *trina* et *terna* de his iisdem Cerberi capitibus confunduntur lib. x. Metam. 22. loco ab Heinsio adducto. et Schol. Statii ad lib. ii. Theb. 32. dicit *trina lumina trium capitum*, de Cerbero, qui paullo post a Poëta vocatur ver. 53. *Triformis janitor leti.* unde vulgata apud Avienum posset defendi. vid. ad iv. Metam. 449. Burm.

40. *Omina.*] Id est responsa ac vaticinia, quæ noctu captare soleo. est enim nox arcanis hujusmodi sacris maxime idonea: unde et *arcanam* vocat. sic et apud Virgilium Dido noctu sacris vacat, dum una amore Æneæ laborat. Micyllus. *Ominaque.* jam monuerunt alii. Ego mallem quidem, *somniaque arcana nocte petita movent.* quia rectius *somnia petere*, quam *omina* dici puto. Virgil. vii. Æneid. 89.

Aucupor infelix incertæ murmura famæ:
  Speque timor dubia, spesque timore cadit.
Mater abest; queriturque Deo placuisse potenti;
  Nec pater Amphitryon, nec puer Hyllus adest.
Arbiter Eurystheus iræ Junonis iniquæ
  Sentitur nobis, iraque longa Deæ.
Hæc mihi ferre parum est: peregrinos addis amores:
  Et mater de te quælibet esse potest.
Non ego Partheniis temeratam vallibus Augen,
  Nec referam partus, Ormeni nympha, tuos:
Non tibi crimen erunt Theutrantia turba sorores:
  Quarum de populo nulla relicta tibi.

Pellibus incubuit stratis somnosque petivit.
Medicinam somnio petere dixit Quartilla apud Petronium: sed quia præcessit *simulacraque inania somni*, acquiesco emendationi Heinsianæ, et intelligo de ominibus per magica sacra petitis. nox enim *arcana* est, quæ magiæ impenditur. ut Statius quoque vocat x. Theb. 360. quam Valer. Flac. viii. 25. *sacram* dixit. vid. ad Valer. Flac. vi. 477. præterea Heinsius ad xiii. Metam. 416. hic *monent*, (ut et conjecerat Slichtenhorstius) legendum esse contendit. quod ego sollicitudini et jactationi convenire minus puto, ac *movent*, quod est turbant, et vexant. præterea in nullo libro *monent* exstare deprehendi. Crispinus hic sibi egregie placet, qui explicat *petita*, excogitata, et *omina*, inanes ex quibuslibet rebus conceptas per noctem cogitationes, ut ex abaci crepitu, &c. Burm.

42. *Speque timor dubia, spesque timore cadit.*] Scite. Nam nulla spes est sine timore, nullus timor sine spe. sic libro et elegia i. Tristium:

Nam spes est animo nostra timore minor.

Sed hac de re videndus est Aristoteles lib. ii. Rhetoricum. Ciofanus. *Cadunt* unus Vaticanus.

43. *Mater.*] Scilicet tua Alcmena. Erat enim Deianira in Trachyne, ubi regnavit Ceix, quando scripsit hanc epistolam.

45. *Arbiter Eurystheus sentitur nobis,* &c.] Non tantum quia Herculi labores imperabat, sed et quia totam ejus familiam persequebatur. Hinc est, quod alios alio dispersos et disjectos dicit. Micyl.

46. *Sentitur.*] Efficax verbum. vid. ad Petron. cap. 139.

Iraque longa Deæ est.] Sic alibi idem Poeta: *An nescis longas regibus esse manus?* q. d. ipsam Junonem etiam extra Eurysthei regnum persequi ipsos. Sunt tamen, qui scribant, *lenta*, pro longa: ut sit, *lenta ira* dictum pro diuturna. Micyl.

48. *Mater quælibet.*] Imitatio Propertii:

Et de me poterat quilibet esse loquax.
Douza.

51. *Theutrantia turba.*] Non *Thestitia*, aut *Thespicia* legendum esse, facit cum illud a Politiano inventum,

Una, recens crimen, præfertur adultera nobis;
Unde ego sum Lydo facta noverca Lamo.
Mæandros, toties qui terris errat in îsdem,
Qui lassas in se sæpe retorquet aquas,
Vidit in Herculeo suspensa monilia collo;
Illo, cui cœlum sarcina parva fuit.
Non puduit fortes auro cohibere lacertos,
Et solidis gemmas adposuisse toris.

tum etiam quod Stephanus Theutrantem Thespii patrem facit, a quo *Theutrantia turba* jure Thespiades appellatæ. Egnatius. Varia hic comminiscuntur interpretes. sed verum quod Egnatius post Politianum notavit, Nostrum sequi auctores illos, qui Thespium sive Thespin faciunt Theutrantis filium, Pandionis nepotem. vid. Eustath. ad Iliad. *β*. 498. et Steph. in *Θεσπεία*. et Bernartium ad Statii iii. Silv. i. qui ibi Domitio miranti hoc epitheton satisfacit. vid. et Senec. Herc. Fur. 177. ubi Gronov. de hoc Herculis virili plane facinore vid Munker. ad Hygin. Fab. clxii. Burm.

53. *Una recens.*] Non de Iole intelligit, sed de Omphale Lydorum regina: cui Hercules ita servisse dicitur, ut omnia faceret quæ imperasset. Ex hac genuit Hercules Lamum filium.

Refertur.] *Refertur* multi ex scriptis. sed *præfertur* legendum cum sex codicibus. Deïanira de Iöle similiter apud Senecam Hercule Œtæo 304.

——— *Capta prælata est mihi,*
Non præferetur. ——— Heins.

Præfertur etiam Francofurtensis.

55. *Mæander, toties qui terris errat in îsdem.*] *Ripis in îsdem* vetus editio. *Terris toties qui volvitur îsdem* unus Vaticanus. Senec. Phœnis. 605.

Nec lætis minus Mæandros arvis
Flectis errantes aquas.

Sic Orpheo in Argonauticis, ῥοαὶ πολυπλάνεος Μαιάνδρου. Vibius Sequester: *Mæandros Cariæ, gentis Asiæ. hic tam flexuosus est, ut in sese recurrat.* Hic iterum mire variarunt manus librariorum in hoc loco exprimendo. in Vaticano, Intimeliano, Barberino et uno Menteliano erat, *qui se toties concludit in orbem.* in Regio, *toties qui se includit in orbem,* quæ lectiones ex librariorum cerebro provenire nequierunt: occultant enim venustissimam lectionem, et quam a Poëta luxuriante, ut solet in his, profectam putem. scripsit nimirum:

Mæandros, toties qui secum ludit in orbem,
Qui lassas in se sæpe retorquet aquas.

Ludere dicit *in orbem* Mæandrum, adludens ad saltantes, qui chorum ducunt, et in gyrum ludunt. ut de Delphinibus iii. Met. 685.

Inque chori ludunt speciem.

Et de Fluvio Petronius cap. cxxxi.

Has inter ludebat aquis errantibus amnis.

Ubi plura notavimus. et hæc significatio τοῦ *ludere* est satis obvia; et locus ii. Met. 246. ab Heinsio adductus egregie adfirmat. cui adde viii. Metam. 162. et quæ ibi Heinsius notat. nemo melius hunc secum ludentis et quasi chorum ducentis Mæandri imaginem expressit Senecâ Herc. Fur. 684.

Qualis incerta vagus
Mæander unda ludit, et cedit sibi
Instatque, dubius litus an fontem petat.

Ludentes rivos in MSS. est apud Nostrum Remed. 177. Burm.

Nempe sub his animam pestis Nemeea lacertis
Edidit: unde humerus tegmina lævus habet.
Ausus es hirsutos mitra redimire capillos:
Aptior Herculeæ populus alba comæ.
Nec te Mæonia, lascivæ more puellæ,
Incingi zona dedecuisse putas?
Non tibi succurrit crudi Diomedis imago,
Efferus humana qui dape pavit equas?
Si te vidisset cultu Busiris in isto;
Huic victor victo nempe pudendus eras.

62. *Edidit.*] Moreti codex *perdidit.* Leidensis *credidit.* sed electa et proba locutio *edere animam* pro mori. Cicero. pro Sestio cap. 38. *Ac si tunc P. Sestius, Judices, in templo Castoris animam, quam vix retinuit, edidisset.* ubi vid. notas Abrahami. apud Nostrum quoque lib. xiv. Metam. 777. quidam codices habent *edidit,* sed nos ibi *exsuit* retinemus. et apud Ciceron. pro Planc: 37. *Qui pro repub. vitam ediderunt,* ubi alii *dederunt, dediderunt, reddiderunt.* Burm.

64. *Populus alba.*] *Alma* Puteaneus. sed nil muta. superiori versu, *myrto redimire,* pro *mitra* liber Hafniensis, ut populus myrto opponatur. Heinsius. Sed *mitra* probum est. vid. Senec. Herc. Œt. 375. et Furent. 471. *Cohibere capillos* quoque Lovaniensis, quod nisi præcessisset, reciperem. nam proprium in hac re verbum esse ostendit doctissimus Bentl. ad Horat. iii. Od. 14. et vide ad lib. v. Metam. 53. sed *redimire* etiam proprie, quia *mitræ* habent *redimicula,* ut Virgilius canit lib. ix. 616. ubi vide interpretes. *Alma* etiam populus an dici queat dubito, cum hoc epithetum proprie in frugiferas arbores, unde alimenta sunt, conveniat. *Alba* vero populus, quia ejus folia interiora sunt alba, ut vetus Scholiastes docet ad illa Horatii ii. Od. 3.

Qua pinus ingens, albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant
Ramis.

Virgilius Eclog. ix.

——*Hic candida populus antro*
Imminet.————

Græcis inde λευκή, et nostratibus Witboom. aptior autem illa Herculi dicitur, quia ea coronatus ab inferis rediit, teste Servio ad Virg. Eclog. vii. 61. ubi fabulam de Leuce Nympha narrat. et ad v. Æneid. 135. Philargyrius vero ad Virg. ii. Georg. 67. videtur notare Herculem palma coronatum rediise in lucem; sed puto ejus notam loco motam, et referendam ad proxime præcedentem versum:

Herculeæque arbos umbrosa coronæ.

Quod inde patet, quia de colore arboris addit, quod significaret se e tenebris in lucem commeasse. Palmam vero arborem albi coloris frondem gerere numquam legi vel audivi. etiam *bicolor populus,* notante Servio, ab eodem Marone dicitur; præterea omnes Mythologi uno ore de Populea corona loquuntur. Burm.

69. *Si te vidisset cultu Busiris in isto, Huic victor victo nempe pudendus eras.*] Lib. ix. Metamorph. *Busirim domui.* Ubi ex D. Augustino lib. xxii. De Civitate Dei, cap. xii. hæc dixi: *Busiris regnante Danao Argivis rex, vel potius tyrannus, suis diis hos-*

Detrahat Antæus duro redimicula collo;
  Ne pigeat molli succubuisse viro.
Inter Iöniacas calathum tenuisse puellas
  Diceris; et dominæ pertimuisse minas.
Non fugis, Alcide, victricem mille laborum
  Rasilibus calathis imposuisse manum?
Crassaque robusto deducis pollice fila,
  Æquaque famosæ pensa rependis heræ?
Ah quoties, digitis dum torques stamina duris,
  Prævalidæ fusos comminuêre manus.
Crederis, infelix, scuticæ tremefactus habenis,
  Ante pedes dominæ procubuisse tuæ.

pites immolabat, et ab Hercule interemptus est, cum etiam eum voluisset occidere. Orosius lib. i. cap. xi. *Busiridis in Ægypto cruentissimi tyranni crudelis hospitalitas, et crudelior religio tunc* (ante Urbem conditam DCCLXXV.) *fuit, qui innocentium hospitum sanguine diis, scelerum suorum participibus, propinabat.* De eodem Arnobius, et Hyginus. CIOF.

70. *Huic.*] Sarravianus codex *sic.* bene; illo in habitu. BURM.

75. *Non fugis.*] Lego, *non pudet Alcide.* nam et hæc lectio in quibusdam ferri notatur. MICYLLUS. Repone cum melioribus, *Non fugis*, noto Græcismo. sic *fuge credere* apud Lucretium, *fuge quærere*, et *fuge suspicari* apud Horatium, ut et plura hujusce notæ. Virgilius ix. 199.

Mene igitur socium summis adjungere rebus,
Nise fugis?———

77. *Deducis pollice fila.*] *Deducere* malim, si libri veteres assentiantur, et *rependere* sequenti versu. HEINSIUS. *Crassa* recte dicit, ut *solocem* intelligat, quæ ut imperito lanam deducendi dabatur; ut contra mollis peritissimis ancillis dabatur. vide Pass. ad Catul. Epith. Thet. 312. BURM.

78. *Æquaque formosæ.*] *Famosæ* Lovaniensis. sic *famosus Hymen* infra, ubi male turbant libri veteres. et lib. i. Amor. El. v. *Famosa Semiramis.* ut illic agnoscit optimus liber. *Famosus* pro infami illo ævo dicebant. Cicero de Orator. lib. ii. 68. *Non pol, inquit, audeo, nam me ad famosas vetuit mater accedere.* Plaut. Asin. *Qui etiam me miserum famosum facit flagitiis suis.* Plura exempla habes apud Non. Marcell. in *fama.* Certe verisimile non fit, Deïaniræ laudatam esse a forma Iölen. HEINSIUS. *Æqua* rectum est: idem enim pondus, quod domina in lana appendebat, in filis rependere debebat ancilla. sic *graviora pensa*, Propert. iv. vii. 37.

Et graviora rependit iniquis pensa quasillis.

Ita *grandia* mox Ep. x. 90. et in Propertio habes etiam *rependere*, ut et in alia re apud Statium iv. Theb. 763.

Dircæos tibi, Diva, greges, numerumque rependam
Plebis.——— BURM.

82. *Ante pedes dominæ pertimuisse minas.*] Hæc eadem fere totidem verbis habes supra ver. 74. quare distichon hoc adulterinum esse opinor. quod in optimo Puteaneo, ut et se-

Eximias pompas, præconia summa triumphi,
  Factaque narrabas dissimulanda tibi.
Scilicet immanes elisis faucibus hydros
  Infantem cunis involüisse manum?

quens, margini est adjectum, in ipso contextu non apparet. Heinsius. Non tam facile damnanda disticha et ejicienda arbitror. Hoc Ovidianæ elegantiæ mihi satis convenire videtur, si modo ex codice regio pentameter ita constituatur:

Ante pedes dominæ procubuisse tuæ.

In cujus locum alius adulterinus ex vers. 74. conflatus et partim repetitus invasit, et a mala manu intrusus est. Ep. xii. 186.

Nec moror ante tuos procubuisse pedes. Burm.

83 *Eximiis pompis præconia summa triumphi.*] Neque hoc repudiarem, si ex optimis codicibus ita constituatur:

Eximias pompas, immania semina laudum,
Factaque narrabas dissimulanda tibi.

Ironice omnia capienda, tu ita instructus lanificæ ancillæ habitu narrabas eximias pompas, (per quas *triumphos* intelligit, et quæ vox ex glossa nata est. vid. i. Amor. ii. 28.) quæ semina laudum tuarum sunt, et facta, quæ revera tibi nenti erant dissimulanda. sic *laudes* et *triumphum* conjungit ii. Amor. ix. 16.

Hinc tibi cum magna laude triumphus eat.

Vel, quia *immania* præcessit, posset legi:

Eximias pompas, et præmia summa, triumphos. Burm.

86. *Infantem nudâ dilacerasse manu.*] Locus mendosissimus. Puteaneus optimus cum ceteris plerisque præstantioris notæ: *Infantem caudis involuisse manum.* quæ scriptura proxima est veræ, uti mox videbimus. Alii, prout quisque interpolatorum licentiam magis magisque sunt experti, a vestigiis Nasonianæ manus longius recedunt. Nonnulli ex minime contemnendis: *Infantem cunis involuisse manum.* quidam: *Infantem nuda dilacerasse manu.* Alter Mentelianus: *Infantem viduum dilacerasse manu.* alii aliter. scribendum: *Infantem nodis involüisse manum.* nihil verius. in qua correctione nihil a membranis deflexi castigatioribus, nihilque permisi mihi, nisi quod *nodis* reposui pro *caudis;* nimirum *codis* pro *nodis* antiqua librarii dederat manus. *Codas* enim et *caudas* promiscue confundebant. sic in fragmento Petronii Traguriano *coda vituli.* qua de re dicetur nobis nonnihil Metamorph. xii. ver. 430. Singula nunc videamus. dilaceratos ab Hercule serpentes fuisse contra fidem est historiæ, et ipse *elisos* versu proxime præcedenti dixerat omnino probe. rectum igitur *envolüisse* per διάιρεσιν. *Infantem manum* quoque bene asseruerunt hic nobis codices vetusti. sic enim et alibi Noster. ut Metamorph. iv. 518.

——————*Infantia saxo*
Discutit ora ferox.——————

Nunc de *nodis* reliquum est ut videamus: ita enim spiræ serpentum dicebantur. apud Maronem lib. ii. 220. Laocoon, quem serpentes duo arcte circumligarant:

Ille simul manibus tendit divellere nodos.

Libro v. 279. itidem de serpente, *pars vulnere clauda retentat Nexantem nodis seque in sua membra plicantem.* Elegans harum spirarum descriptio iterum apud eundem Senec. Medea: 686. ex quibus locis fit manifestum, *nodos* pro nexibus poni. Plinius lib. viii. cap. ii. utrumque conjunxit in

Ut Tegeeus aper cupressifero Erymantho
Incubet, et vasto pondere lædat humum?
Non tibi Threïciis adfixa penatibus ora,
Non hominum pingues cæde tacentur equæ?
Prodigiumque triplex, armenti dives Iberi,
Geryones; quamvis in tribus unus erat?
Inque canes totidem trunco digestus ab uno
Cerberos, implicitis angue minante comis?
Quæque redundabat fecundo vulnere serpens
Fertilis, et damnis dives ab ipsa suis?

eadem narratione: *Tanta magnitudine ut complexu facili ambiant, nexuque nodi præstringant.* ubi plura. sic et in Palæstrica *nodos* dicebant, quibus illigabantur luctatores. de quibus Diatribe ad Silvas Statianas erudite multa congessit doctissimus Gronovius cap. xxv. hos autem serpentium nodos, nodos Herculis appellabant, teste Macrobio, ab hac Herculis infantis cum serpentibus lucta. Is Saturnalium primo cap. xix. ubi agit de caduceo Mercurii: *Hi dracones parte media voluminis sui invicem nodo, quem vocant Herculis, obligantur, primæque partes eorum, reflexæ in circulum pressis osculis ambitum circuli jungunt, et post nodum caudæ revocantur ad capulum caducei. mox amor osculo significatur, necessitas nodo.* habes ecce *nodos Herculis* in serpentibus. Plinius libro xxviii. cap. vi. *Vulnera nodo Herculis præligare mirum quantum ocioris medicinæ est.* sic scribo. Græcis *Ἡράκλειον ἅμμα*, de quo Medici et Athenagoras pro Christianis. Est autem hoc distichon *εἰρωνικὸν*, quod loco fœdum, uti apparet, in modum interpolando causam dedisse non exiguam videtur. de *nodis capillorum* libro iii. Artis Amatoriæ v. 139. sumus dicturi. Heinsius. Heinsii conjectura egregie firmatur ex antiqua Statua urbis Romæ, quæ inter eas conspicitur pag. xvi. quam consulere et intueri operæ erit pretium.

87. *Cupressifero.*] *In cypressifero* fere omnes scripti, et editio princeps, sed perperam. Virgilius vero v. Æneid. 44. pinum nasci in Erymantho indicat. nescio an et ob cupressum Horatius i. Od. 21. *Nigras Erymanthi silvas* dixerit, quamvis et pro densis cum veteri Scholiaste accipere liceat: *Cyllenen* etiam *Cypressiferam* vocat Noster v. Fast. 87. Burm.

89. *Adfixa penatibus.*] Ex Virgilio sumptum viii. 196.

——*Foribusque adfixa superbis*
Ora virum.——

Ubi male quidam legunt *foribus suspensa superbis*, quos hic locus refellit. Heins.

95. *Redundabat.*] Puteaneus a manu prima....*elulabat.* forte pro *resultabat.* Heinsius. Sed *redundabat* elegans et probum, Metaphora a fluctibus desumpta. Cicero pro Murena. c. 39. *Sed quid tandem fiet? si hæc elapsa de manibus nostris, in eum annum, qui consequitur, redundarint.* ubi v. Camerarii notas. et ita passim optimi quique. Burm.

96. *Et damnis ditior ipsa suis.*] Sic in eod. lib. et in aliis emendatioribus. sequor. Ciofanus. Puteaneus et ce-

Quique inter lævumque latus, lævumque lacertum,
Prægrave compressa fauce pependit onus?
Et male confisum pedibus formaque bimembri
Pulsum Thessalicis agmen equestre jugis?
Hæc tu Sidonio potes insignitus amictu
Dicere? non cultu lingua retenta silet?
Se quoque Nympha tuis ornavit Iärdanis armis,
Et tulit e capto nota tropæa viro.
I nunc, tolle animos, et fortia facta recense:
Quod tu non esses jure, vir illa fuit.

teri præstantioris notæ, *damnis dives ab ipsa suis.* probe. Epistola xii. 18.

Ut caderet cultu cultor ab ipse suo.

Heins.

97. *Quique inter lævumque latus, lævumque lacertum.*] Sic vetus lectio. Atque in his versibus Antæi et Herculis lucta ab Ovidio describitur. ut sublatum lævo brachio Antæum Hercules sustineat, ne mater vires subministret; dextra autem manu fauces comprimens eum necet. aliter id *compressa fauce* nullam ad rem accommodari poterit. sunt tamen qui de Nemeæo leone hic agi credant, ac *dextrumque lacertum* legant. Naugerius. *Quique inter lævumque latus, lævumque lacertum* aperte legitur in lib. Statii. et in utroque Vatic. vere. Cogor autem hoc loco dissentire ab eruditissimo Egnatio, qui de his epistolis optime meritus est. legit enim *dextrumque lacertum.* Ignoscant mihi tanti hominis manes, qui quid dicat, nescit. Quæro enim quî potuit Hercules Antæum dextro lacerto sustulisse, et inter lævum latus eum, ut est in sequenti carmine, suffocasse? Itaque legendum, ut dixi; hoc sensu, Antæum lævo brachio sublatum et inter lævum latus ab Hercule sustentatum: dextera autem illius fauces compressas fuisse. Viderat et hoc Paganinus, quamvis postea de sententia demoveatur. Juvenalis:

———*Cervicibus æquat*
Herculis Antæum procul a tellure tenentis. Ciof.

Herculaneus liber habet *dextrumque latus dextrumque lacertum,* et ita Antæum quoque ab Hercule compressum docet nummus, quem Gronovius in Diatr. Statiana. c. xxv. exhibet, ubi pendet Antæus compressus dextra manu ad dextrum latus Herculis. Utraque manu constrictum, ventre pectori Herculis admoto, exhibet de Wilde in Signis pag. 37. ita ut Poëtæ et fictores variaverint. Burm.

103. *Iärdanis.*] Patronymicῶs dictum accipe ab *Iärdano* patre Omphales. Micyl.

104. *Et tulit e capto nota tropæa viro.*] *Bina tropæa* unus Vaticanus, et Basileensis et Gronovianus pro diversa lectione exhibent, quod placet. quomodo et Erfurtanus, et Excerpta Vossii. Alterum enim tropæum de amore ejus, alterum de spoliis hisce tulit. Epist. Phædræ:

Thesides Theseusque duas rapuere sorores.
Ponite de nostra bina tropæa domo.

Heins.

105. *Fortia facta.*] *Gesta* Puteaneus, et alii quinque. Heinsius. Sic

Qua tanto minor es, quanto te maxime rerum,
Quam quos vicisti, vincere majus erat.
Illi procedit rerum mensura tuarum.
Cede bonis: heres laudis amica tuæ.
Pro pudor! hirsuti costas exuta leonis
Aspera texerunt vellera molle latus.
Falleris, et nescis: non sunt spolia ista leonis,
Sed tua, tuque feri victor es; illa tui.
Femina tela tulit Lernæis atra venenis,
Ferre gravem lana vix satis apta colum:

et Douzæ codex. sed desidero exemplum, cum *fortia facta* apud unum Ovidium centies occurrant, et ita *fortiter facere* in declamationibus obvium. Burm.

106. *Quod tu non.*] *Quem* Puteaneus. Forte *quam*. vel ut alter Mentelianus: *Quo tu non esses jure vir, illa foret*. Heinsius. Ego nihil muto. illa fuit vir, quod tu jure et merito non poteras esse; sed femina debebas dici propter mollitiam. ita viii. Ep. 41.

Tu mihi, quod matri pater es.

Et alibi sæpius. Metam. viii. 881. et xii. 502. Hannibal apud Liv. xxx. 30. *Quod ego fui ad Trasimenum, ad Cannas, id tu hodie es.* Phædr. v. Fab. ult.

Quod fuimus laudas, jam damnas quod non sumus. Burm.

109. *Procedit.*] Hoc est illi accrescit, ac velut in majus augetur. Micyllus. Putem locutionem desumtam ex re Romanorum militari, ubi stipendia et *æra* militibus *procedere* dicebantur, ubi anni, quos militabant, ad missionem honestam proderant. vide Livii v. 7. et alibi. Illi ergo gloria quæritur ex tuis rebus, illa omnem inde laudem capiet. et ita capio etiam illa Valerii Flacci viii. 457.

Procedit non gentis honor, non gloria magni
Solis avi, non barbaricæ decor ille juventæ.

Nihil ista omnia se juvare queritur Medea, quo minus eam negligat Iäson. Burm.

111. *O pudor hirsuti costis exsuta leonis Vellera.*] *Pro pudor* rectius sex libri. Petronius:

Pro pudor! imperii deserto nomine fugit.

Deinde *costas exuta* eleganti Græcismo Puteaneus. et Francofurtensis et alter Mentelianus, qui et *pro pudor!* sic *exutus senium*, Silio Italico lib. vi. 100. et lib. xiii. 120. *exuta feram*, de cerva. Statius ix. Theb. 103.

Exutus canos lacero diademate crines.

Et præcipue lib. x. 643. de hoc ipso Hercule:

——————Sic Lydia conjux
Amphitryoniadem exutum horrentia terga
Perdere Sidonios humeris ridebat amictus. Heins.

115. *Lernæis atra venenis.*] In Leidensi codice erat *usta*. forte pro *uncta*, ut passim *ungere tela* poetæ. duo alii *tincta*, quod loquendi genus non minus obvium. de utroque vide huc facientia exempla apud Bentlejum in

Instruxitque manum clava domitrice ferarum:
Vidit et in speculo conjugis arma sui.
Hæc tamen audieram: licuit non credere famæ;
En venit ad sensus mollis ab aure dolor.
Ante meos oculos adducitur advena pellex:
Nec mihi, quæ patior, dissimulare licet.
Non sinis averti; mediam captiva per urbem
Invitis oculis adspicienda venit.

eruditissimis ad Horat. ii. Od. i. notis. in altero regio codice legebatur in margine hoc ineptum distichon:

Femina cum miles, et miles femina fiat,
Incipit esse quod es, desinis esse quod es. Burm.

119. *Hæc tamen audieram.*] Ita veteres editiones, sed Naugerius non improbat *hæc tantum*, ut Lincoln. et Mediceus unus. et eadem varietas est lib. ii. Art. Amat. 405.

Hæc tamen audierat, Priameïda viderat ipsam.

Sic i. Am. iv. 41.

Hac tamen aspiciam.

Unde apparet hic *sensum* proprie capi de oculis et visu; ut Heinsius ex loco Ciceronis Divin. c. xi. illustrat: *Putasne posse id, quod ex ejusmodi re maxime necessarium est, facere, ut quæ ille libidinose, quæ nefarie, quæ crudeliter fecerit, ea æque acerba et indigna esse videantur iis, qui audient, atque illis visa sunt qui senserunt.* et hoc est, quod in alia re dicit Horatius Art. Poët. 180.

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus, et quæ
Ipse sibi tradit spectator.

Vide Heins. ad Vell. Pater. ii. 12. ubi legit: *En venit.* sic Arnobius p. 208. dixit *sensum oculorum.* et hunc locum forte ante oculos habuit Orientius in Commonitorio lib. ii.

Luminibusque illinc, hinc venit aure dolor.

Possemus et capere hæc verba ita, et dolor ab aure *venit,* (pro est, ut millies. vid. ad Epist. iv. 115.) mollis, si comparetur cum dolore, qui ab oculis venit: mollior dolor est audire, quam videre. ut *ad* inserviat hic comparationi, sicut apud Terent. Eunuch. ii. iii. 69. *At nihil ad nostram hanc.* Livius xxii. 22. *Homo non ad cetera Punica ingenia callidus.* sed præfero prius. Burm.

121. *Adducitur.*] Leidensis codex *deducitur,* quod non de nihilo. notum enim hoc verbum passim de meretricibus et pellicibus dici, ut et *perducere;* sic illud Ciceronis apud Sueton. Cæs. 51. *Tertia deducta est.* sed quia in hoc verbo potius illa vis insit, ut secreto deducatur in thalamos adulteri vel amatoris amica, vulgatam hic servo; cujus etiam verbi in turpi commercio illo usus est, et præcipue huic loco convenit, ubi additur *ante oculos.* ut et iii. Fast. 483.

Ausus es ante oculos adducta pellice nostros,
Tam bene compositum sollicitare torum. Burm.

123. *Non sinis.*] Puteaneus a manu secunda *num sinis?* elegantius, ut puto: habent enim magnam vim in exprobrationibus illæ interrogationes, quæ in hac epistola frequentiores. sensus vero: An præ pudore jubes illam via secreta et aversa duci in domum,

Nec venit incultis, captarum more, capillis,
  Fortunam vultus fassa tegendo suos.
Ingreditur late lato spectabilis auro:
  Qualiter in Phrygia tu quoque cultus eras.

ut me inscia pellice uti possis? minime; immo vero jubes eam, per mediam urbem triumphantis modo, per ora omnium circumduci. sequenti versu in Scriveriano erat, *conspicienda,* quod etiam puto efficacius, quia hoc verbo aptius admiratio spectatorum exprimitur, qui notabilia intentis oculis spectant, quæ nunc Deïanira invitis videbat. ii. Fast. 309.

Ibat odoratis humeros perfusa capillis
Mæonis, aurato conspicienda sinu.

Livius xxi. 4. *Vestitu nihil inter æquales excellens, arma atque equi conspiciebantur.* et ita Noster et alii passim. *Inspicienda* Douzæ codex, de quo verbo vide ad Petron. Burm.

125. *Nec venit incultis captarum more capillis, Fortunam vultus fassa tegendo suos.*] Eruditissimus, et ad omnis disciplinæ laudem natus, P. Melissus legendum putat: *Fortunam vultu fassa tacente suam.* vel: *Fortuna vultum fasce tegente suum:* sed ad priorem lectionem magis inclinat. In quibusdam aliis impressis est, *Fortunam vultu fassa tegente suo.* In uno Vatic. *Fortunam vultum fassa tegendo suum.* In altero, *Fortunam vultu fassa tegendo suam.* quam lectionem una cum Clariss. Ciaccono veram puto. Gerundio in *do* brevi utitur et Germanicus Cæsar hoc versu:

Quem liber ignarum cæli formando docebat.

Et Ausonius:

Quæ nosti, meditando velis inolescere menti. Ciof.

Unicus hic est Nasonis locus, puto, qui postremam in gerundio corripit, quo etiam nomine suspectus est. etsi Tibullianum hunc citant Grammatici:

Aufer et ipse meum pariter medicando dolorem.

Certe codices antiqui mirum in modum a vulgata lectione discedunt. pro qua tamen cum alii nonnulli, tum Puteaneus stant, nisi quod in eo emendatum, *falso tegente suam.* Quidam hoc uno a vulgatis differunt, quod *falsa,* aut *fessa,* pro *fassa* agnoscunt. Forte posset legi:

Fortunam vultu fassa pudente suam.

Vel *tremente,* alio vultu atque ante captivitatem erat, ob pudorem dejecto, vel tremente. nam de *fortunæ vultu* sunt somnia. iv. Trist. ii.

Et cernet vultus aliis pro tempore versos,
Terribiles aliis immemoresque sui.

Douzæ codex habebat, *Fortunam vultu fassa tegente manu.* Burm.

127. *Ingreditur late multo spectabilis auro.*] Libri veteres *late lato spectabilis auro.* et recte, ut jam monui. posset nihilominus *lauto* etiam *auro* legi. sed præstat prius. Pers. Sat. iv. *Sed lato balteus auro Prætegit.* quod ex illo Maronis lib. v. 312. adumbratum:

——*Lato quam circumplectitur auro*
Balteus.

Juvenal. Sat. vi. 480.

Aut latum pictæ vestis considerat aurum.

Et Sat. x. 27.

Lato Setinum ardebit in auro. Heins.

Met. vi. 567.

————*Velamina Procne*
Deripit ex humeris, auro fulgentia lato.

Voces autem *ingreditur* et *late* securitatem et fastum, quæ minime captas

Dat vultum populo sublime sub Hercule victo:
  Œchaliam vivo stare parente putes.
Forsitan et, pulsa Ætolide Deïanira,
  Nomine deposito pellicis, uxor erit:
Eurytidosque Iöles, atque insani Alcidæ
  Turpia famosus corpora junget Hymen.
Mens fugit admonitu, frigusque perambulat artus,
  Et jacet in gremio languida facta manus.
Me quoque cum multis, sed me sine crimine, [amâsti:
  Ne pigeat, pugnæ bis tibi caussa fui.
Cornua flens legit ripis Achelous in udis,
  Truncaque limosâ tempora mersit aqua.
Semivir occubuit in letifero Eveno
  Nessus; et infecit sanguis equinus aquas.

decent, indicat. ita Horat. ii. Sat. iii. 1803.

Latus ut in circo spatiere.

Ubi nollem virum doctissimum Massonium in vita Horatii pag. 135. *latum* pro *vectum* capere, quasi participium esset a *fero*. quod neque τῷ *spatiere* convenit, neque Ampl. Cuperus de hoc loco mecum agens, verum credebat Prætoriis eum honorem tributum, ut curru insigni et pene triumphali veherentur. sed *latus spatiere* est cum pompa, fastu, qualis erat Menas libertus Pompeji, qui sacram metiebatur viam cum bis trium ulnarum toga. Horat. Epod. iv. Burm.

129. *Dat vultum populo sublimis ut Hercule victo.*] *Sublime sub Hercule victo* constanter scripti. Nescio tamen, an non rectius, *sublimis ab Hercule victo*, ex Menteliano. similis error apud Sil. xi. 246. ubi pro *victorque immane sub ira infremuit;* Heinsius rescribit *immanis ab ira.* Macrob. ii. 4. *Sublimis Actiaca victoria revertebatur.* *Ab* autem hic pro *ob*, *propter* sumitur. vid. Gron. ad Senec. i. de Clement. 20. Livius iii. 61. *Ferocior ab re bene gesta.* Burm.

135. *Frigusque.*] Mendose hic Puteaneus *frigidosque.* Frigus est mortis instantis indicium. ita iii. Amor. xiv. 37.

Mens abit (vel *fugit*) *et morior.* Burm.

139. *Rapidis Achelous in undis.*] *Ripis Achelous in imis* Puteaneus. sed pro *imis* aliud quid a manu prima scriptum videbatur fuisse. Argentinensis et alius, quem a Cl. V. Jacobo Mentelio donum accepi, *ripis udis.* quo alludit et Farnesianus unus, qui *ripis undis* habet. In ripa enim Achelous fluminis, non in ipso flumine cum Hercule est luctatus. *Imas* Nasonis hoc loco *ripas* confirmat Boëth. de Consol. Philos. lib. iv. Carm. vii.

Fronte turpatus Achelous imis
Ora demersit pudibunda ripis.

Achelous amnis, perperam nunc illic loci circumfertur. Stat. Thebaid. lib. iv.

Amnis adhuc imis vix truncam attollere frontem
Ausus aquis.—— Heins.

141. *Vi Lerniferoque veneno.*] Me-

Sed quid ego hæc refero? scribenti nuntia venit
Fama, virum tunicæ tabe perire meæ.
Hei mihi! quid feci? quo me furor egit amantem?
Impia quid dubitas Deïanira mori? 146

lius fortasse in nonnullis *letiferoque veneno*. NAUGERIUS. *Letiferoque veneno* prorsus legendum ex spectatæ bonitatis exemplaribus. De Nesso, Hercule, et Deïanira sic Hyginus cap. xxxiv. *Nessus Ixionis et Nubis filius, Centaurus, rogatus ab Deïanira, ut se flumen Evenum transferret, quam sublatam, in flumine ipso violare voluit: Hoc Hercules cum intervenisset, et Deïanira cum fidem ejus implorasset, Nessum sagittis confixit. Ille moriens cum sciret sagittas Hydræ Lernææ felle tinctas quantam vim haberent veneni, sanguinem suum exceptum Deïaniræ dedit, et id philtrum esse dixit, si vellet ne se conjux sperneret, eo juberet vestem ejus perungi. Id Deïanira credens, conditum diligenter servavit.* CIOFANUS. Illud *vi* a correctoribus est. pro quo libri omnes antiqui *in* agnoscunt. sed et ridiculum *Lerniferum venenum*. quare enim *Lernæum* non dixit? Miror Scaligerum, Salmasium, alios viros eruditos, non vidisse veram lectionem, quæ minimâ mutatione est in promptu, si scribas:

Semifer occubuit in lethifero Eveno Nessus.

Semifer enim, quod est in quatuor scriptis, præstat *Semiviro*. quamvis Barthius vasto in Claudianum commentario pag. 500. et 827. τὸ *Semifer* Latio exturbandum censet cum Jano Douza. De Eveno confirmant sequentia, *et infecit sanguis equinus aquas*. Etsi alii Nessum in Eveno non occubuisse dicant, sed vulneratum solummodo fuisse; quos inter et Noster Met. ix. et in Trachiniis Sophocles. Vibius Sequester, *Evenus Calydoniæ, ubi Hercules sagittis Nessum Centaurum interfecit*. Lucanus vi. 366.

Et Meleagream maculatus sanguine Nessi
Evenos Calydona secat.

Neminem autem poësios utcunque peritum hiatus offendat iste *lethifero Eveno*, qui meminerit istorum Virgilii, *Ionio in magno*. et similium. Noster hac ipsa epistola, *in cupressifero Erymantho*. et, *insani Alcidæ*. quibus fulciendis Τὸ *que* inculcabant plerumque insciti librarii; ut in antiquissimis etiam Virgilii exemplaribus est deprehendere. sic apud Silium quoque peccatum lib. iv. v. 225. ubi *Anienicolæ Catilli* ex Virgilii et veteris libri auctoritate est reponendum. Sed manum de tabula. HEINS.

144. *Virum tunicæ labe perire meæ.*] *Tabe* recte restituit Heinsius. idem Seneca Herc. Œtæ. 520.

Tabemque fluentis vulneris dextra excipit.

Et ita passim Poëtæ.

145. *Quo me furor.*] Regius codex, *quis me furor*, elegantius multo, ut puto. Petronius cap. 108.

Quis furor, exclamat, pacem convertit in arma?

Noster v. Met. 13.

Quæ te, germane, furentem
Mens agit in facinus?

Ubi male et invitis membranis *quod* legit Heinsius. Virgil. iv. Georg. 495.

Quis tantus furor?

Vers. 670.

Quis furor iste novus?

Et ita alii. BURM.

An tuus in media conjux lacerabitur Œta?
  Tu, sceleris tanti caussa, superstes eris?
Si quid adhuc habeo facti, cur Herculis uxor
  Credar; conjugii mors mihi pignus erit.
Tu quoque cognosces in me, Meleagre, sororem.
  Impia quid dubitas Deïanira mori?
Heu devota domus! solio sedet Agrios alto:
  Œnea desertum nuda senecta premit.
Exsulat ignotis Tydeus germanus in oris.
  Alter fatali vivus in igne fuit.
Exegit ferrum sua per præcordia mater:
  Impia quid dubitas Deïanira mori?

153. *Solio sedet acrior alto.*] Ita vulgo quidem legitur, nulla certe sententia. mihi vero legendum videtur, *solio sedet Agrius alto.* Ut intelligamus Agrium, post dispersam Œnei domum, Ætoliæ regnum occupasse, eamque rem Deïaniram inter cetera mala et infortunia generis ac patriæ suæ recensere. fuerunt autem fratres Agrius, Melas et Œneus. ut ex Homero patet, apud quem Iliados. Ξ. 115. Diomedes ita loquitur:

Πορθεῖ γὰρ τρεῖς παῖδες ἀμύμονες ἐξεγένοντο,
'Ωκέον δ' ἐν Πλευρῶνι καὶ αἰπεινῇ Καλυδῶνι,
"Αγριος ἠδὲ Μέλας Τρίτατος δ' ἦν ἱππότα Οἰνεὺς,
Πατρὸς ἐμεῖο πατήρ. Micyl.

Scripti plerique, *acrior.* alii, *altior, aptior, artior.* Puteaneus, *acrios.* quod est *Agrios.* restituendum idem nomen Pont. lib. iii. El. 9.

Auctor opus laudat. sic forsitan Agrius olim
Thersiten facie dixerit esse bona.

Ita enim Vaticanus liber. vulgati *Accius.* Fuit autem Thersitæ pater Agrius, ut illo loco dicetur. Heinsius. Felix et certa emendatio. Thersitæ patrem facit Tzetz. Chiliad. viii. c. 151. et 153. Agrius ejecit Œnea regno, quem deinde interfecto Agrio Diomedes ejus nepos restituit. Anton. Liber. cap. 37. et Hyginus Fab. 175. Agrium ejecisse Œnea dicit, cum videret orbum. sed Agrium se ipsum interfecisse addit, quod et repetit Fab. 242. Burm.

154. *Longa senecta premit.*] *Nuda* libri veteres. et recte. sic *inopem* alibi et *egenam* vocat *senectam.* Juvenalis Sat. vii.

———Tunc seque suamque.
Terpsichoren odit facunda et nuda senectus. Heins.

155. *Exulat ignotis.*] Cur vero *ignotas* vocat oras, qui Argi exulabat? scribe *Inachiis.* Heinsius. Sed Deïaniræ ignotæ poterant esse, nec illa scire poterat, quo abiisset; et imitatio est Virgiliana Georg. iii. 225.

Longeque ignotis exulat oris.

Vel *ignotæ oræ* pro peregrinis, quarum nomen quidem notum est, sed non ita incolæ, ut patriæ cives. Burm.

156. *Alter fatali.*] Latet mendum in hoc versu. alter Mentelianus, *missus in igne fuit,* an, *fatali vivus in igne perit?* Heinsius.

Deprecor hoc unum, per jura sacerrima lecti,
  Ne videar fatis insidiata tuis.
Nessus, ut est avidum percussus arundine pectus,
  Hic, dixit, vires sanguis amoris habet.
Illita Nesseo misi tibi texta veneno.
  Impia quid dubitas Deïanira mori?
Jamque vale, seniorque pater, germanaque Gorge,
  Et patria, et patriæ frater ademte tuæ.
Et tu, lux oculis hodierna novissima nostris,
  Virque, (sed ô possis!) et puer Hylle, vale.

EPISTOLA X.

ARIADNE THESEO.

Mitius inveni, quam te, genus omne ferarum:
  Credita non ulli, quam tibi, pejus eram.

163. *Nesseo.*] Mallem *Lerneo.* Heins. Nihil opus. Senec. Herc. Œt. 716.

Ut missa palla est, tabe Nessea illita.

Et supra v. 527. dixerat:

———*Illitas vestes dabis*
Hac, inquit, ipsa tabe. Burm.

Illa relicta feris, &c.] Versus sunt non solum subdititii ac nothi, verum etiam putidi. neque quidquam Ovidianæ facilitatis et elegantiæ habentes. id quod etiam mediocriter docto apparet. quare et hos a reliquis separavimus. Micyllus. Priscæ editiones et codices nonnulli etiam hic copiosiores sunt vulgatis, cum hanc Epistolam sic exordiantur:

Illa relicta feris etiam nunc, improbe Theseu,
Vivit: et hæc æquâ mente tulisse velis.

Ejusdem nempe farinæ, cum iis, quæ hic illic jam ante dedimus. Heins.

1. *Mitius inveni.*] Hæc non dubitabat Heinsius respexisse Senecam, qui in Hippolyt. 558. dixit:

Taceo novercas: mitius nil est feris.

Qui locus tamen minime planus, et viros magnos exercuit, et diverso modo explicatus; sed ego puto ita capiendum, ut *triste lupus stabulis* et similia. et *nil* pro *non.* hoc sensu *taceo novercas,* istud genus *nihil,* id est non, *est mitius feris,* sed multo ferocius. ante oculos enim habuit Seneca illud Euripidis ex Alcestide 319.

Ἐχθρὰ γὰρ ἡ ἠιοῦσα μητρυὶα τέκνοις
Τοῖς πρόσθ', ἐχίδνης οὐδὲν ἠπιωτέρα.

Francio etiam hoc distichon suspectum videbatur, et Epistolam a sequenti *Quæ legis,* &c. inchoabat. Burm.

2. *Non ulli.*] Earum ferarum. *Pejus* adverbium. Ciof.

Quæ legis, ex illo, Theseu, tibi litore mitto :
  Unde tuam sine me vela tulere ratem.
In quo me somnusque meus male prodidit, et tu,
  Per facinus somnis insidiate meis.
Tempus erat ; vitreâ quo primum terra pruina
  Spargitur, et tectæ fronde queruntur aves.
Incertum vigilans, a somno languida, movi
  Thesea pressuras semisupina manus.

3. *Ex illo, Theseu, tibi littore mitto, Unde tuam sine me vela tulere ratem.*] Diam insulam significat, ubi Ariadnam reliquerat Theseus. Apollonius lib. iv. Argon. de ipsa Ariadna:

——— ἣν ποτὲ Θησεὺς
Κνωσσόθεν ἑσπομένην Δίῃ ἐνὶ κάλλιπε νήσῳ.

Alii eam in Naxo relictam scribunt. Vide Plutarchum in Theseo. Hyginus in Fabulis hac de re: *Theseus in insula Dia tempestate retentus, cogitans si Ariadnen in patriam portasset, sibi opprobrium futurum: Itaque in insula Dia dormientem reliquit. Quam Liber amans, inde sibi in conjugium adduxit. Theseus autem cum navigaret, oblitus est vela atra mutare: itaque Ægeus pater ejus credens Theseum a Minotauro esse consumptum, in mare se præcipitavit, ex quo Ægeum pelagus est dictum. Ariadnes autem sororem Phædram Theseus duxit in conjugium.* Ciof.

9. *Incertum vigilans an somno languida.*] Scripti omnes, *a somno.* præter alterum Mentelianum, in quo *e somno.* Lego, *ac somno languida. Incertum vigilans,* dubie vigilans. Sic Statius Theb. v. qui hæc videtur respexisse:

Turbidus, incertumque oculis vigilantibus hostem
Occupat.———

Quæ illic meliorum codicum scriptura est. idem ix. Theb. de somno:

Ille Deæ justis dubium mixtumque sopori
Adnuit.———

Quomodo et illic castigatiores membranæ. sic *indignum.* i. Amor. 6. i. ubi plura. Heinsius. *A somno* retinendum et hic et mox, vers. 16. *a* est *post.* vid. ad Epist. ii. 86. et v. 152. sic i. Art. 529. ex scriptis:

Utque erat a somno tunica velata recincta.

E somno tamen dixit Tacit. de Mor. Germ. 22. et *ex somno.* Liv. viii. 37. eadem differentia. iii. Met. 631. *aque mero,* vel *eque mero.* Burm.

10. *Semisupina.*] Codices omnes *semisopita* præ se ferunt, reclamante tamen syllaba: nam *sopire* semper primam producit, ut apud hunc ipsum infra Ep. Medeæ :

Quæ me non possum potui sopire Draconem.

Lego, *semisupina.* Ne bis idem dicat, utque metro consulatur. prima enim in *sopita* haud est ut possit corripi. Sarravianus certe pro diversa lectione *semisepulta.* usus etiam est ea voce Martialis lib. vi. 35. sic Amor. lib. i. El. xiv.

Purpureo jacuit semisupina toro.

Ex auctoritate meliorum codicum. Nam vulgati illic etiam simili prorsus modo peccabant. Art. Am. iii. 788.

Cum jacet in dextrum semisupina latus.

Ubi etiam codices quidam *semisopita.*

Nullus erat: referoque manus, iterumque retento,
Perque torum moveo brachia: nullus erat.
Excussere metus somnum. conterrita surgo:
Membraque sunt viduo præcipitata toro.
Protinus adductis sonuerunt pectora palmis:
Utque erat a somno turbida, rapta coma est.
Luna fuit: specto, si quid, nisi litora, cernam.
Quod videant oculi, nil, nisi litus, habent.
Nunc huc, nunc illuc, et utroque, sine ordine, curro:
Alta puellares tardat arena pedes.

Scribebant *sopina* pro *supina*. hinc natus error. sic libro i. Art. Am. 489. in veterrimo codice Oxoniensi:

——*Sive illa toro resopina feratur.*

In Catalectis Scaligeri:

Et flectat niveum semisupina latus.

Hoc tamen Nasonis loco parum abest, quin censeam reponi debere *semisopora*, quomodo apud Sidon. Apollin. Carm. xv.

Semisopora levi scalpebat lumina penna. Heins.

Mihi *semisupina* quoque placet. sed pro *prensuras* mallem cum primis editionibus, et viginti septem scriptis, *pressuras*, quod melius amori, et ardori Ariadnes convenire videtur; quæ non apprehendere modo, sed artissimo amplexu invadere statim a somno Thesea suum volebat. ita millies *premere* apud Poetas. lib. vi. Met. 640. ex optimis membranis:

Eja, et jam, mater clamantem et colla prementem
Ense ferit Procne.———

Eleganter vero hos vanos a somno amplexus describit Lycophron in Alexandra, vers. 113.

Ψυχρὸν παραγκάλισμα κ' ἐξ ὀνειράτων
Κεναῖς ἀφάσσων ὠλέναισι δέμνια.

Prensura tamen defendi posset ex v. Fast. 476.

Lubrica prensantes effugit umbra manus. Burm.

11. *Retento.*] Satis aptum verbum. ut *tentare*, *pertentare* in simili re. *retento* est, iterum iterumque tactu exploro, an in parte tori Theseus meus esset. mox pro *moveo* Farnesianus *jacto brachia*, quod non displicet, quia præcesserat, *movi manus*. Burm.

16. *Rapta.*] *Rupta* margo Bersmanni: rectius. Epist. iii. 15.

At lacrymas sine fine dedi, rupique capillos. Heins.

Eadem diversitas est inf. i. Amor. vii. 49. *raptis*, vel *ruptis a fronte capillis.* et supra Epist. vi. 27. vide quæ nos notavimus olim ad Petron. cap. cxi. et puto distinguenda semper hæc duo verba esse: *rumpuntur* crines in luctu, planctu et similibus, *rapiuntur*, in jurgio, vel cum ætate deficiunt. vid. iii. Art. Am. 161. et 570. *turbida* vero hic est turbata. ut recte Douza etiam cepit. sic alibi lib. iii. Amor. xiv. 33.

Cur plus quam somno turbatos esse capillos. Burm.

18. *Litus habent.*] Similiter de Ariadne Catullus, in egregio illo carmine *de nupt. Thet. et Pel.* 60. Amar.

Interea toto clamanti litore, Theseu,
Reddebant nomen concava saxa tuum:
Et quoties ego te, toties locus ipse vocabat;
Ipse locus miseræ ferre volebat opem.
Mons fuit; adparent frutices in vertice rari;
Hinc scopulus raucis pendet adesus aquis.
Adscendo, (vires animus dabat) atque ita late
Æquora prospectu metior alta meo.
Inde ego (nam ventis quoque sum crudelibus usa)
Vidi præcipiti carbasa tenta noto.
Aut vidi: aut etiam, cum me vidisse putarem,
Frigidior glacie semanimisque fui.
Nec languere diu patitur dolor. excitor illo,
Excitor; et summâ Thesea voce voco.
Quo fugis? exclamo: scelerate, revertere, Theseu.
Flecte ratem; numerum non habet illa suum.
Hæc ego. quod voci deerat, plangore replebam.
Verbera cum verbis mixta fuere meis.
Si non audires, ut saltem cernere posses,
Jactatæ late signa dedere manus.
Candidaque imposui longæ velamina virgæ,
Scilicet oblitos admonitura mei.

25. *Mons fuit.*] Dryon significat, in quem delata a Baccho Ariadne. Sic et apud Catull. Carm. lxiv. 126. Amar.

26. *Nunc scopulus.*] Nos recepimus *hinc scopulus:* non enim Ariadne mutatam ab eo tempore montis conditionem vult innuere, sed ex monte partem, instar scopuli, eminuisse in mare. ut v. Fast. 150. *Pars bona montis* saxum dicitur. *Pendet* vero eleganter, quia inferiori parte adesus aquis, super æquor pendere videbatur. *hic* probabat Douza. Burm.

34. *Et summâ Thesea voce voco.*] Alio modo dicitur *clara voce*, et *magna voce*. Ciof.

36. *Numerum.*] Locutio hæc quidem in alia re sæpius occurrit, ut ii. Pont. viii. 3.

Utque suum munus numerum, quem debet, haberet.

Sed hic maxime proprie posita videtur. nam sic et Cicer. v. Verrin. 51. *Tuus testis, tuus imperator, tuus hospes Cleomenes, hoc dicit se in terram esse egressum, uti Pachyno e terrestri præsidio milites colligeret, quos in navibus collocaret, quod certe non fecisset, si suum numerum naves haberent.* Burm.

Jamque oculis ereptus eras: tum denique flevi;
  Torpuerant molles ante dolore genæ.
Quid potius facerent, quam me mea lumina flerent,
  Postquam desierant vela videre tua?
Aut ego diffusis erravi sola capillis,
  Qualis ab Ogygio concita Baccha Deo:
Aut mare prospiciens in saxo frigida sedi:
  Quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui.
Sæpe torum repeto, qui nos acceperat ambos;
  Sed non acceptos exhibiturus erat.
Et tua, qua possum, pro te, vestigia tango:
  Strataque, quæ membris intepuere tuis.
Incumbo; lacrimisque toro manante profusis,
  Pressimus, exclamo, te duo: redde duos.

46. *Desierant.*] *Desieram* Puteaneus et quinque alii. Heinsius. Nos antiquam lectionem reduximus; quam magis Poëticam credimus, et poscit præcedens *facerent*. vi. Met. 680.

Viderunt oculi telum jaculabile nostri. Ita passim *lingua* et *os dicere*, et alia membra id facere dicuntur, quod nos per ea facere solemus. vid. et inf. vers. 120. Burm.

48. *Qualis ab Ogygio.*] Ogygium Deum Bacchum accipe, ab Ogygo antiquissimo Bœotorum rege, quem Pausanias αὐτόχθονα fuisse, Bœotiæque imperasse scribit, populumque ejus fuisse Hectenes, quibus peste absumtis, successisse Hyantas et Aonas usque ad Cadmi tempora, a quo Thebas conditas, ubi postea Bacchus natus. quem hic Ogygium vocat Poëta, ut Phoroneos et Inachios, Argivos alibi. Micyl.

50. *Quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui.*] Expressisse videtur Catulli locum. ubi ita est:

Saxea ut effigies bacchantis prospicit Evoë. Ciof.

56. *Pressimus (exclamo) te duo, redde duos.*] Legerem *duo*, ut esset figura plenior. nam et *duo* legitur in casu accusandi. Virg. xi. Æneid.

Si duo præterea tales Idæa tulisset
Terra viros.

Propert.

Et duo in adversum misit per mœnia currus;
Ne posset tacto stringere ab axe latus.
Ciof.

Nullum dubium, quin veteres ita locuti fuerint. vide plena manu exempla adnumerantem Gronovium ad Livii lib. xxxv. 21. sed contra scriptos libros intrudere talia nobis religio est. Burm.

Redde duos.] Dubii nihil quin *duo* pro *duos* in accusandi casu recte dicatur: sed sensit Poeta numerosissimus, et qui auri potissimum inservit, quid grave et lectori molestum redundaret, e viciniori tot verborum in *o* desinentium congerie:

——— *Exclamo, te duo: redde duo.*
Venimus huc ambo; cur non discedimus ambo?

Venimus huc ambo: cur non discedimus ambo?
Perfide, pars nostri, lectule, major ubi est?
Quid faciam? quo sola ferar? vacat insula cultu.
Non hominum video non ego facta boum.
Omne latus terræ cingit mare. navita nusquam:
Nulla per ambiguas puppis itura vias.
Finge dari comitesque mihi, ventosque, ratemque;
Quid sequar? accessus terra paterna negat.
Ut rate felici pacata per æquora labar;
Temperet ut ventos Æolus; exsul ero.
Non ego te, Crete, centum digesta per urbes,
Adspiciam, puero cognita terra Jovi.

Quod Burmannum fugisse miror, qui poeta ipse, et quidem non ita contemnendus. AMAR.

59. *Qua sola ferar.*] *Quo sola* meliores.

Et *culto* pro *cultu* Puteaneus. Fast. i. 683.

Neve graves cultis Cerealia dona, cavete,
Agmine læsuro depopulentur aves.
HEINS.

Vide Lindenbr. ad Amm. Marcel. xiv. cap. 6. non tamen puto *cultum* recte dici in singulari, sed novi sæpe occurrere in plurali *culta*. et præterea, si jam *culto* admitti posset, non recte tamen diceretur, *insula vacare culto*, pro cultis agris; sed *cultu* probe, id est colentium manu et opera. ita Ep. xii. 18.

Ut caderet cultu cultor ab ipse suo.

Id est ab iis, quos sevisset, et colendo agrum excitasset. et ita in plurali. ii. Amor. Eleg. xvi. 33. *Operosi cultibus agri*. ex MSS. BURM.

60. *Non hominum video non ego facta boum.*] Τὰ ἔργα, hoc est opera, intellige per *facta*, hoc est agriculturam, quam per τὰ ἔργα Græci designabant. Iisdem γῆς ἐργασία agricultura, et ἐργάζεσθαι agrum colere, et ἐργάται agrum colentes. Hinc Hesiodus Georgica sua ἔργα καὶ ἡμέρας inscripsit. HEINS. Callimachus Hymno Dianæ. 156.

Σύες ἔργα, σύες φυτὰ λυμαίνονται.

Ex Homerico Odys. K. 95. Ovidius hausit:

Ἔνθα μὲν οὔτε βοῶν οὔτ' ἀνδρῶν
φαίνετο ἔργα.

Quod et Lucianus in proverbii speciem usurpat in Icaromenippo. Virgilius vertit i. Georg. 118.

Hominumque boumque labores.
BURM.

63. *Finge.*] Alio modo, *Esto, fac, pone*. CIOF. Sic quoque in vv. proxime sequentibus *ut*.

65. *Pacata.*] *Placata* Lovaniensis, sollemni permutatione. vid. xiii. Metam. 440. et xv. 723. ubi similis diversitas. *Labi* vero eleganter pro navigare poni docuit Broukhusius quondam meus ad Propert. ii. xx. 18. BURM.

Nam pater, et tellus justo regnata parenti,
Prodita sunt facto, nomina cara, meo.
Cum tibi, ne victor tecto morerere recurvo,
Quæ regerent passus, pro duce fila dedi.
Cum mihi dicebas, Per ego ipsa pericula juro,
Te fore, dum nostrum vivet uterque, meam.
Vivimus: et non sum, Theseu, tua. si modo vivis,
Femina, perjuri fraude sepulta viri.
Me quoque, qua fratrem, mactasses, improbe, clava;
Esset, quam dederas, morte soluta fides.
Nunc ego non tantum, quæ sum passura, recordor;
Sed quæcumque potest ulla relicta pati.

71. *Cum tibi ne victus.*] *Victor* Puteaneus et duo alii. superato scilicet jam Minotauro. Heins.

Ne victor tecto morerere recurvo.] Labyrinthum indicat. Quatuor hujus-ce modi ædificia apud veteres celebrantur: Ægyptiacum, Cretense, Lemniacum et Italicum. Agitur hic de Cretensi labyrintho, qui nihil aliud, quam antrum nativum prope Gnossum, et meatus subterranei, mox manu humana elaborati, religioni forte consecrati...Nulla ejus vestigia supererant, jam Diodori Siculi ætate, 1. 61.; seu hominum opera, seu terræ motibus et ruinis; etsi meatus et canaliculos subterraneos in Creta superesse testantur recentiores. Amar.

75. *Si modo vivit Femina.*] *Vivis* codices magno numero; ut se ipsam alloquatur. quod ἐμφατικώτερον ad adfectus concitandos. Burm.

76. *Fraude sepulta viri.*] Turbant admodum manu exarati codices, quorum Palatinus, et quidam alii hic habent *soluta*, et sequenti pentametro, *Sepulta fides*, (ut et habet utrobique *sepulta* Moreti unus et Vossianus) quæ transpositio nescio an convenientior Poëtæ: mori enim poterat fraude Thesei Ariadne in sola insula relicta, sed sepulturam a nemine sperare poterat; *solvi* vero pro mori Noster sæpe ponit. ii. Amor. x. 36.

Medium solvar et inter opus.

In Ibin. 146.

Sive manu facta morte solutus ero.

Et ita passim alii. Vid. ad Petron. cap. cxi. *Sepulta* vero fides elegantissime dicitur ita abolita et obscurata, ut nulla ejus vestigia post cædem Ariadnes exstarent, nec quisquam eam Theseo exprobrare posset, si Ariadnam, antequam ex patria abduxisset, quod ipsum Atheniensibus fidem pacti facere poterat, mactasset clava; tunc enim nullum fidei Ariadnæ datæ argumentum adversus Thesea produci potuisset; sed simul cum funere condidisset fidem. Burm.

79. *Quæ sum passura recordor.*] Nihil variant codices. posset tamen videri alicui scribendum, *quæ sum modo passa recordor*, quia præteritorum recordamur. sed et de futuris ita utitur Justinus lib. v. cap. 7. *Sibi quisque*

Occurrunt animo pereundi mille figuræ:
Morsque minus pœnæ, quam mora mortis, habet.
Jam jam venturos aut hac, aut suspicor illac,
Qui lanient avido viscera dente, lupos.
Forsitan et fulvos tellus alat ista leones.
Quis scit, an hæc sævas tigridas insula habet?
Et freta dicuntur magnas expellere phocas.
Quid vetat et gladios per latus ire meum?
Tantum ne religer durâ captiva catenâ;
Neve traham servâ grandia pensa manu:
Cui pater est Minos, cui mater filia Phœbi:
Quodque magis memini, quæ tibi pacta fui.
Si mare, si terras, porrectaque litora vidi;
Multa mihi terræ, multa minantur aquæ.
Cœlum restabat. timeo simulacra Deorum.
Destituor rapidis præda cibusque feris.

ante oculos obsidionem, famem et superbiam victoremque hostem proponentes; jam ruinam urbis et incendia, jam omnium captivitatem et miserrimam servitutem recordantes. et idem eo sensu utitur verbo *meminisse.* lib. xi. 5. *Nec belli periculorumque, sed divitiarum meminerant.* Burm.

82. *Morsque minus pœnæ, quam mora mortis habet.*] Cæsar apud Sallustium in conjurat: *In luctu atque miseriis mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse.* Ciof.

87. *Magnos.*] Ita plurimi codices et editiones. sed Manil. lib. v. 661. *Securas phocas* dixit et Virgil. lib. iii. Georg. 547. *Insolitas phocas.* Heins.

90. *Grandia.*] Recte, quæ duritiam dominæ, cui servituram se metuit, arguunt. ita *iniqua pensa.* de quibus vid. Ep. ix. 78. Burm.

92. *Quodque magis memini.*] Rectius legeretur, *Quoque magis merui.* majus meritum dicit Theseo se pactam fuisse, quam esse Minois et Pasiphaës filiam. in prima editione erat. *quoque magis memini. Nupta fui.* Cod. Douzæ. Burm.

95. *Deorum.*] *Ferarum* in Gronoviano. quod qui supposuit, prætérquam quod astra sub figuris serpentis, Centauri &c. fingi noverat, in animo habuit alterum Ovidii locum, qui legitur ii. Met. 78.

—— *per insidias iter est, formasque ferarum.*

Ubi in sequentibus omnia fere illa simulacra enarrat. sed nescio quid spurii et non Ovidiani sonat hic versus, qui forte a sciolo quodam ex centonibus aliunde consutus est, et, ut sæpe alibi, confictus: cum enim vidisset terræ et aquæ mentionem factam, sibi persuasit, cœlum restare, eodem modo ac Dædalum inducit Noster lib. ii. Art. Am. 37. unde et prima verba

Sive colunt habitantque viri, diffidimus illis.
Externos didici læsa timere viros.
Viveret Androgeos utinam: nec facta luisses
Impia funeribus, Cecropi terra, tuis!
Nec tua mactasset nodoso stipite, Theseu,
Ardua parte virum dextera, parte bovem!
Nec tibi, quæ reditus monstrarent, fila dedissem!
Fila per adductas sæpe recepta manus!
Non equidem miror, si stat victoria tecum,
Strataque Cretæam bellua stravit humum,

mutuatus videtur. sed non cogitabat ille, Ariadnem parantem sibi iter per aëra, pennis adsumtis, non apte satis posse fingi. quare puto ejectum et loco motum genuinum versum, qui sequenti pentametro aptius cohæreat. continuisse vero hunc sensum puto: sive deserta est et incolis vacua, destituor præda feris, sive colunt viri, diffidimus illis. Burm.

Nullum quidem versum loco motum censet Lennep; sed potius duo temere invectos fuisse arbitratur; Ovidium autem sic dedisse:

Si mare, si terras, porrectaque litora vidi,
Destituor rapidis præda cibusque feris:
Sive colunt, habitantque viri, diffidimus illis;
Externos didici læsa timere viros.

Ut sit sensus quem Burmann. voluit. Amar.

104. *Fila per adductas sæpe recepta manus.*] Non damno hanc lectionem. Vide tamen, ne scripserit Ovidius *fila relecta.* auget suspicionem de mendo, quod in nonnullis exemplaribus membraneis pro glossa adscriptum est *collecta.* Met. viii. 173. de eadem re:

Janua difficilis filo est inventa relecto.

Ubi *relicto* perperam scribebatur. Virgil. lib. x. 814.

——— *Extremaque Lauso*
Parcæ fila legunt.

Hoc est, colligunt, ut Servius interpretatur. Sic *collecta fila* Seneca Hippolyto, de Theseo:

Et longa curva fila collegit via.

Heins.

106. *Stravit humum.*] Sic boni libri. Ciofanus. Quanquam in MSS. notet Gruterus legi, *Strataque Cretæam bellua tinxit humum;* nobis tamen nondum displicet hæc lectio. Quid sit pondere, aut mole, aut cadendo, *sternere humum,* norunt qui Poëtas viderunt. Dan. Heinsius. An hoc dictum, quomodo Auctori Carminis in obitum Mæcenatis:

Victorem victus metuat. metus imperet illi.
Membra nec in strata sternere discat humo?

Sed cum Puteaneus et alii nonnulli ex melioribus agnoscant *stravit,* opinor castigandum *lavit,* sanguine nimirum. Heinsius. Nos retinuimus vulgatam *stravit,* tum quia plane Ovidianum est *strata stravit;* ut *perdita ne perdam timeo* et similia, tum quia *sternere terram* satis eleganter et proprie dici puto. Virgil. viii. Æneid. 719.

Ante aras terram cæsi stravere juvenci.

Non poterant figi præcordia ferrea cornu:
Ut te non tegeres, pectore tutus eras.
Illic tu silices, illic adamanta tulisti:
Illic, qui silices, Thesea, vincat, habes.
Crudeles somni, quid me tenuistis inertem?
At semel æterna nocte premenda fui.
Vos quoque, crudeles venti, nimiumque parati;
Flaminaque in lacrimas officiosa meas.
Dextera crudelis, quæ me fratremque necavit:
Et data poscenti, nomen inane, fides.
In me jurârunt somnus, ventusque, fidesque.
Prodita sum caussis una puella tribus.
Ergo ego nec lacrimas matris moritura videbo:
Nec, mea qui digitus lumina condat, erit?
Spiritus infelix peregrinas ibit in auras,
Nec positos artus unguet amica manus?
Ossa superstabunt volucres inhumata marinæ?
Hæc sunt officiis digna sepulcra meis?
Ibis Cecropios portus, patriaque receptus
Cum steteris urbis celsus in arce tuæ,

Quamquam ibi paullum alio sensu capiatur. sed accommodatius Horatius lib. iv. Od. xiv. ex emendatioribus membranis:

Ut barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu,
Primosque et extremos metendo
Stravit humum, sine clade victor.
BURM.

107. *Cornu.*] Commentatores de cornu sive cornibus Minotauri exponunt; sed quid? si generaliter de quolibet telo aut hasta intelligas, ea significatione, qua a Virgilio dictum est. Æneid. lib. ix. vers. 698. *Volat Itala cornus.* MICYLLUS. sed et de Minotauri cornu accipitur recte. Stat. xii. Theb. 670.

Alternasque manus circum et nodosa ligantem
Brachia, et abducto vitantem cornua vultu.

Cornu pro arcu habuimus Ep. iv. 39. BURM.

108. *Ut te non tegeres.*] *Ut te non tegeres, pectore tutus eras.* Munierat te satis adversus Minotaurum ferrei pectoris durities, quamvis nihil aliunde in pugna protegeret. AMAR.

112. *Premenda.*] *Tenenda* unus Moreti. ut sit repetitio. sed efficacius *premenda:* quia *æterna nocte,* id est morte, præcedit. Horat. i. Od. iv.

Jam te prement nox fabulæque manes.

Vid. supr. Ep. vi. 96. BURM.

126. *Cum steteris turbæ celsus ho-*

Et bene narraris letum taurique virique,
  Sectaque per dubias saxea tecta vias;
Me quoque narrato sola tellure relictam:
  Non ego sum titulis subripienda tuis.
Nec pater est Ægeus; nec tu Pittheidos Æthræ
  Filius: auctores saxa fretumque tui.
Dî facerent, ut me summa de puppe videres!
  Movisset vultus mœsta figura tuos.
Nunc quoque non oculis, sed, qua potes, adspice mente
  Hærentem scopulo, quem vaga pulsat aqua.

nore tuæ.] Lovaniensis, *urbis celsus in ore.* Octo, *turbæ celsus in arce.* totidem, *turbæ celsus in ore.* vere. Livius lib. xxxi. cap. 24. *Porta ea velut in ore urbis posita.* Heinsius. Sed τῷ *steteris celsus* melius convenit *urbis in arce tuæ*, quam *ore. stare* vero dicuntur voti compotes et victores, vid. Gronov. ad Senec. Herc. Fur. 285. Burm.

129. *Me quoque narrato solam tellure relictam,* &c.] Ita quidem communiter legitur. Sed mihi videtur, pro *solam, sola* legendum ablativo casu, ut cum nomine *Tellure* jungatur: sitque *Sola tellure* dictum, pro solitaria, sive in solitudine. quemadmodum apud Terentium, *In solas terras*, alibi legitur, eadem significatione. Micyllus. Scribe *sola tellure.* alludunt huc nonnulli veteres, in quibus *sola.* Catullus de hac nostra:

Desertam in sola miseram se cernit arenâ.

Sic *loca sola*, et *sola rura.* i. Fast. 398. et passim nostro, et similia. et Virgilio *soli montes, sola antra, sola saxa.* Propertio *solæ silvæ.* Solin. cap. xxxviii. de oppido Ciliciæ: *Quod a Tigrane subactum et diu solum Pompeiopolim Cn. Magnus appellavit.* Heinsius. Facile adsentior Heinsianæ emendationi, sed in Solini loco, quem ita emendavit Salmasius exerc. Plin. p. 547. puto legendum: *Quod a Tigrane subactum, et diu Solos, post Pompeiopolim, devictis Cilicibus Cn. Magnus appellavit, Solæ* sive Σόλοι antiquum fuit nomen, deinde *Pompeiopolis* dicta. nihil huc facit *solus* adjectivum. Burm.

131. *Nec pater est Ægeus.*] Apta exprobratio, quia Theseus Neptuni filius credebatur, Neptuni vero filii semper feroces et sævi a Poetis inducuntur. Ægea vero abjudicat ipsi patrem, quia ille pronus in amores. vid. Meurs. Regn. Attic. iii. cap. 1. et 4. ubi docet et Veneri templum ab Ægeo positum. Burm.

133. *Summa de puppe.*] *De rupe* Junianus. quæ si vera lectio est, sensus esset, me videres, de rupe spectantem, vel sedentem in rupe. ut supr. v. 27. et 49. dixit, et mox v. 136. et xviii. Epist. 29.

Rupe sedens aliqua, specto tua litora tristis.

Ita apud Claud. ii. Eutr. 471. pro vulgata, *longe spectari e puppibus urbes.* Heinsius corrigebat *e rupibus.* sed nihil hic moveo. Burm.

136. *Vaga pulsat aqua.*] Lib. i. Metam. 42. *Pro ripis litora pulsant.* Ciof.

Adspice demissos lugentis in ore capillos;
Et tunicas lacrimis, sicut ab imbre, graves.
Corpus, ut impulsæ segetes Aquilonibus, horret:
Literaque articulo pressa tremente labat.
Non te per meritum, quoniam male cessit, adoro.
Debita sit facto gratia nulla meo:
Sed nec pœna quidem. si non ego caussa salutis,
Non tamen est, cur sis tu mihi caussa necis.
Has tibi, plangendo lugubria pectora lassas,
Infelix tendo trans freta longa manus.
Hos tibi, qui superant, ostendo mœsta capillos.
Per lacrimas oro, quas tua facta movent:
Flecte ratem, Theseu; versoque relabere velo.
Si prius occidero; tu tamen ossa leges.

141. *Adoro.*] Regius *adortor*, quod est pro *adhortor.* sed nihil muto, posset enim aliter legi *id oro.* sed *adoro* est positum pro simplici *oro.* Burm.

147. *Qui superant.*] Qui restant, nam expergefacta laniaverat capillos; supr. vers. 16.

Ostendo mœsta capillos.] Quomodo absenti tam longe Theseo ostendere poterat capillos? puto *obtendo:* alia autem res est apud Senec. Phœn. 440.

Laniata canas mater ostendit comas.

Quamquam et ibi *obtendit* posset locum habere. *Obtendere* vero, ut modo *tendere,* positum pro porrigere, prætendere, ut solebant supplices. vid. Heins. ad Sil. iii. 613. ubi eadem varietas: aliter *obtendere* est tegere, velare, de quo vid. Barth. ad Stat. v. Theb. 45. et Gronov. ad Senec. Œd. 624. Burm.

149. *Versoque relabere vento.*] Nec in manu Ariadnes, nec Thesei erat ventum vertere, neque id poterat Ariadne specie aliqua a Theseo petere: quare legendum cum Basileensi codice, *versoque relabere velo.* Burm.

150. *Ossa feres.*] Esseres, in sepulcro componenda. Tradit Pœon quidam Amathusius, Theseum, quum Ariadnen navigatione defessam in insula reliquisset, eo reversum extinctam invenisse, et pecuniæ summam reliquisse, ut rite et cum pompa tumulo conderetur. Sed poeticus magis, ideoque præferendus, qui invaluit de Ariadne rumor, a Baccho adamata, et corona ab eo donata, quæ post ipsius mortem locum inter signa cælestia obtinuit. Narrat vero Plutarch. in Thes. Ariadnen, post Thesei discessum, Onaro cuidam, qui Bacchi sacris addictus erat, nupsisse; et Ion, poeta Chius, filios e Theseo suscepisse, Œnopion et Staphylum. Amar.

EPISTOLA XI.

CANACE MACAREO*.

Si qua tamen cæcis errabunt scripta lituris;
  Oblitus a dominæ cæde libellus erit.
Dextra tenet calamum; strictum tenet altera fer-
  Et jacet in gremio charta soluta meo. [rum,
Hæc est Æolidos fratri scribentis imago:
  Sic videor duro posse placere patri.
Ipse necis cuperem nostræ spectator adesset;
  Auctorisque oculis exigeretur opus.
Ut ferus est, multoque suis truculentior Euris,
  Spectasset siccis vulnera nostra genis.
Scilicet est aliquid, cum sævis vivere ventis:
  Ingenio populi convenit ille sui.

* *Æolis Æolidæ, quam non habet ipsa, salutem*
Mittit, et armata verba notata manu.
Variant in his vocibus codices, sed utcumque sint, ablegandi ad monachorum officinas. Burm.

1. *Si qua tamen cæcis* &c.] Verbatim fere, ex illis Propert. iv. El. iii. 3.
Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
Hæc erit a lacrimis facta litura meis.
Sed inest abruptum aliquid, incompositum et inordinatum in Ovidiana, quod animum scribendo perturbatum mire arguit. Hoc tamen ita parum intellexerunt quidam interpretes, ut deesse non nihil exordienti Epistolæ nasute præsumpserint.—Præterea, nullum hic verbum, quod non adnotandum videatur: si quæ partes, quam mitto tibi, Epistolæ, *errabunt*, non suum ordinem servabunt, nec ita facile legentur, propter *cæcas lituras*, causam senties: *libellus oblitus* erit, fœdatus, maculatus, a dominæ *cæde;* quia quæ scribit, vitam simul et opus absolvet. Amar.

5. *Hæc est Æolidos fratri scribentis imago.*] Servius lib. i. Æneid. 75. ad illud Virgilii:
Et pulchra faciet te prole parentem.
Scribit Macareum et Canacem non hujus Æoli, qui ventorum rex fuisse perhibetur, sed alterius Æoli filios fuisse. Cujus opinionem quam facile in hac epistola Ovidius convincat, nemo non videt. Hyginus cap. ccxxxviii. *Æolus Canacem propter incestum cum fratre Macareo admissum interfecit.* Ciof.

Ille Noto Zephyroque, et Sithonio Aquiloni
Imperat, et pennis, Eure proterve, tuis.
Imperat (heu) ventis; tumidæ non imperat iræ:
Possidet et vitiis regna minora suis.
Quid juvat, admotam per avorum nomina cœlo,
Inter cognatos posse referre Jovem?
Num minus infestum, funebria munera, ferrum
Feminea teneo, non mea tela, manu?
O utinam, Macareu, quæ nos commisit in unum,
Venisset leto serior hora meo!
Cur umquam plus me, frater, quam frater amasti?
Et tibi, non debet quod soror esse, fui?
Ipsa quoque incalui: qualemque audire solebam,
Nescio quem sensi corde tepente Deum.
Fugerat ore color: macies adduxerat artus:
Sumebant minimos ora coacta cibos.
Nec somni faciles, et nox erat annua nobis:
Et gemitum nullo læsa dolore dabam.

17. *Quid juvat admotam,* &c.] Planus sensus est, non figuratus, ut Commentator existimavit: est enim ordo, quid juvat, me per nomina avorum admotam cœlo, hoc est cœlestibus conjunctam et affinem, posse inter cognatos Jovem referre? hoc autem eo pertinet, quod primus Æolus Hellenis filius fuit, Hellen Jovis. Quare per seriem avorum, et ipsa ad Jovem genus suum referebat. Micyl.

19. *Nec minus.*] Lege *num minus?* interrogative. Micyl. Vir quidam non ineruditus in Supplem. Actor. Lipsien. tom. vi. sect. ii. p. 80. legit:

Cum minus infestum, &c.

Certe non genium ille Ovidianæ venustatis adsequi videtur. et recte ab alio viro in iisdem Actis A. mdccxv. April. p. 178. refutatus est. Burm.

27. *Adduxerat.*] Ratio ita legendum persuadet. Ciofanus. Vera lectio. frustra codices *abduxerat*, et editiones quædam *obduxerat*. Virg. iii. Georg. 483.

———— *Ubi ignea venis*
Omnibus acta sitis miseros adduxerat artus. Heins.

28. *Ora coacta.*] Hæc probant, *adduxerat* legendum esse in præcedenti versu: idem enim notat. nam male Hubertinus exponit *compulsa*, Crispinus *invita;* est enim idem quod contracta, minora per maciem et ægritudinem facta, sic *virus coactum*, Lucan. vi. 548. *coacta tempestas* Lucretio lib. i. 762. ubi recte Gifanius *densam* explicat, et observatione dignam phrasin notat. sic et *cogere* fullones vestimenta, et alii artifices materiem dicuntur, quam condensant. Burm.

Nec cur hæc facerem, poteram mihi reddere caussam :
Nec noram, quid amans esset : at illud eram.
Prima malum nutrix animo præsensit anili :
Prima mihi nutrix, Æoli, dixit, amas.
Erubui, gremioque pudor dejecit ocellos.
Hæc satis in tacita signa fatentis erant.
Jamque tumescebant vitiati pondera ventris,
Ægraque furtivum membra gravabat onus.
Quas mihi non herbas, quæ non medicamina nutrix
Attulit, audaci supposuitque manu ?
Ut penitus nostris (hoc te celavimus unum)
Visceribus crescens excuteretur onus.
Ah ! nimium vivax admotis restitit infans
Artibus, et tecto tutus ab hoste fuit.
Jam novies erat orta soror pulcherrima Phœbi,
Denaque luciferos Luna movebat equos.

44. *Tectus tutus.*] Lego, *tecto tutus ab hoste*, cum Puteaneo, ut et vitetur ejusdem soni in junctis vocabulis odiosa repetitio, et sensui consulatur. *Tectus* enim *hostis* est ipsa mater vel nutrix, quæ non aperta vi, sed clam herbis et medicaminibus excutere fœtum tentabat. vel *hostis* sit ipsum medicamen noxium, ut Micyllus, quod clam per membra serpebat ; ut *ictum cæcum* in loco Fastorum modo adducto dixit. Burm.

Ab hoste.] Hoc est a pharmacis et medicaminibus, non tantum ab anu. neque refert, quod *ab hoste* singulariter dixit cum *hostem* dicat metaphorice quidquid illi adversum et infestum fuit. Micyl.

46. *Denaque luciferos Luna movebat equos.*] Sic libri veteres uno consensu : et recte. Epist. iv. 160:

Quod sit avus radiis frontem vallatus acutis,
Purpureo tepidum qui movet *axe diem.*

Sic et ibi codices antiqui : non *decimo mense*, ut est in vulgatis : quem locum receptam scripturam tueri in his Canaces contendit Burmannus, et evincere, pro *Dena Luna* non esse reponendum *Plena*, uti doctissimo Gronovio in Observationibus, lib. iv. c. 15. videbatur. Nec cum Puteaneo libro et aliis nonnullis, *Nona*, quod magnus Scaliger probavit. Nota illa :

Matri longa decem *tulerunt fastidia menses.*

Noster in Fastis, ii. 175 :

Luna novum decies *implerat cornibus orbem :*
Quæ fuerat virgo credita, mater erat. Amar.

Nescia quæ faceret subitos mihi caussa dolores,
Et rudis ad partus, et nova miles eram.
Nec tenui vocem. Quid, ait, tua crimina prodis?
Oraque clamantis conscia pressit anus.
Quid faciam infelix? gemitus dolor edere cogit;
Sed timor, et nutrix, et pudor ipse, vetant.
Contineo gemitus, elapsaque verba reprendo:
Et cogor lacrimas combibere ipsa meas.
Mors erat ante oculos; et opem Lucina negabat:
Et grave, si morerer, mors quoque crimen erat.
Cum superincumbens, scissa tunicaque comaque,
Pressa refovisti pectora nostra tuis.
Et mihi, Vive soror, soror ô carissima, dixti,
Vive: nec unius corpore perde duos.
Spes bona det vires: fratri nam nupta futura es.
Illius, es de quo mater, et uxor eris.
Mortua (crede mihi) tamen ad tua verba revixi;
Et positum est uteri crimen onusque mei.
Quid tibi grataris? media sedet Æolus aula:
Crimina sunt oculis subripienda patris.
Frugibus infantem, ramisque albentis olivæ,
Et levibus vittis sedula celat anus:

53. *Continuo.*] *Contineo* tres libri. Heinsius. Recepimus hanc scripturam, quam et Aldus expressit: nam idem est quod *reprimo*, exire non patior. *Reprendo* vero elegans, quasi pœniteret, et jam dicta retrahere ex fuga vellet. Burm.

55. *Mors erat grave crimen.*] Quia non potuissem mori sine infamia, in tali casu, quo fuisset cognitum scelus meum.

64. *Et positum est.*] Balliolensis, *depositumque uteri*. quod non displicet. Phædr. i. 18.

Onus naturæ melius quo deponeret.

Ubi vide quæ notavimus. et ita Græcos uti verbo ἀποτίθημι docuit Stephanus ad Callim. Hym. in Jov. 15. et Dian. 25. Burm.

67. *Frondibus infantem.*] Scaliger e codice suo annotaverat: *Frugibus infantem, ramisque albentis olivæ*, &c. Dan. Heinsius. *Frugibus* Puteaneus optime. Molam salsam intellige, quam sacra facturæ in promptu esse oportebat.

Fictaque sacra facit, dicitque precantia verba.
Dat populus sacris, dat pater ipse, viam.
Jam prope limen erat: patrias vagitus ad aures
Venit, et indicio proditur ille suo.
Eripit infantem, mentitaque sacra revelat
Æolus. insana regia voce sonat.
Ut mare fit tremulum, tenui cum stringitur aura;
Ut quatitur tepido fraxina virga noto;
Sic mea vibrari pallentia membra videres.
Quassus ab imposito corpore lectus erat.
Irruit; et nostrum vulgat clamore pudorem:
Et vix a misero continet ore manus.
Ipsa nihil, præter lacrimas, pudibunda profudi:
Torpuerat gelido lingua retenta metu.
Jamque dari parvum canibusque avibusque nepo-
Jusserat; in solis destituique locis. [tem
Vagitus dedit ille miser; (sensisse putares)
Quaque suum poterat voce rogabat avum.
Quid mihi tunc animi credas, Germane, fuisse;
(Nam potes ex animo colligere ipse tuo)
Cum mea me coram silvas inimicus in altas
Viscera montanis ferret edenda lupis?
Exierat thalamo: tunc demum pectora plangi
Contigit, inque meas unguibus ire genas.

Senec. Hipp. 499.
———*Fruge nec sparsi sacra*
Centena nivei colla submittunt boves.
HEINS.

Albentis olivæ.] Hæc enim arbor erat in tutela Palladis, et dicata paci; apta sacrificiis, quæ anus volebat simulare.

74. *Sonat.*] Codex Basileensis *tonat.* vid. inf. Ep. xix. 81. et v. Metam. 204. et hoc melius iræ regiæ convenit. vid. Heins. ad Claud. ii. Rap. 173. BURM.

91. *Tum demum pectora planxi.*] *Plangi* iidem libri cum Erfurtano. probe. Strozzæ *plango. denique* etiam nonnulli. Epistola Sapphus 133.
———*Nec pectora plangi,*
Nec puduit scissis exululare comis.
HEINS.

Τὸ *denique* elegans est. Ep. xii. 105.
Illa ego, quæ tibi sum nunc denique barbara facta. BURM.

92. *Genas.*] *Comas* excerpta Gal-

Interea patrius, vultu mœrente, satelles
Venit, et indignos edidit ore sonos:
Æolus hunc ensem mittit tibi: (tradidit ensem)
Et jubet ex merito scire, quid iste velit.
Scimus; et utemur violento fortiter ense:
Pectoribus condam dona paterna meis.
His mea muneribus, genitor, connubia donas?
Hac tua dote, pater, filia dives erit?
Tolle procul decepte faces, Hymenæe, maritas:
Et fuge turbato tecta nefanda pede.
Ferte faces in me, quas fertis, Erinnyes atræ,
Ut meus ex isto luceat igne rogus.
Nubite felices, Parca meliore, sorores:
Admissi memores sed tamen este mei.

licana, et plurimi alii. utrumque defendi potest. ipse Noster iii. Amor. vi.

Ungue notata comas, ungue notata genas. Heins.

Genas hic præferrem, quia rectius dicitur *ire unguibus in genas*, quam *comas*. vid. supr. ad Ep. v. 72. Burm.

93. *Interea patrius, vultu mœrente, satelles*, &c.] Nullus dubito quin omnia hæc Ovidius depromserit e Tragœdia, quam Euripides, 'Ερωτικὸς ἄνηρ, ut vocat Plutarch. apud Stob. *Æolum* inscripserat; cujus fragmenta ad nos usque pervenerunt, apud Barness. p. 444; et amplissime illustrata a Cl. Viro Lud. Casp. Valckenaer. Bis meminit Comicus, ad Nub. 1374, et Ran. 874.

Patrius satelles.] *Patruus* Puteaneus. Sequenti versu *prodidit ore* pro *edidit* unus Mediceus. placet. Heinsius. Illud *prodidit* elegans, quod et in Helmæstadiensi exstat. de quo verbo, vide quæ congessit Heinsius ad Claud. i. Rapt. 3. sic et i. Met. 761. multi codices *prode notam generis*. et alibi quoque hæc verba a librariis permutata fuerunt. Burm.

99. *His mea muneribus*, &c.] *Connubia donare muneribus* dubito valde, an Latine dicatur, aut sit pro Ovidiana elegantia. forte legendum *dotas*. quod sequentia confirmant. Burm.

101. *Tolle procul decepte.*] Hoc est, abi hinc Hymenæe decepte; id est, qui tanquam ad felices nuptias veneras cum tuis, hoc est nuptialibus et felicibus tædis, et succedant Erinnyes cum atris et feralibus facibus, quoniam hic circa mortem et funus laboramus, non circa nuptias, aut res felices. Micyllus. *Tolle precor* Mentelianus prior. Heins.

103. *Atræ.*] Mallem *atras*, ut *infaustas* dixit Ep. vi. 46. et *Stygias*. Val. Flac. ii. 173. et Stat. iv. Theb. 133. *Furiarum lampade nigra*. et *facem atram* Virgilius quoque dixit x. Æneid 77. Lucan. ii. 301. Furias tamen ipsas μελαινὰς vocat Æschyl. Agamem. 470. quo alludit Cicero in Vatin. 13. Burm.

105. *Nubite.*] Simpliciter accipiendum est verbum, *nubite*. non ut

Quid puer admisit, tam paucis editus horis:
  Quo læsit facto, vix bene natus, avum?
Si potuit meruisse necem, meruisse putetur.
  Ah miser admisso plectitur ille meo!
Nate, dolor matris, rapidarum præda ferarum,
  (Hei mihi!) natali dilacerate tuo:
Nate, parum fausti miserabile pignus amoris;
  Hæc tibi prima dies, hæc tibi summa fuit.
Non mihi te licuit lacrimis perfundere justis:
  In tua non tonsas ferre sepulcra comas.
Non superincubui: non oscula frigida carpsi.
  Diripiunt avidæ viscera nostra feræ.
Ipsa quoque infantes cum vulnere prosequar um- [bras:
  Nec mater fuero dicta, nec orba diu.
Tu tamen, ô frustra miseræ sperate sorori,
  Sparsa, precor, nati collige membra tui:

de fratribus et sororibus tantum inter se nubendis intelligatur, ut quidam ex commentatoribus exponit. MICYL.

106. *Admissi mei.*] Nihil mutandum. idem enim est ac fato meliore, id est feliciore et magis fausto. Valer. Flac. ii. 152.

——*Hos tales forsan solabere casus*
Tu thalamis, fatoque leges meliore penates.

Et vi. 84.

Venturam cœlo fatis melioribus Argo.

Sic *meliores Dei* eidem lib. vi. 676. et passim aliis, pro magis faventibus et faustioribus similis vero est sententia istis Propertii lib. iii. Eleg. xvii. 25.

At vos, innuptæ, felicius urite tædas.
BURM.

107. *Quid puer admisit.*] Tralatitia declamatorum et Poetarum in excitanda misericordia sententia. de qua vid. Lutatium et Barth. ad Stat. ii. Theb. 305.

114. *Summa fuit.*] 'Αναφορά. CIOF.

116. *Nec tonsas.*] Simpliciter accipe *non longas*, ut Hubertinus exponit. solebant autem funerali more comas resecare et in rogum ardentis aut sepulchrum mittere. MICYLLUS. Mos erat apud veteres, ut matres capillum sibi tonderent, et filiorum sepulchris injicerent. Ovidius xiii. Metam. 427. de Hecuba:

Hectoris in tumulo canum de vertice crinem,
Inferias inopes, crinem, lacrimasque reliquit. CIOF.

Non tonsas scripti. HEINSIUS. Hubertinus videtur respexisse ad Epist. viii. 78.

Ipsa ego non longos etiamnum scissa capillos.

Sed *non* jungendum est cum *ferre.*

119. *Ipsa quoque infantis cum vulnere persequar umbras.*] *Prosequar* Puteaneus et alii meliores. est autem

Et refer ad matrem, socioque impone sepulcro:
Urnaque nos habeat, quamlibet arta, duos.
Vive memor nostri, lacrimasque in vulnera funde:
Neve reformida corpus amantis amans. 126
[Tu (rogo) projectæ nimium mandata sororis
Perfer. mandatis perfruar ipsa patris.]

EPISTOLA XII.

MEDEA JASONI.

At tibi Colchorum (memini) regina vacavi,
Ars mea, cum peteres, ut tibi ferret opem.

verbum exequiale; sic *funus prosequi*. Apulej. iv. Met. *Toto prosequente populo, vivum producitur funus.* Heins.

128. *Mandatis perfruar.*] Totum hoc distichon in officina interpolatorum conflatum, vix Latinum est, aut ad Ovidianam elegantiam adsurgit. In Puteaneo certe codice id a manu secunda erat, priscæ lectionis vestigiis penitus sublatis. *Mandatum perfice* Gottorpianus, quomodo et Slichtenhorstius conjiciebat. et *mandatum persequar* notat ex suis Naugerius. quomodo et Puteaneus et Gronovianus. ut apud Plaut. Amphitrion. ii. i. 39. *Quod herus imperavit, neglexisti persequi.* et 75. *Non soleo ego somniculose Heri imperia persequi.* Helmæst. habebat *prosequar*. Heinsius. *Perferre* potest capi pro exsequi. ut Plin. xviii. c. iii. de Cincinnato nudo arante: *Cui viator, vela corpus, inquit, ut perferam Senatus Populique Romani mandata.* sic scripti, non *proferam*. Burm.

1. *Ut tibi.*] Initio hujus Epistolæ rursus audiamus ingenia correctorum. sic igitur illi:

Exul, inops, contempta novo Medea marito
Dicit: an a regnis tempora nulla vacant?

Et hactenus quidem utcunque erant ferendi, nunc nimis impudenter ineptiunt. præterea *At tibi* Puteaneus cum aliis nonnullis. optime. Ita enim indignantes aut mirantes exordiebantur plerumque. Noster ipse Amor. iii. initio Elegiæ. vii.

At non formosa est, at non bene culta puella:
At puto non votis sæpe petita meis.

Horatius initio Epod. v.

At ô Deorum quicquid in cælo regit!

Ubi vid. Torrentium. Virgil. lib. ii. Æneid. 535.

At tibi pro scelere exclamat, pro talibus ausis,
Dî, si qua est cælo pietas, quæ talia curet,
Persolvant meritas grates.

Tunc, quæ dispensant mortalia fila, Sorores
Debuerant fusos evolüisse meos.
Tunc potui Medea mori bene. quidquid ab illo
Produxi vitæ tempore, pœna fuit.
Hei mihi! cur umquam juvenilibus acta lacertis
Phryxêam petiit Pelias arbor ovem?
Cur umquam Colchi Magnetida vidimus Argo;
Turbaque Phasiacam Graja bibistis aquam?
Cur mihi plus æquo flavi placuere capilli;
Et decor, et linguæ gratia ficta tuæ?
Aut (semel in nostras quoniam nova puppis arenas
Venerat, audaces attuleratque viros,)
Isset anhelatos non præmedicatus in ignes
Immemor Æsonides, oraque adunca boum.

Ita et Græci indignantes ἀπὸ τοῦ Ἀλλά incipiebant. Heins.

7. *Hei mihi!* &c.] Ex Euripide, in ipso Fabulæ exordio:

Εἴθ' ὤφελ' Ἀργοῦς μὴ διαπτᾶσθαι σκάφος, κ.τ.λ.

Quod verbatim Ennius in suam transtulit:

Utinam ne in nemore Pelio securibus
Cæsæ cecidissent abiegnæ ad terram trabes;
Neve inde navis inchoandæ exordium
Cepisset, quæ nunc nominatur nomine
Argo, qua vecti Argivi delecti viri
Petebant illam pellem inauratam arietis,
Colchis imperio regis Peliæ per dolum!

Multo autem elegantius hæc eadem Phædrus, iv. 6:

Utinam nec unquam Pelii nemoris jugo
Pinus bipenni concidisset Thessala,
Nec ad professæ mortis audacem viam
Fabricasset Argus opere Palladis ratem! &c.

9. *Magnetida.*] Thessalicam. Magnesia enim regio est annexa Thessaliæ, ut Plin. scribit. Magnetes ejus populi dicuntur equitandi periti.

10. *Aquam Phasiacam.*] Nam Phasis fluvius est Colchorum.

13. *Nova puppis.*] Vel revera nova, vel admiranda. Ciof.

14. *Audaces.*] Perpetuum hoc nautis Epitheton, ut eleganter ostendit Torrentius ad Horat. i. Od. i. 14. sed præcipue Argonautis, qui primi finguntur æquora tentasse, aptum. ita Phædr. dicto loco, *ad audacem mortis professæ viam*, fabricatam ratem dicit. Senec. Medea 301.

Audax nimium, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit.

Et vers. 340. *improbam* vocat Argo, ut Florus lib. iii. cap. 16. etiam Poëtica elegantia Cæsaris classem, quæ prima Romanorum Oceanum tentavit, appellat. Burm.

15. *Non præmedicatus.*] Ita legendum, non ut commentator, *præmeditatus.* Neque enim præmeditatus venerat Jason. Medea autem medicamentis munierat illum, cum esset

Semina jecisset; totidem sensisset et hostes:
Ut caderet cultu cultor ab ipse suo.
Quantum perfidiæ tecum, scelerate, perisset!
Demta forent capiti quam mala multa meo!
Est aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas:
Hac fruar: hæc de te gaudia sola feram.
Jussus inexpertam Colchos advertere puppim,
Intrasti patriæ regna beata meæ.
Hoc illic Medea fui, nova nupta quod hîc est.
Quam pater est illi, tam mihi dives erat.
Hic Ephyren bimarem; Scythia tenus ille nivosa
Omne tenet, Ponti qua plaga læva jacet.
Accipit hospitio juvenes Æëta Pelasgos,
Et premitis pictos corpora Graja toros.

boves ignem efflantes sub jugum missurus, ne quid illorum igne læderetur. ut est apud Apollonium et ipsa infra:

Ipsa ego, quæ dederam medicamina, pallida sedi. MICYL.

17. *Semina jecisset, totidem sumsisset et hostes.*] Mihi placet, ut editum ab ipso Heinsio:

Semina jecisset, totidem sensisset et hostes.

Sentire autem proprie illos dicimus, a quibus clades et damnum accipimus. vid. Ep. ix. 46. et ad Petron. c. 139. BURM.

27. *Hic Ephyren bimarem.*] Apposite faciunt huc Velleji Paterculi verba ex lib. i. *Paullo ante Haletes, sextus ab Hercule, Hippotis filius Corinthum, quæ antea fuerat Ephyre, claustra Peloponnesi continentem, in Isthmo condidit.* Aliter sentit Hyginus cap. cclxxv. *Ephyre Nympha Oceani filia Ephyren, quam postea Corinthum appellarunt, condidit.* CIOF.

Scythiâ tenus ille nivosâ Omne tenet.] Nos antiquam lectionem reduximus. *Omne tenet* usque ad nivosam Scythiam, quousque patet aditus. *Tenere* est verbum regium, ut et *late tenere*, de quo vid. ad Petron. cap. lxxxii. BURM.

28. *Qua.*] Id est *ubi*. CIOFANUS. Pro *jacet* conjecerat Heinsius *patet*, sed nihil opus. Val. Flacc. iv. 211.

Sic ingens Asiæ plaga, quique per Arcton
Dexter, et in lævum pontus jacet.

Et ita millies Poetæ et Geographi.

29. *Accipit.*] *Excipit*, quod in antiquis editionibus, sed in nullis Heinsii codicibus exstat, probabat Francius ex Ep. xvi. 127. *Excepti hospitio* etiam apud Liv. lib. i. 22. ubi *hospitio*, auctore Codice Palatino, exturbari placet Gebhardo, non mihi. hic vero nihil muto. Livius xxix. 11. *Tum curarent, ut eam, qui vir optimus Romæ esset, hospitio acciperet.* ubi Gronov. in MSS. etiam *exciperet* esse testatur. BURM.

Excipit hospitio juvenes Æeta relictos.] Et in hoc versu addidere quidam *Pater*, ut bissyllabum *Aeta* facerent, cum tamen trissyllabum sit, ut paulo

Tunc ego te vidi: tunc cœpi scire quid esses.
Illa fuit mentis prima ruina meæ.
Ut vidi, ut perii; nec notis ignibus arsi,
Ardet ut ad magnos pinea tæda Deos.
Et formosus eras, et me mea fata trahebant:
Abstulerant oculi lumina nostra tui.
Perfide, sensisti: quis enim bene celat amorem?
Eminet indicio prodita flamma suo.
Dicitur interea tibi lex; ut dura ferorum
Insolito premeres vomere colla boum.

post in eundem hunc sensum: *Dixerat Æetes.* Adde quod male etiam scripserint, dum *Oetam* scribunt: sic enim montis est nomen. EGNATIUS. Τὸ *pater* Puteaneus et alii nonnulli ex melioribus haud agnoscunt. recte. ut monui ad Epist. vi. 103. HEINS.

30. *Corpora Graja.*] Variant codices. *Pectora Graja* Gottorph. *Graïa turba* Vaticanus. *Graja juventa* unus Moreti. sed elegantior est vulgata lectio; ita *primæva corpora.* Val. Flac. ii. 653. et alii passim. BURM.

31. *Tunc cœpi scire quis esses.*] *Quid esses* codices magna ex parte. quod sequor. Pont. i. El. vii.

Certe ego cum primum potui sentire quid essem.

Epistola Hermiones:

Tu mihi quod matri pater es.

Quomodo Noster atque alii auctores passim. Horatius i. Sat. vi. 55.

Virgilius; post hunc Varius dixere, quid essem.

Boëtius lib. i. Cons. Philos. *Quid ipse sis nosse desisti.* pari modo et Græci. sic apud Theophrast. Charactere περὶ κακολογίας. ὁ δεῖνα τί ἐστί. HEINSIUS. Recte Heinsius. sic iii. Trist. viii. 38. *Quid sim, quid fuerimque subit.* et iv. i. 99.

Cum vice mutata, quid sim fuerimque recordor.

vi. Metam. 551. *Quid fuerim, quid simque vide.* P. Syrus, *Etiam oblivisci quid sis interdum expedit.* ita in Evangelio Lucæ. i. 66. Τί ἄρα τὸ παιδίον τοῦτο ἔσται. ubi male quidam τίς legunt. vid. ad Phædr. v. 10. BURM.

33. *Ut vidi, ut perii.*] Alii, *Et vidi, et perii:* mihi ex Theocriti et Virgilii imitatione hoc probabilius est visum, magisque Poëticum. EGNATIUS. *Et vidi et perii* scripti, sed perperam. Homerus:

Ὡς ἴδεν, ὡς μὶν μᾶλλον ἔδυ χόλος.

Theocritus, Pharmac.

——— ἃ δ' Ἀταλάντα
Ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἅλλετ' ἔρωτα.

Hinc illa Virgiliana:

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.

Epistola Laodamiæ ex vestigiis veterum librorum:

Ut vidi, ut gemui, tacitoque in pectore dixi.

Art. Am. iii. 730.

Ut patuit miseræ jucundi nominis error:
Ut mens, ut rediit verus in ora color.

Sic enim codices nonnulli ista constituunt. HEINSIUS. vid. Val. Flac. vii. 104. et seqq.

38. *Eminet.*] *Enitet* quædam editiones. quod magis Poëticum puto.

39. *Dixerat interea tibi Rex.*] *Di-*

[Martis erant tauri plus, quam per cornua, sævi;
Quorum terribilis spiritus ignis erat.]
Ære pedes solidi, prætentaque naribus æra:
Nigra per adflatus hæc quoque facta suos.
Semina præterea, populos genitura, juberis
Spargere devota lata per arva manu,
Qui peterent secum natis tua corpora telis.
Illa est agricolæ messis iniqua suo.
Lumina custodis, succumbere nescia somno,
Ultimus est aliqua decipere arte labor.
Dixerat Æëtes, mœsti consurgitis omnes,
Mensaque purpureos deserit alta toros.

citur Puteaneus a manu prima. Scribendum omnino:

Dicitur interea tibi lex.

Initio lib. vii. Met. in hac eadem narratione:

Lexque datur numeris magnorum horrenda laborum.

Ita enim optime veterrimi libri. *Legem dicere*, elegans et Latinum est. Sequens distichon Ovidianæ non videtur esse venæ. Heinsius.

40. *Vomere.*] *Pondere* Barberinus; quod nescio an rectius: *Vomer* enim et aratrum *premi* centies a Poëtis dicitur, non *premere*. vid. ad Val. Flac. vii. 63. sed *pondus* est hic jugum; ut alibi; *pressique jugo gemuere juvenci.* vide mox v. 94. Burm.

43. *Prætentaque naribus æra.*] *Ora* Scriverii et Palatinus. ut supra, *adunca ora* dixit: sed vulgata, ex illis Apollonii. lib. iii. 230. defenditur:

Καὶ οἱ χαλκόποδας ταύρους κάμε· χάλκεα δέ σφέων
Ἦν στόματ', ἐκ δὲ πυρὸς δεινὸν σέλας ἀμπνείεσκον. Heins.

Prætextaque mallet Francius. male; est a Geographiæ et militaris rei scriptoribus sumtum verbum. vid. Vales. ad Amm. Marcel. xiv. 2. et Commentatores ad Sil. Ital. xvi. 253. Burm.

46. *Lata.*] Male editiones quædam priscæ et codices, *læta.* campus enim ille *longis annis horridus* dicitur Valerio Flacco. lib. vii. 62. eadem vero varietas supr. Ep. ii. iii. Fast. i. 546. ii. 210. et iv. 243. et alibi. Horatio etiam *latos campos* contra temeritatem Dacerii vindicavit eruditissimus Bentlejus ad lib. iii. Od. ii. *Larga* hic habet unus Regius et alter Heinsii. *Devota* vero in accusativo accepit bonus Volscus, quem fideliter errorem consarcinator notarum variarum exhibuit. rectius Hubertinus. Burm.

52. *Deserit alta.*] Durior locutio, ut mensa dicatur *deserere toros*, quæ removetur. an dictum, ut *deserit hasta virum?* Stat. x. Theb. 742. *Desinit* erat in Moreti codice, de quo verbo Heinsius agit ad ii. Art. Am. 726. sed neque hoc placet; neque etiam quod *mensa alta* dicatur, cum supra toros non multum eminere solerent mensæ, si non inferiores sæpe, et tori rectius *alti* dicantur. vid. Virgil. ii. Æneid. 2. unde *sublimem jacere* dixit infra. latere puto ulcus. Burm.

Quam tibi nunc longe regnum dotale Creüsæ,
Et socer, et magni nata Creontis erant?
Tristis abis. oculis abeuntem prosequor udis:
Et dixit tenui murmure lingua, Vale.
Ut positum tetigi thalamo male saucia lectum;
Acta est per lacrimas nox mihi, quanta fuit.
Ante oculos taurique truces segetesque nefandæ;
Ante meos oculos pervigil anguis erat.
Hinc amor, hinc timor est. ipsum timor auget amorem.
Mane erat; et thalamo cara recepta soror,
Disjectamque comas aversaque in ora jacentem
Invenit, et lacrimis omnia plena meis.
Orat opem Minyis: petit altera, et altera habebit.
Æsonio juveni, quod rogat illa, damus.

53. *Creüsæ.*] *Glaucen* vocat Apollodorus et Diodorus. Ciof.

55. *Prosequor.*] *Persequor* sex. nil muto. vid. Epist. v. 55.

58. *Acta est per lacrimas.*] Posset et legi, *acta inter lacrimas.* ut Virgil. vi. Æneid. 513.

Namque ut supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus, nosti.

Propertius iii. viii. 21.

Sit mensæ ratio, noxque inter pocula currat.

Sed *per lacrimas,* idem significare docebimus ad Valer. Flac. lib. i. 767. Burm.

63. *Aversaque.*] Multi codices *adversa.* ut ii. Fast. 845. *Illa jacens adversa;* ut Heinsius volebat. sed pronam, et in faciem jacuisse puto, præ pudore et mœstitia; ut solent in hac animi adfectione sæpe mutare corporis statum crebris jactationibus. egregie Juvenalis iii. 278.

Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit,
Dat pœnas. noctem patitur lugentis amicum
Pelidæ. cubat in faciem, mox inde supinus.
Ergo non aliter poterit dormire.

Ubi Heinsius malebat:

Ægre et non aliter poterit dormire. Burm.

65. *Petit altera et altera habebit.*] Salmasius ad Capitol. Maximin. cap. i. *Alter petit, alter habebit* ex Puteaneo. quomodo et Gottorphianus. nonnulli: *Petit altera, et alter habebit.* Si quid mutandum sit, ita rescripserim:

Orat opem Minyis soror altera, at altera flevit:
Æsonio juveni, quod rogat illa, damus.

Tò *soror* exciderat. pro quo male feriati correctores *petit* supposuerunt. *altera flevit* vel *flebat,* facilis mutatio ex *alter habebit* aut *habebat,* quod in multis scriptis est, ut jam monui. ce-

Est nemus, et piceis, et frondibus ilicis atrum:
  Vix illud radiis solis adire licet.
Sunt in eo, fuerantque diu, delubra Dianæ:
  Aurea barbarica stat Dea facta manu.
Nostin', an exciderunt mecum loca? venimus illuc;
  Orsus es infido sic prior ore loqui.
Jus tibi et arbitrium nostræ Fortuna salutis
  Tradidit: inque tua vitaque morsque manu.
Perdere posse sat est, si quem juvet ipsa potestas;
  Sed tibi servatus gloria major ero.
Per mala nostra precor, quorum potes esse levamen;
  Per genus et numen cuncta videntis avi;
Per triplicis vultus, arcanaque sacra, Dianæ;
  Et si forte alios gens habet ista Deos.

terum cur Chalciope Argonautis faverit, in promtu causa est, quod filii ejus quatuor ex Phrixo geniti in illorum essent numero. Vide Hyginum Fab. iii. vix dubitabit de hac conjectura, qui Apollonium ea omnia copiose atque eleganter narrantem consulet libro tertio Argonauticorum, ubi Medeam acerbe plorantem inducit, nec minus et Chalciopen. Helmæstadiensis versu proximo, pro *rogat*, loco alieno *soror* agnoscebat. Heins.

67. *Est nemus.*] Illustravi hunc locum lib. vii. Metamorph. Ciof.

69. *Sunt in eo, fuerant certe.*] *Fuerantque diu* multi codices. quod admittendum videtur. Delubra enim a vetustate venerationem præcipue mutuabantur. Tacitus: *Nemus religione, patrum et prisca formidine sacrum*, ubi habes versum integrum Heroïcum, ut me monuit Kinschotius. Noster Fast. iv. 649.

Silva vetus, nullaque diu violata securi,
Stabat, Mænalio sacra relicta Deo.

Plena ejus rei Poëtarum ubique scripta. malo tamen, *fueruntque diu.* Heins.

72. *Prior ore.*] *Ille* Francof. sed vulgata proba est. i. Fast. 100.

Edidit hos nobis ore priore sonos.
Burm.

79. *Per triplices vultus.*] *Triplicis* concinnius Puteaneus et duo Ambrosiani. Fast. i. 387.

Quod semel est triplici pro virgine cæsa Dianæ. Heins.

Concinnius opinor fore, *per triplicis cultus Dianæ*, triplex etiam Diana dicitur et colitur. in veteri inscriptione apud Gruter. p. xxviii.

Idem augur, triplicis cultor venerande Dianæ.

Triformis Valerio Flacco vii. 395. dicta. et Silio i. 120. vid. Zenob. pag. 318. atque ibi Schott. et Serv. ad Virg. iv. 510. Burm.

80. *Et si forte aliquos.*] Malim; *Et si forte alios.* supervacaneum enim erat dubitare, si quos Deos haberent Colchi, cum jam Dianæ mentionem fecisset, et infra addat, *Et Dea, mar-*

O virgo, miserere mei; miserere meorum!
Effice me meritis tempus in omne tuum.
Quod si forte virum non dedignare Pelasgum,
(Sed mihi tam faciles unde, meosque Deos?)
Spiritus ante meus tenues vanescat in auras,
Quam thalamo, nisi tu, nupta sit ulla meo.
Conscia sit Juno, sacris præfecta maritis;
Et Dea, marmorea cujus in æde sumus.

morea cujus in æde sumus, illud autem procedit, si roget, ecquos alios præter Dianam habeat. MICYLLUS. Nobis magis placet codicum lectio, quibus usus est Micyllus, *Et si forte alios*. DAN. HEINSIUS. Sic supr. ii. Ep. 83. pro *atque aliquis*, codices quidam, *atque alius*: et sæpe hæc permutata. vide supr. vers. 50.

83. *Quod si forte virum non dedignare Pelasgum*, &c.] Si me hominem Græcum non indignum censes, quem tuum virum habeas, prius moriar, quam tuo matrimonio aliam mulierem præponam. Apollonius quoque idem scribit lib. iii.

Ἡμέτερον δὲ λέχος θαλάμοις ἔνι κουριδίοισι
Πορσανέεις· οὐδ᾽ ἄμμε διακρινέει φιλότητος
Ἄλλο, πάρος θάνατον γε μεμορμένον ἀμφικαλύψαι.

Apollodorus tamen in hanc sententiam lib. i. *Cum timeret Medea, ne Jason a tauris perderetur, inscio patre, ei se fore ad illos perdomandos atque vellus aureum auferendum, si se uxorem ducturum et in Græciam simul navigantem pervecturum juret, auxiliatricem, pollicetur. Id præstiturum se juravit Jason.* CIOFANUS. Alter Mentelianus *Pelasgon*. HEINS.

84. *Sed mihi tam faciles unde, Deosque meos.*] Est sententia; sed unde mihi sperem tam faciles Deos, et tam meos, hoc est faventes mihi. ἐλλειπτικῶς scilicet supplendo verbum *sperem*, aut simile. MICYLLUS. *Meosque Deos* Puteaneus et alii multi. quod Salmasio ad Historiam Augustam probatum. libri multi, *unde putabo Deos?* vel, *unde deos habeam?* et similia. quæ interpolatorum figmenta. Horatius lib. ii. Sat. v. 102.

——— *Unde mihi tam fortem tamque fidelem?*

Et Sat. vii. 116.

Unde mihi lapidem? quorsum est opus? unde sagittas?

Seneca Hercule Fur. vers. 296.

Unde illum mihi,
Quo te tuamque dexteram amplectar, diem?

Vetus interpres Evangelii Matthei cap. xv. 33. *Et dixerunt ei Discipuli, unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam?* Latine et eleganter. Plura ad Statium Gronovius de hoc loquendi modo. HEINSIUS. Vide ad Quinctil. Decl. vi. 8.

85. *Tenues vanescat in auras.*] In Epistola Penelopæ:

—— *Et hoc crimen tenues vanescat in auras.* CIOF.

87. *Conscia sit.*] *Scit Juno*, non male Argentinensis. HEINSIUS. Elegantissime. ita Stat. ii. Theb. 108. *Scit fama.* ubi vid. Gronovii notas. Vid. et Quinctil. Decl. xviii. 12. BURM.

Hæc animum (et quota pars hæc sunt?) movere pu-
Simplicis; et dextræ dextera juncta meæ. [ellæ
Vidi etiam lacrimas. an pars est fraudis in illis?
Sic cito sum verbis capta puella tuis.
Jungis et æripides inadusto corpore tauros,
Et solidam jusso vomere findis humum.
Arva venenatis, pro semine, dentibus imples:
Nascitur, et gladios scutaque miles habet.
Ipsa ego, quæ dederam medicamina, pallida sedi,
Cum vidi subitos arma tenere viros.
Donec terrigenæ (facinus miserabile) fratres
Inter se strictas conseruere manus.
Pervigil ecce draco, squammis crepitantibus hor-
Sibilat; et torto pectore verrit humum. [rens,

89. *Hæc animum et quota pars etiam movêre puellæ.*] Simplicius elegantiusque in Scaligeri codice scribebatur: *Hæc animum (et quota pars hæc sunt?) movere puellæ Simplicis,* &c. Recte inprimis. Dan. Heinsius. *Et quota pars hæc sunt* Puteaneus. *Quota pars possunt movere, vel movisse* alii plerique tres *possent.* duo *poterant.* Placet Puteanea lectio. sic lib. ii. Pont. El. x.

Et quota pars hæc sunt rerum, quas vidimus una,
Te mihi jucundas efficiente vias?
Heins.

Gryphius et alii ita distinguunt:

Hæc animum (et quota pars possent) movere puellæ.

92. *Sic cito.*] *Sic ego,* Regius. et ita Francius conjecerat.

93. *Jungis et æripedes.*] Tò *et* abest a Gronoviano. Scribe *Jungis aënipedes.* dixi Epist. vi. vers. 32. Heins.

Tauros.] Duos tauros feros et miræ magnitudinis, ut in Epistola Hypsipyles ex Apollodoro notavi. Ciofanus. Inepte Hubertinus verba illa *inadusto corpore,* ad tauros refert, quasi illi semper efflarent ignem, et numquam et igne urerentur; cum hæc Jasonem respiciant, qui illæsus ab igne illo, quem naribus efflabant tauri, Medeæ beneficio, jugo illos supposuerit. vid. Valer. Flac. vi. 63. et 98. et 578. et seqq. præcipue 584. *Sed non incendia Colchis Adspirare sinit,* &c. et hinc supra vers. 15. *Isset anhelatos non præmedicatus in ignes.* vid. vii. Met. 115. *Inadusto pectore.* Cod. Douzæ. Burm.

97. *Ipsa ego.*] Lucan. iv. 555.

Ipsaque, inexpertis quod primum fecerat herbis,
Expavit Medea nefas.

98. *Arma tenere.*] *Movere* Vaticanus.

101. *Pervigil ecce draco.*] Ita et lib. vii. 149. Met. et Maximianus in Elegiis:

Pervigil observat non sua poma draco.

Scripti tamen tres, *Serpens ecce vigil.* unus Vatic. *Insomnis serpens.* At Puteaneus, *Insopor ecce vigil.* Scribe, *Insuper ecce vigil. Vigil* pro vigili

Dotis opes ubi tunc? ubi tunc tibi regia conjux?
  Quique maris gemini distinet Isthmos aquas?
Illa ego, quæ tibi sum nunc denique barbara facta,
  Nunc tibi sum pauper, nunc tibi visa nocens,
Flammea subduxi medicato lumina somno:
  Et tibi, quæ raperes, vellera tuta dedi.
Proditus est genitor: regnum patriamque reliqui:
  Munus in exilio quolibet esse tuli.
Virginitas facta est peregrini præda latronis;
  Optima, cum cara matre, relicta soror.

dracone. Germanicus Aratæis de ariete. 540.

Qui tulit in Tauros Phryxum, qui prodidit Hellen,
Quem propter fabricata ratis, quem perfida Colchis,
Sopito vigile, incesto donavit amori.

Ita scribendum. *Insopor ecce draco*, pro diversa lectione Erfurtanus, cum glossa; *id est sine sopore.* mira locutione, nec alias mihi observata. quomodo lib. vii. 36. eundem *insopitum draconem* voce parum usitata dixit. Heins.

108. *Raperes.*] Non moveo hanc lectionem, sed admodum tamen blanditur Heinsiani unius codicis scriptura, *quæ referas.* quia jussus erat Jason vellus domum referre. vid. Valer. Flac. vii. 100. *Vellera fulva*, quod malebat Francius, est in Mediceo uno. sed *tuta* præstat, ut incolumis inadusto corpore et sine noxa ea rapere posset. Burm.

110. *Munus in exilio quodlibet esse tuli.*] Puto rescribendum:

Et minus exilio quidlibet esse tuli.

Hoc est omnibus rebus exilium prætuli. Certe unus Patavinus, *Munus exilio.* lib. ii. Art. Amat. 548.

—— *Monitis sum minor ipse meis.*

Sic *merces labore minor.*

—— *Nec dicere sustinet ultra*
Verba minora dea. Heins.

Vix video, qualis sensus ex emendatione Heinsii emergat, nec quo adducta exempla faciant. ego puto legendum:

Munus in exsilio quolibet esse tuli.

Credidi me felicem etiam, si relicta patria et regnis quæ prodideram, exsul modo essem; licet exilium esset miserum et infelix, beneficium tamen erat, quia tecum fore me semper fingebam. *Quolicet* erat in duobus scriptis et editione prima, et in margine Gryphii. sic eleganter utuntur illo *quolibet* et *quocumque.* ut Propert. i. Eleg. viii. 4.

Ut sine me vento quolibet ire velis.

Id est etiam sævo et adverso. quod Cæsar apud Sueton. cap. lxvi. *Quocumque vento in quascumque terras avehi*, dixit. id est etiam tempestate sæviente, in solas etiam et desertas terras. vid. ad Epist. iv. 98. denique hoc confirmat Senec. in Medea. 492.

Pœnam putavi, munus (ut video) est fuga.

Et ita Noster ix. Met. 181. *Mors mihi munus erit.* et similia. Burm.

At non te fugiens sine me, germane, reliqui.
Deficit hoc uno litera nostra loco.
Quod facere ausa mea est, non audet scribere, dextra,
Sic ego, sed tecum, dilaceranda fui.
Nec tamen extimui (quid enim post illa timerem?)
Credere me pelago femina, tamque nocens.
Numen ubi est? ubi Dî? meritas subeamus in alto,
Tu fraudis pœnas, credulitatis ego.
Complexos utinam Symplegades elisissent,
Nostraque adhærerent ossibus ossa tuis!
Aut nos Scylla rapax canibus misisset edendos!
(Debuit ingratis Scylla nocere viris.)

113. *Sine me.*] Suspectum hoc est et duriter dictum. multi, *at te non fugiens.* ut sensus sit, non ego fugiens reliqui te sine me, sed vel mecum comitem fugæ adsumsi, ut quidam tradunt, vel insequentem te nos interemi. Cogitabam aliquando, *At cur non fugiens sic te Germane reliqui?* cur non eodem modo, ut matrem et sororem reliqui, te quoque reliqui domi salvum et incolumem, sed te laceravi? mox quidam scripti et editi, *sic ego, sic tecum,* quasi ad Absyrtum esset sermo; sed respiciunt illa Jasonem. quare recte sic ego fui dilaceranda a fratre meo, sed simul cum Jasone perfido. iii. Amor. xiv. 46.

Tunc ego, sed tecum mortuus esse velim.

Vid. Epist. xiii. 72. Burm.

118. *Jamque nocens.*] *Tamque* est in Francof. quod elegantius, quia nusquam præsentiorem vindictam divinam credebant veteres, quam in mari et aqua, si scelerati se illis crederent, ut mille Poetarum loca ostendunt; quæ hic constipare nihil attinet. vid. Horat. iii. Od. ii. 28. nota est quoque Historia Jonæ Prophetæ. Burm.

121. *Compressos utinam Symplegades elisissent, Nostraque adhærerent ossibus ossa tuis: Aut nos Scylla rapax,* &c.] Indignatus Juppiter propter Absyrti necem ingentem Argonautis immisit tempestatem: propter quam ita diu errarunt, ut Libyæ, Galliæ, Sardiniæ, et Hetruriæ littora præterierint. Acceperant autem Jovis iram prius desituram non esse, quam in Ausoniam profecti Absyrti necis a Circe expiati fuissent. Auctor Apollodorus lib. i. atque idcirco Poëta Scyllæ et Charybdis hoc loco meminit. Quam rem hic miratur, vel potius quæritat Egnatius. Ciofanus. *Complexos* duo Medicei. vide notas Epist. iv. vers. 139. Heinsius. Recte: nam tempestiva hic mentio complexuum, in tam infausto conjugio, ut voveat se in mediis amplexibus fuisse elisam inter Symplegadas. Burm.

123. *Aut nos Scylla rapax.*] Scyllæ et Symplegadum hic mentionem facit, vel quia (ut Orpheus Arg. vers. 1246. tradit, notante jam Volsco) Argo illa loca penetravit, vel quia Ovidius finxit, Medeam voventem, ut loca illa transisset, quo locus ipsi

Quæque vomit fluctus totidem, totidemque resor-
Nos quoque Trinacriæ supposuisset aquæ! [bet,
Sospes ad Hæmonias, victorque, reverteris urbes;
Ponitur ad patrios aurea lana Deos.
Quid referam Peliæ natas, pietate nocentes,
Cæsaque virginea membra paterna manu?
Ut culpent alii, tibi me laudare necesse est,
Pro quo sum toties esse coacta nocens.
Ausus es ô, (justo desunt sua verba dolori)
Ausus es, Æsonia, dicere, cede domo.
Jussa domo cessi, natis comitata duobus;
Et, qui me sequitur semper, amore tui.
Ut subito nostras Hymen cantatus ad aures
Venit, et accenso lampades igne micant,

esset devotionum et dirarum horrorem augendi; confundit vero duas Scyllas. vide Heins. ad Epist. Sabini. i. 33. Burm.

132. *Esse coacta nocens.*] Francius conjiciebat, *Pro quo sum toties facta nocente nocens.* inf. 198. *Cum quo sum pariter facta parente parens.* nos nihil mutamus. coactam enim se ad scelus decentius dicit, quam si sponte nocens esset facta. expressit Ovidium Seneca Medea 280.

Toties nocens sum facta, sed numquam mihi.

Antea dixerat, *illi Pelias, non nobis jacet.* Burm.

134. *Cede domo.*] Formula repudii apud Romanos; talis et illa abdicationis apud Quinctilianum Declam. cclviii. ubi pater ad filium, *discede de domo mea.* Heins.

135. *Jussa domo.*] Non damno. sed vehementius puto, *pulsa domo cessi.* iii. Fast. 559. *Pellitur Anna domo.* vid. ad Epist. ix. 131. infr. xiv. iii. *Regnoque domoque Pellimur.* Quinctilian. Declam. cccxxxviii. *Atque esset ea domo, in qua virgo nupserat, pulsa.* Auctor Octaviæ 671.

——— *Cessit thalamis Claudia diri*
Pulsa Neronis. ———

Et ita *pulsus fugito.* Bentl. ad Horat. i. Sat. 6. 13. Burm.

Comitata duobus.] Mermero et Pherete. vide Scholia in lib. ii. Tristium. *Comitata* vero παθητικῶς. Ciof.

137. *Ut subito*, &c.] Sic et Catullus producta prima syllaba *Hymen* pronuntiavit eo versu, *Hymen ô Hymenæe,* quod imitatus Græcos fecit: nam et Theocritus in Helenes Epithalamio:

Ὑμὰν ὦ Ὑμέναιε γάμῳ ἐπὶ τῷδε χαρείης.

Ego tamen libentius correpta legerem, sed nusquam aliter inveni, neque quidquam ex me addere audeo. quidam legunt:

At subito nostras ut Hymen cantatus ad aures. Nauger.

Forte: *At subito nostras ut Hymen,* &c. et sic editio Micylli, et quosdam legere ait Naugerius, qui tamen ex

Tibiaque effundit socialia carmina vobis,
At mihi funereâ flebiliora tubâ;
Pertimui; nec adhuc tantum scelus esse putabam:
Sed tamen in toto pectore frigus erat.
Turba ruunt; et, Hymen, clamant: Hymenæe, frequentant.
Quo propior vox est, hoc mihi pejus erat.
Diversi flebant servi, lacrimasque tegebant.
Quis vellet tanti nuntius esse mali?

Catullo et Theocrito vulgatam lectionem tuetur. ut Ciofanus, qui Naugerium hic compilavit. Heins.

138. *Lampades.*] Faces nuptiales explicant. posset tamen et capi de pensilibus Lychnuchis, quibus domus festa illuminabatur. Terent. Adel. v. 7.

Missa hæc face, Hymenæum, turbas, lampadas.

Et sic infr. Ep. xiv. 25.

Undique collucent præcinctæ lampades auro.

Etsi probe sciam, *lampadas* de facibus, et quidem nuptialibus dici. ut iii. Pont. iii. 60. Val. Flac. viii. 278. et alibi. Burm.

143. *Turba ruunt et Hymen clamant, Hymenæe frequentant.*] Duplex hujus versus lectio est: vulgaris habet, *Hymenæa frequentant.* Quam qui defendunt, *Hymenæa* alii pluralem casum faciunt, a neutro in *um*, ut sit adjective positum, pro *Hymenæa sacra*, sive solemnia; perinde ut nuptialia sacra dicuntur. Alii autem metaplasmum faciunt, ut sit *Hymenæa* pro *Hymenæon* positum, singulari casu: quæ tamen figura Græcis familiarior quam Latinis est. Altera autem lectio eorum est, qui *Hymenæe* vocativo casu legunt, ut sit ellipticωs dictum. *Hymenæe*, pro te *Hymenæe*, &c. aut etiam citra figuram, pro frequentant hanc vocem *Hymenæe.* Neque facile dixerim utra lectio potior sit; quando (ut nunc quidem in vulgatis editionibus habetur,) utriusque exempla reperiuntur. Nam in i. de Arte 563. ubi de Baccho et Ariadna mentio fit, hic versus ponitur: *Pars Hymenæa canunt, pars Evoë Evoë clamant.* et in Epistola Hypermnestræ 27. *Vulgus Hymen Hymenæa vocant*, &c. Nisi quod posterior lectio Grammatice defendi melius potest: eoque et doctis quibusdam magis probatur. sed tamen et illud non obscurum, Poetas veteres plus auribus aliquando, quam Grammaticorum præceptis ac regulis dedisse. Micyllus. Vide Heinsii notas ad Epist. xiv. 27. *Frequentare* vero hic est ingeminare, repetere.

144. *Vox est.*] *Vox hæc* Puteaneus et Gottorphianus. duo alii *hæc vox.* Heinsius. Sed κακόφωνον hoc est. quare retineo *est. Pejus erat* vero, ut in illo Petronii cap. 54. *Pessime mihi erat.* Burm.

145. *Diversi flebant.*] *Divisi* vel *dispersi* malebat Francius. sed nihil opus. *Diversi* enim hic est ab oculis meis se removentes; ut ita passim *diversus* orbis, *diversæ* terræ, et similia Poetis dicuntur. Virg. xi. 855.

Cur, inquit, diversus abis?

Livius ix. 2. *Diversi, alius alio, abiere.* Et sic ille sæpe, et alii, ubi in diversas partes abire aliquos inducunt. vid. Broukh. ad Propert. iii. ii. 33. Burm.

146. *Quis vellet tanti nuntius esse*

Me quoque, quidquid erat, potius nescire juvabat:
Sed tamquam scirem, mens mihi tristis erat.
Cum minor e pueris, jussus studioque videndi,
Constitit ad geminæ limina prima foris:
Hic mihi, Mater, abi; pompam pater, inquit, Iä-
Ducet; et adjunctos aureus urguet equos. [son
Protinus abscissa planxi mea pectora veste:
Tuta nec a digitis ora fuere meis.
Ire animus mediæ suadebat in agmina turbæ,
Sertaque compositis demere rapta comis.
Vix me continui, quin sic laniata capillos
Clamarem, Meus est, injiceremque manus.
Læse pater, gaude: Colchi gaudete relicti;
Inferias, umbræ fratris, habete mei.

mali?] Quasi dicat nemo. Juxta illud Sophoclis in Antigone:

Στέργει γὰρ οὐδεὶς ἄγγελον κακῶν ἐπῶν.

Nemo enim amat eum, qui malum adfert nuntium. Ciof.

148. *Mens mea.*] Basileensis *mens mihi*, quod Ovidianum magis et Poëticum. vid. supr. Ep. iii. 124. et xi. 77. et alibi. Burm.

149. *Cum minor e pueris jussu studioque videndi, Constitit ad geminæ limina prima foris.*] *Jussu* multi ex libris scriptis et priscæ editiones. tres *visus*. duo *visu*. totidem *lusu*. unus *missus*. Gronovianus *cursu*. ut Epistola Hypsip.

——— *Cursu studioque loquendi*
Detegit ingenio vulnera facta tuo.

Hoc tamen loco scribendum videtur, *casu studione videndi*. ut subintelligatur, dubium est, incertum est. Met. xv. 500.

——— *Me Pasiphaëia quondam*
Tentato frustra, patrium temerasse cubile
(Indiciine metu magis offensane repulsæ)
Arguit. ———

Subintellige dubium est. sic locus ille scribendus. ita et utitur τῷ *an*. Plinius lib. v. Epist. iv. *Vicetini sine advocato intraverunt, dixerunt se deceptos, lapsine verbo, an quia ita sentiebant.* Heinsius. Ego præferrem *jussus, studione videndi*. incertum an jussus fuerit, an vero studio, quale esse puerorum solet, videndi sponte eo iverit. sic et Quinctil. lib. xi. i. omisso priori *an*, *loco publico privatone*, quod etiam sollicitatur. et sic iv. Met. 336. *Desinis an fugio.* vide Barth. ad Claud. i. in Ruffin. 2. et nos ad Quinctilian. instit. v. 13. Burm.

152. *Adjunctos.*] *Adductos* Regius, et tres alii. duo etiam, *auratos*. sed nihil mutandum. i. Am. ii. 26.

Adjunctas arte movebis aves. Burm.

Aureus.] Explicat Crispinus, aureis vestibus ornatus. ego de curru aurato malim capere, ut i. Art. 214.

Quatuor in niveis aureus ibis equis. Burm.

Deseror (amissis regno, patriaque, domoque)
Conjuge: qui nobis omnia solus erat.
Serpentes igitur potui, taurosque furentes;
Unum non potui perdomuisse virum?
Quæque feros pepuli doctis medicatibus ignes,
Non valeo flammas effugere ipsa meas?
Ipsi me cantus, herbæque, artesque, relinquunt?
Nil Dea, nil Hecates sacra potentis agunt?
Non mihi grata dies: noctes vigilantur amaræ:
Nec tener in misero pectore somnus adest.
Quæ me non possum, potui sopire draconem.
Utilior cuivis, quam mihi, cura mea est.

162. *Conjuge.*] Male hoc cum *amissis* conjungunt. *deseror conjuge.* ut Epist. v. 75. *Desertaque conjuge ploret.* vid. Schef. ad Phædr. i. 21. Burm.

164. *Unum non potui perdomuisse virum.*] Alludere videtur Ovidius ad carmen illud optimum, quod in sua Medea cecinerat:

Servare potui, perdere an possim rogas? Ciof.

168. *Nil Dea.*] Hoc est, nihil, neque ipsa Dea Hecate, neque ejus sacra agunt, sive efficiunt. Micyl.

170. *Nec tener in misero pectore somnus adest.*] *Nec teneram misero pectore somnus habet,* Puteaneus et ceteri castigatiores magno numero. quinque:

Nec tenero miseram pectore.

Quod eodem recidit. Scribe:

Nec tener ah miseræ pectora somnus habet.

Tener somnus, ut Arte Amatoria lib. ii. 546.

Cum tener ad partes tu quoque somne venis.

Stat. i. Theb. 389.

Invitat teneros ad dura cubilia somnos.

Sic citat Gronovius in notis ad Silv. i. v. 41. sed in textu est *tenues. Somnus habet pectora,* ut lib. viii. Met. 83.

Prima quies aderat, qua curis fessa diurnis
Pectora somnus habet.

Statius:

—— *Nam Tydea largus habebat*
Perfusum magna virtutis imagine somnus.

Virgil. lib. iii. 147. *Animalia somnus habebat.* et lib. viii. 27.

Alituum pecudumque genus sopor altus habebat.

Ceterum hoc loco, de quo nunc agimus, vetus editio et duo scripti:

Nec tacitam misero pectore somnus habet.

Tres, *tacito miseram.* Heins.

Omnes hæ lectiones elegantiam suam habent, sed reddunt lectores incertissimos, quare nos sequimur vulgatam, quæ etiam est Ovidiana. sæpe enim *adesse* cum *in* Noster solet ponere. vid. i. Fast. 6. Burm.

171. *Quæ me non possum, potui.*] Duo libri, *Quæ me non potui, potui,* sic sequenti Epistola:

Ut te non poteram, poteram tua vela videre. Heins.

Quos ego servavi, pellex amplectitur, artus:
  Et nostri fructus illa laboris habet.
Forsitan et, stultæ dum te jactare maritæ
  Quæris, et injustis auribus apta loqui,
In faciem, moresque meos, nova crimina fingas.
  Rideat, et vitiis læta sit illa meis.
Rideat, et Tyrio jaceat sublimis in ostro;
  Flebit: et ardores vincet adusta meos.
Dum ferrum flammæque aderunt, succusque veneni,
  Hostis Medeæ nullus inultus erit.
Quod si forte preces præcordia ferrea tangunt;
  Nunc animis audi verba minora meis.
Tam tibi sum supplex, quam tu mihi sæpe fuisti:
  Nec moror ante tuos procubuisse pedes.

177. *Fingis.*] Bene *fingas* Puteaneus. sequentia confirmant. Heins.

179. *Jaceat.*] Variant MSS. Leidensis *niteat*, Scriverii membranæ *sedeat*. sed vulgata non sollicitanda. Senec. Agam. 877.

—— *Ostro lectus Iliaco nitet,*
Merumque in auro veteris Assaraci trahunt,
Et ipse picta veste sublimis jacet.

Stat. Sylv. iv. convivio Domitiani:

Tunc ego regnator terrarum, orbis que subacti,
Magne Parens, te spes hominum, te cura Deorum
Cerno jacens. ————

Et ii. Achill.

Fallet mensura jacentis.

Metam. ix. 237.

Quam si conviva jaceres.

Senec. Thyeste 898.

Nimis diu conviva securo jaces
Hilarique vultu. Heins.

Recte: nam inepte hic Crispinus explicat in solio sedens. agitur enim de epulis. quis etiam jacet in solio? si *sedeat* recepisset, tolerabilior fuisset explicatio. ut Epist. ix. 153. Burm.

180. *Et ardores vincet adusta meos.*] *Medea*, inquit Apollodorus lib. supra citato, *quos Iason Deos jurasset obtestata, ingratumque illius in ipsam animum postea detestata uxori*, (Creusæ, aut Glaucæ) *peplum venenis infectum misit, quem simulatque illa sibi induit cum adjutore patre* (Creonte) *valido igne correpta conflagravit.* Ciofanus. Primæ editiones et quinque scripti cum Jureti excerptis, *sentiet usta.* Vossianus *sanciet.* Eleganter. dixi Ep. vi. vers. 154. Heins.

184. *Verba minora meis.*] Hoc est verba humilia, et qualia supplices facere solent, quæque animum generosum et regalem dedeceant. Micyllus. Huc pertinent quæ Heinsius adducit supra ad vers. 110. et ita *magna dicta.* Valer. Flac. v. 600. et vii. 555. *maxima verba.* Propert. ii. xix. 71. *magna loqui.* Horat. i. Sat. iii. 12. et passim alii. Burm.

Si tibi sum vilis; communes respice natos.
Sæviet in partus dira noverca meos.
Et nimium similes tibi sunt: et imagine tangor:
Et, quoties video, lumina nostra madent.
Per superos oro, per avitæ lumina flammæ,
Per meritum, et natos, pignora nostra, duos:
Redde torum; pro quo tot res insana reliqui.
Adde fidem dictis; auxiliumque refer.
Non ego te imploro contra taurosque virosque;
Utque tua serpens victa quiscat ope.
Te peto, quem merui, quem nobis ipse dedisti;
Cum quo sum pariter facta parente parens.
Dos ubi sit, quæris: campo numeravimus illo,
Qui tibi, laturo vellus, arandus erat.
Aureus ille aries, villo spectabilis aureo,
Dos mea: Quam, dicam si tibi, redde; neges.
Dos mea, tu sospes: dos est mea, Graja juventus
I nunc, Sisyphias, improbe, confer opes.

189. *Et nimium.*] Francius volebat:

Ut nimium similes tibi sunt, ut imagine tangor.

In imagine tangor Lovaniens. sed illud *et* eleganter repetitur. supr. vers. 355.

Et formosus eras, et me meu fata trahebant.

191. *Lumina.*] Modo præcessit *lumina.* quare forte a Nasone scriptum fuerit, quod in Venetis, Aldina priore et Bersmanni editionibus, et in uno Regio est, *numina.* ut supr. vers. 78. *Per genus et numen cuncta videntis avi.* Valer. Flacc. v. 245. *Patriumque precatur numen.* Burm.

192. *Et natos pignora redde duos.*] Jam admonui in libris Tristium ita legendum. Ciofanus. *Pignora cara duo* scripti. Sed Ausonius videtur imitatus in Parentalibus:

Liquisti natos, pignora nostra, duos.

In aliis *tuos,* quod τῷ *nostra pignora* videtur opponi: et profecto Seneca in Medea 478. *Tuorum* agnoscere videtur:

Per spes tuorum liberûm et certum larem.

Nisi *duorum* illic legendum. Heins.

194. *Fidem dictis.*] *Pactis* malebat olim Heinsius: Sed perperam. Ter. Adel. v. 3. *Dictum inter nos fuit.* et ita Noster sæpe. vid. iv. Metam. 95. male etiam Regius, *exiliumque refer.* Senec. Med. 482. *Redde supplici felix vicem.* Burm.

203. *Dos mea tu sospes.*] Caussa ab effectu non separatur. Ciofanus. Senec. Med. 489. *Hac dote nupsi; redde fugienti sua.* *Dos mihi* hic Hafniensis, et superiori versu Balliolensis.

204. *I nunc, Sisyphias, &c.*] Enu-

Quod vivis; quod habes nuptam socerumque potentem;
Hoc ipsum, ingratus quod potes esse, meum est.
Quos equidem actutum! sed quid prædicere pœ-
Attinet? ingentes parturit ira minas. [nam
Quo feret ira, sequar. facti fortasse pigebit.
Et piget infido consuluisse viro.
Viderit ista Deus, qui nunc mea pectora versat:
Nescio quid certe mens mea majus agit.

EPISTOLA XIII.

LAODAMIA PROTESILAO.

Mittit, et optat amans, quo mittitur, ire, salutem,
Æmonis Æmonio Laodamia viro.

meratis quæ Jasoni præstiterat officiis, quæ *dotem* suam haud immerito jactat, hortatur ironice, ut quas opes Creon, Sisyphi filius, natæ in dotem confert, cum Medeæ *opibus* comparet. Amar.

208. *Parturit.*] Eleganter: ita apud Senec. Med. 25. *Parta jam, parta ultio est. Peperi*; ubi Glossa codicis Trajectensis, *Peperi scilicet ultionem, quod per filios, quos peperi, me vindicavi.* Burm.

209. *Quo feret ira sequar.*] Ex Euripide:

Καὶ μανθάνω μὲν οἷα δρᾷν μέλλω κακά·
Θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων. Amar.

211. *Viderit ista Deus.*] De usu illo τοῦ *viderit*. vid. ad ii. ex Pont. ii. 11. et ad Petron. lxi. et lxxxvii.

212. *Agit.*] *Alit* rescribebat Francius, ut respiciat τὸ *parturit*. sic Terent. Andr. i. 5. *Aliquid monstri alunt.* sed nihil opus. Senec. Med. 46.

Tremenda cœlo pariter ac terris mala
Mens intus agitat.

Paullo alio sensu Val. Flac. iii. 392.

Hos variis mens ipsa modis agit. Burm.

1. *Mittit et optat amans.*] Ordo verborum est, Amans Æmonis Laodamia mittit salutem viro Æmonio, et optat eo ire, quo mittitur salus, hoc est Epistola. versus sunt satis intricatæ constructionis: et quæ, nisi recepti ab omnibus forent, similes superioribus quibusdam censeri poterant, quoniam inter subdititios referuntur. Micyllus.

2. *Æmonis Æmonio,* &c.] Quod est, Thessala, Thessalo; ut in Epist. Hermiones Orestæ, 122:

——*Tantalidæ Tantalis uxor ero.*

Æmonia autem dicebatur Thessalia, ab Æmonia, una e Deucalionis filiabus, quæ nomen suum parti cuidam regionis hujus indiderat.

Aulide te fama est vento retinente morari.
Ah! me cum fugeres, hic ubi ventus erat?
Tum freta debuerant vestris obsistere remis.
Illud erat sævis utile tempus aquis.
Oscula plura viro, mandataque plura dedissem:
Et sunt quæ volui dicere plura tibi.
Raptus es hinc præceps: et, qui tua vela vocaret,
Quem cuperent nautæ, non ego, ventus erat.
Ventus erat nautis aptus, non aptus amanti.
Solvor ab amplexu, Protesilaë, tuo;
Linguaque mandantis verba imperfecta relinquit;
Vix illud potuit dicere triste Vale.
Incubuit Boreas, arreptaque vela tetendit;
Jamque meus longe Protesilaus erat.
Dum potui spectare virum, spectare juvabat:
Sumque tuos oculos usque secuta meis.
Ut te non poteram, poteram tua vela videre:
Vela diu vultus detinuere meos.
At postquam nec te, nec vela fugacia vidi;
Et quod spectarem, nil, nisi pontus, erat;
Lux quoque tecum abiit; tenebris exanguis obortis
Succiduo dicor procubuisse genu.

3. *Aulide te fama est*, &c.] Aulis, Bœotiæ portus et oppidum, ubi, propter cervam Dianæ sacram ab imprudente Agamemnone interfectam, Græci in Trojam navigaturi, vento morante, detenti sunt, donec ad placandum Deæ numen, filiam Iphigeniam regum rex immolaverit. Vid. Eurip. drama, quod *Iphig. in Aulid.* inscribitur. Lucret. i. 84. et sqq. Virg. Æn. ii. 116; et Nostrum, Met. xii. 27, et sqq. Amar.

15. *Incubuit Boreas.*] Pro quolibet vento propitio euntibus e Græcia in Phrygiam. Alioqui *Boreas* contrarius est. Ciofanus. Male: non enim *in Phrygiam* statim Protesilaus, sed e portu quodam Thessaliæ, in Bœotiæ portum Aulidem, ubi conventus indictus erat Græcorum classi, navigabat. Boreas igitur omnino *secundus* erat ventus. Lennep.

23. *Lux quoque tecum abiit tenebrisque exanguis obortis Succiduo dicor procubuisse genu.*] Se propter viri in bellum Trojanum abitionem animo defecisse ait. Plautus in Curculione ii. iii. 30. *Tenebræ oboriuntur, genua media succidunt.* Ciof.

Vix socer Iphiclus, vix me grandævus Acastus,
  Vix mater gelida mœsta refecit aqua.
Officium fecere pium ; sed inutile nobis.
  Indignor miseræ non licuisse mori.
Ut rediit animus, pariter rediere dolores ;
  Pectora legitimus casta momordit amor.
Nec mihi pectendos cura est præbere capillos :
  Nec libet auratâ corpora veste tegi.
Ut quas pampinea tetigisse Bicorniger hasta
  Creditur ; huc illuc, quo furor egit, eo.
Conveniunt matres Phylleïdes, et mihi clamant,
  Indue regales, Laodamia, sinus.
Scilicet ipsa geram saturatas murice vestes :
  Bella sub Iliacis mœnibus ille gerat ?
Ipsa comas pectar : galea caput ille prematur ?
  Ipsa novas vestes : dura vir arma ferat ?

25. *Vix me grandævus Acastus.*] Dubitat Burmann. in Catalogo Argonaut. quem Valerii Flacci editioni præmisit, utrum hic idem sit Acastus cum Acasto Peliæ filio et Jasonis socio ; an sit ab eo diversus reputandus. Vix enim jam Vopisco visus ille vitæ tempus ad Trojana usque tempora perducere potuisse ; sed patet ex Euripidis loco in Troad. Acastum Peliæ filium ultra etiam Trojani belli tempora vixisse. Adde quod et hic patria Thessalus ; et Thessalus quoque Laodamiæ pater. *Vix socer Iphiclus.* Iphicli plures : hic Phylaci filius, Dejonis ex Clymene nepos : interfuit Argonautis, pedum velocitate clarus. Apoll. i. 45. AMAR.

35. *Matres Phylaceides.*] *Phylaides* Puteaneus. Lege *Phylleides.* *Phyllus* enim Thessaliæ urbs non minus, quam *Phylace.* Stephanus Byzantius : Φυλλοῦς πόλις εν Θετταλίᾳ Στράβων ἐν-νάτῳ, Ῥιανὸς δὲ φύλλον θηλυκῶς λέγει ἐν ἐννάτῳ Θεσσαλικῶν·

Οἱδ' ἅφαρ ὁπλισθέντες, ἴσαν κραναὴν ποτι φύλλον·
Οἰκοῦντες, φυλλεῖς. HEINS.

Phylleides cupidius ab Heinsio, admiratione vocabuli, huc intrusum, quam verius, censet Hemsterhusius, ad Lucianum Dialog. Mort. xxiii. Causam autem Heinsius rejectæ ab se vulgatæ hanc attulit, quod primam in derivatis a Φυλάκη Ovidius alibi plerumque producat, geminato *l.* Sed non fugiebat virum in Ovidio versatissimum, locus, Trist. v. El. xiv. 39 : *Ut vivat fama conjux* PHYLACEIA. Nimirum a Φυλάκη, quam urbem Phylacus condiderat, gentile est Φυλακεῖος, Ionice Φυλακήïος, unde femininum, *Phylaceïa ;* et alterum gentile Φυλακεὺς, unde femin. Φυλακήϊς, quo usi Apollon. i. 47 ; et Statius, Silv. v. Carm. iii. 272. L. AMAR.

39. *Ipsa comas pectam, galea caput ille premetur? Ipsa novas vestes, dura*

Qua possum, squalore tuos imitata labores
  Dicar: et hæc belli tempora tristis agam.
Dux Pari Priamide, damno formose tuorum,
  Tam sis hostis iners, quam malus hospes eras.
Aut te Tænariæ faciem culpasse maritæ,
  Aut illi vellem displicuisse tuam.
Tu, qui pro rapta nimium, Menelaë, laboras,
  Hei mihi, quam multis flebilis ultor eris!
Dî, precor, a nobis omen removete sinistrum:
  Et sua det reduci vir meus arma Jovi.

vir arma feret?] Antitheta quam pulcherrima ad summum dolorem excitandum. Ciofanus. Alter membranaceus Moreti codex *pectar.* eleganti Græcismo. superiora confirmant:

Nec mihi pectendos cura est præbere capillos.

Hoc enim ancillarum officium, quæ *ornatrices* hinc dictæ.

43. *Dux Pari.*] Male legitur hic textus, *Dux Pari:* neque enim convenit, ut irata et turbata *ducem* appellet Paridem. Et ex verbis Homeri lib. iii. Iliad. 39. apparet legendum esse *Dyspari.* Dicit enim: Δύσπαρι εἶδος ἄριστε, &c. id est, *ó male et infelix Pari, formam optime.* Alludens igitur Poëta Ovidius ad illa verba Homeri, facit iratam Laodamiam loqui de Paride contumeliose, sic: *O Dyspari:* id est, ô male et infelix Pari, nam δὺς apud Græcos in compositione *malum* aliquod significat, vel difficultatem, vel impossibilitatem. ut exempli gratia: Τύχη significat fortunam, δυστυχία vero infortunium. Hubertin. Ego tam docte et moleste Ovidium vix scripsisse puto. et cum *Duces* passim a Poëtis dici Heroas et reges sciam, retineo vulgatam. ita Valer. Flac. i. 101. *Turbam ducum* vocat Argonautas, et ipse Ovidius Augustum et Tiberium hoc titulo insignire non dubitat. vid. iii. Art. 119. et 191. Burm.

Tuorum.] In Gronoviano erat pro varia lectione *virorum.* ut ad suum quoque virum, in quem Paridis noxa redundaverit, respiciat, et qui non solum Trojanis damna, sed et Græcis intulerit. Burm.

48. *Hei mihi! quam multis flebilis ultor eris!*] Sic Ulixis desiderio confectus Eumæus, apud Hom. Odyss. Ξ. 68. in Helenam, quæ toti Græciæ adeo *flebilis*, invehitur:

Ὡς ὤφελλ' Ἑλένης ἀπὸ φῦλον ὀλέσθαι
Πρόχνυ, ἐπεὶ πολλῶν ἀνδρῶν ὑπὸ γοῦνατ' ἔλυσεν. Amar.

50. *Et sua vir reduci det meus arma Jovi.*] Homerus lib. vii. Iliados, ver. 82. de Hectore, qui Ajacem interficere cupiebat:

Τεύχεα συλήσας, οἴσω ποτὶ Ἴλιον ἱρὴν,
Καὶ κρεμόω ποτὶ νηὸν Ἀπόλλωνος ἑκάτοιο.

Arma adimens feram ea ad Ilium sacrum, et suspendam ad templum Apollinis longe jaculantis. et infra in hac ipsa Epist.

——*Referas ista face arma Jovi.*

Vide et Horatium Epist. i. lib. i. Solebant milites, confecto bello, quæ gesserant arma ad Deos suspendere. Ovid. lib. iv. Trist. Eleg. xii.

Sed timeo: quotiesque subit miserabile bellum,
More nivis, lacrimæ, sole madentis, eunt.
Ilion et Tenedos, Simoïsque, et Xantus, et Ide,
Nomina sunt ipso pene timenda sono.
Nec rapere ausurus, nisi se defendere posset,
Hospes erat: vires noverat ille suas.
Venerat (ut fama est) multo spectabilis auro,
Quique suo Phrygias corpore ferret opes.
Classe virisque potens, per quæ fera bella geruntur:
Et sequitur regni pars quotaquæque sui?
His ego te victam, consors Ledæa gemellis,
Suspicor: hæc Danais posse nocere puto.
Hectora nescio quem timeo. Paris Hectora dixit
Ferrea sanguineâ bella movere manu.
Hectora, quisquis is est, si sum tibi cara, caveto.
Signatum memori pectore nomen habe.
Hunc ubi vitâris, alios vitare memento:
Et multos illic Hectoras esse puta.

Miles ubi emeritus non est satis utilis annis
Ponit ad antiquos quæ tulit arma lares. Ciof.

Ut sua det, Douzæ excerpta. *Redux* autem Jupiter dicitur pro reducente, ut *fortuna redux*; nec hæc per hypallagen explicari debent. ita Sabinus. Epist. i. 78. huc alludit. Burm.

59. *Per quæ.*] Malim *per quos.* ut milites intelligantur. sed vide Vossii opus Grammaticum, libro de Constructione, cap. iv. Heins.

60. *Et sequitur regni pars quota quemque sui.*] *Quem sequitur* etiam Francius conjiciebat. *quotaquæque* vero recte. et legendum per interrogationem. ita Quinctil. Decl. cccxxxv. *Dum membra sufficiunt, dum in officio vires sunt. Quotamquamque partem habeo viventis?* Burm.

61. *Consors Ledæa gemellis.*] *Ledæi* censeo castigandum. ut et initio Epistolæ Paridis. Græcis enim patronymicis impense delectatur Noster. Sic lib. i. Met. 504.

Nympha precor Penei mane.

Pro quo *Penea* in vulgatis libris legebatur. et similia passim. ita *Sesti puella.* Epist. xviii. ut ibi scribo. Heins.

Consors.] Id est Soror, et sanguine conjuncta. *Gemellis.*] Id est, Castori et Polluci, qui gemini fuerunt, eodem nati ovo.

68. *Hectoras.*] Eodem modo Cicero dixit *Thucydidas.* Ciofanus. Suetonius Cæsar. cap. i. *Cæsari multos Marios inesse.*

Et facito dicas, quoties pugnare parabis,
  Parcere me jussit Laodamia sibi.
Si cadere Argolico fas est sub milite Trojam,
  Te quoque non ullum vulnus habente, cadat.
Pugnet, et adversos tendat Menelaus in hostes:
  Ut rapiat Paridi, quam Paris ante sibi.
Irruat; et caussa quem vincit, vincat et armis.
  Hostibus e mediis nupta petenda viro est.
Caussa tua est dispar. tu tantum vivere pugna,
  Inque pios dominæ posse redire sinus.
Parcite, Dardanidæ, de tot (precor) hostibus uni:
  Ne meus ex illo corpore sanguis eat.
Non est, quem deceat nudo concurrere ferro,
  Sævaque in oppositos pectora ferre viros.
Fortius ille potest multo, quum pugnat amore.
  Bella gerant alii; Protesilaus amet.
Nunc fateor; volui revocare; animusque ferebat;
  Substitit auspicii lingua timore mali.

69. *Et facito dicas.*] Gronovianus, *facito dicas,* pro *facito ut dicas.* venuste. Heinsius. Si hæc prædicaret publice Protesilaus, ut ignavus et segnis ab aliis jure argueretur. forte scripserit, et *tacito,* vel *tacite, dicas.* ita *secum loqui,* et similia obvia. si *tacito* pro *tacite* veteres dixissent, illud præferrem. ita, *tacitoque in pectore dixi,* mox ver. 89. et i. Amor. 23. *Tacita mente queri.* proferunt quidem Lexicographi ex Cicer. pro Quinct. 15. *Huic ne perire quidem tacito obscureque conceditur.* sed alii ediderunt *tacite.* et ii. Verr. 73. *Vos jam me tacito intelligetis.* sed ibi est ablativus a *tacitus.* Burm.

Pugnare parabis.] *Bellare* Scriverianus. frequens ea vox Livio et Statio, et etiam Ciceroni. sic et *rebellare* Martial. ix. Ep. ii. Heins.

74. *Ut rapiat.*] Hic versus cum sequenti absunt a Puteaneo et Lovaniensi. sunt tamen Ovidiani, si quid video, offendit fortasse delicatas aures *τὸ sibi* pro *illi* positum. Atqui sic solent optimæ Latinitatis Auctores. Martial. lib. v. Epigr. 88.

Profecit poto Mithridates sæpe veneno,
  Toxica ne possent sæva nocere sibi.
Heins.

76. *Hostibus,* &c.] Post hunc versum in Oxoniensi hæc legebantur:

Hostis et invadat thalamos Helenamque reducat,
Ictibus adversis poscat sua munera fortis.

In alio Moreti:

Ictibus adversis poscat sua munera fortis,
Hostibus e mediis nupta petenda viro est.

Cum foribus velles ad Trojam exire paternis,
  Pes tuus offenso limine signa dedit.
Ut vidi, ut gemui; tacitoque in pectore dixi:
  Signa reversuri sint, precor, ista viri.
Hæc tibi nunc refero, ne sis animosus in armis:
  Fac meus in ventos hic timor omnis eat.
Sors quoque nescio quem fato designat iniquo,
  Qui primus Danaûm Troada tangat humum.
Infelix, quæ prima virum lugebit ademtum!
  Dî faciant, ne tu strenuus esse velis!
Inter mille rates tua sit millesima puppis,
  Jamque fatigatas ultima verset aquas.

90. *Reversuri.*] Palatinus unus *recursuri.* quod probavit Gebhardus ad Tibul. i. iii. 20. et non immerito. de navigatione enim hoc verbum proprie et eleganter dicitur. et *reversuri* a glossatoris manu profectum est. Ep. vi. 19.

Abstrahor Hypsipyle sed (dent modo fata recursus)
Vir tuus hinc abeo, vir tibi semper ero. Burm.

93. *Sors quoque nescio quem fato designat iniquo, Qui primus Danaûm Troada tanget humum.*] Ausonius ex Græco:

Fatale adscriptum nomen mihi Protesilao:
Nam primus Danaûm bello obii Phrygio.
Audaci ingressus Sigeïa littora saltu,
Captus Pellæi Lertiadæ insidiis.
Qui ne Trojanæ premeret pede littora terræ,
Ipse super proprium desiliit clypeum.
Quid queror? hoc letum jam tum mea fata canebant,
Tale mihi nomen cum pater imposuit.

Et:

Protesilaë tibi nomen sic fata dederunt,
Victima quod Trojæ prima futurus eras.

Jampridem hæc notaveram, et edideram in meis in Metamorphos. observationibus, quæ hîc repetenda duxi. Huc etiam pertinet, quod scribit Hyginus in fabulis: cujus hæc sunt cap. ciii. *Achivis fuit responsum, eum, qui primus littora Trojanorum attigisset, periturum. Cum Achivi classes applicuissent, ceteris cunctantibus, Iolaus, Iphicli et Diomedeæ filius, primus e nave prosiluit, qui ab Hectore confestim est interfectus, quem cuncti appellarunt Protesilaum, quoniam primus ex omnibus perierat. Quod uxor Laodamia Acasti filia cum audisset eum periisse, petiit a Diis, ut sibi cum eo tres horas colloqui liceret: quo impetrato a Mercurio reductus tres horas cum eo collocuta est: quod, iterum cum obiisset Protesilaus, dolorem pati non potuit Laodomia.* Cior.

Hoc quoque præmoneo: de nave novissimus exi.
  Non est, quo properes, terra paterna tibi.
Cum venies, remoque move veloque carinam;
  Inque tuo celerem litore siste gradum.
Sive latet Phœbus, seu terris altior exstat;
  Tu mihi luce dolor, tu mihi nocte, venis.
Nocte tamen, quam luce, magis. nox grata puellis:
  Quarum suppositus colla lacertus habet.
Aucupor in lecto mendaces cælibe somnos.
  Dum careo veris, gaudia falsa juvant.
Sed tua cur nobis pallens occurrit imago?
  Cur venit a verbis multa querela tuis?
Excutior somno; simulacraque noctis adoro,
  Nulla caret fumo Thessalis ara meo.
Tura damus, lacrimamque super; qua sparsa relucet,
  Ut solet adfuso surgere flamma mero.
Quando ego, te reducem cupidis amplexa lacertis,
  Languida lætitiâ solvar ab ipsa meâ?

113. *Tura damus lachrymasque super: quæ sparsa relucent.*] Videtur esse ἀσύντακτον. quamvis ferri possit, ut ad tus cum lachrymis referatur. Scaliger e suo codice annotarat: *Tura damus, lachrymamque super, qui ora relucet.* E quo fortasse veram lectionem feceris:

Tura damus, lachrymasque super: queis ara relucet,
Ut solet affuso surgere flamma mero. DAN. HEINSIUS.

Lacrymamque iidem. sic δάκρυ pro δάκρυα sæpe apud Poëtas Græcos. Deinde *quæ sparsa relucet* veteres omnes, præter Puteaneum, in quo *quæsa relucet*, et emendatum, *quis ara*. Lego, *qua sparsa relucet*, flamma nimirum, quod sequitur. *qua* subintellige lacryma. apud Lucanum lib. ii. 30. et *lachrymis sparsere Deos.* Stat. Lacrymis Etrusci:

Spargi lacrymis frigus amat.

Horat. lib. ii. Od. vi.

Debita sparges lacryma favillam
——Vatis amici. HEINS.

116. *Languida lætitia solvar ab ipsa mea.* Male *tristitia* quidam: quamquam apud Virg. Æn. l. ii. 26:

Ergo omnis longo solvit *se Teucria* luctu.

Et apud Tibull. lib. i. Eleg. viii. 39:

Bacchus et agricolæ, magno confecta labore
Pectora tristitiæ dissoluenda *dedit.*

Ubi tamen *lætitiæ* legi omnino malim, neque aliter Muretus, et vetus exemplar Angeli Colotii apud Achillem Statium. Sic *mero solvi*, et *solvi gaudio:* contra, *adstricta dolore pectora*

Quando erit, ut lecto mecum bene junctus in uno
Militiæ referas splendida facta tuæ?
Quæ mihi dum referes, quamvis audire juvabit,
Multa tamen capies oscula, multa dabis.
Semper in his apte narrantia verba resistunt.
Promtior est dulci lingua retenta mora.
Sed cum Troja subit, subeunt ventique fretumque;
Spes bona sollicito victa timore cadit.
Hoc quoque, quod venti prohibent exire carinas,
Me movet: invitis ire paratis aquis.
Quis velit in patriam vento prohibente reverti?
A patria pelago vela vetante datis.
Ipse suam non præbet iter Neptunus ad urbem.
Quo ruitis? vestras quisque redite domos.
Quo ruitis, Danaï? ventos audite vetantes.
Non subiti casus, numinis ista mora est.
Quid petitur tanto, nisi turpis adultera, bello?
Dum licet, Inachiæ vertite vela rates.
Sed quid ego revoco hæc? omen revocantis abesto,
Blandaque compositas aura secundet aquas.

apud Nostrum, Artis Amatoriæ, lib. i. 361. HEINSIUS. Recte dicitur aliquis, ut *languore*, sic *lætitia* solvi. Conf. Burmann. ad Petronium, c. 131; ubi magis est audiendus, quam in adnotatis ad hunc locum. LENNEP.

120. *Multa tamen rapies oscula, multa dabis.*] Libri septem veteres, *capies.* optime, hoc est, accipies, quod respondet τῷ *dabis*, Epistola Sapphus:

Oscula cognosco, quæ tu committere linguæ,
Aptaque consueras accipere, apta dare.

Oscula non rapiuntur, nisi ab invitis. Art. Am. i. 667.

Tantum ne noceant teneris male rapta labellis,
Neve queri possit dura fuisse cave.
HEINS.

133. *Tanto bello.*] Ideoque Eurip. Cyclops illud vocat

Αἴσχρὸν στράτευμα.....v. 282.

Et vers. 279.

Ἡ τῆς κακίστης οἱ μετῆλθεθ' ἁρπαγὰς
Ἑλένης.———

Turpis adultera.] Famosa Helena: *Turpis* enim hoc loco ad mores, non ad faciem refertur, ut alibi quoque dixi. CIOFANUS. Recte Ciofanus. ad faciem retulimus, Epist. iv. 34.

134. *Vertite.*] *Flectite,* ut superius locutus est. CIOFANUS. Vid. ad Ep. x. 149.

135. *Sed quid ego revoco hæc.*] Hanc

Troäsin invideo. quæ si lacrimosa suorum
Funera conspicient, nec procul hostis erit;
Ipsa suis manibus forti nova nupta marito
Imponet galeam, barbaraque arma dabit.
Arma dabit: dumque arma dabit, simul oscula sumet,
(Hoc genus officii dulce duobus erit.)
Producetque virum; dabit et mandata reverti:
Et dicet: Referas ista, face, arma Jovi.

lectionem mutat Hubertinus, legitque, *sed quid ago revocans.* nulla alia ratione, quam quod dicat pronomen *ego* posteriorem corripere. sed ego priorem lectionem ut puriorem retineo, et si quid in syllaba moræ sit, id cæsura defendi posse censeo. Micyllus. *Sed quid ego revoco hæc? omen revocantis abesto,* vulgo editur, sed nusquam producit ultimam in *ego* Noster; ex elegia in Drusum v. 193. hæc producuntur, *quid ego jam credulus inquit.* sed aliter ibi scripti: putavit id sibi licere Ausonius non uno loco, atque illum secuti. de quibus Voss. Art. Gram. lib. ii. c. 27. sed et hic in alia omnia discedunt veteres libri, quorum nonnulli:

Sed quid ego revoco? lævum procul omen abesto.

Vel *revoco hæc.* et *sævum omen,* vel *hæc revoco.* alii:

Sed quid ago revocans? revocantis nomen abesto.

Vel, *omen.* vel, *omen revocantis.* alii aliter. Puto scribendum:

Sed quid ego hos revoco? revocaminis omen abesto.

Viderint acutiores, si se felicius ex hoc loco expediant. Heins.

137. *Troadas invideo.*] Σολοικίζει hæc vulgata lectio: nam nihil ad rem facit, quod ex Tacito adduxit Ciofanus lib. i. *Ne hostes quidem sepulturam invident,* ubi *hostibus* subintelligendum. Acciano aut Pacuviano ævo valuisset hac locutio, *Troadas invideo*: ex Accii enim Menalippe citat hunc versum Cicero libri iii. Tusc. Quæst. 9. *Quisnam florem liberûm invidit meûm.* sed addit: *Male Latine videtur, sed præclare Accius: ut enim videre, sic invidere florem rectius, quam flori; nos consuetudine prohibemur. Poeta jus suum tenuit, et dixit audacius.* frustra ergo Grammatici recentiores tuentur hanc scripturam. nunc videamus codices manuscriptos. *Troas invideo* Puteaneus. Unde Salmasius, τῷ *in* geminato, feliciter, teste Gronovio in Observationibus lib. iii. c. 3. reponebat, *Troasin invideo.* tertio casu Græco plurali. sic et in Tristibus idem lib. v. El. v.

Edidit hæc mores illis heroïsin æquos.

Emendabat etiam vere. nam perperam vulgo *heroibus* legitur. sic et Epistola Ariadnes. c. 37. ex vestigiis veterrimi codicis forte reponendum:

Quis scit an et sævis tigrisin illa vacet? Heins.

143. *Producetque.*] *Educetque* est in editione prima. sed perperam. neque etiam recte Ant. Volscus, et ut solet, pessimas fere interpretationes sequens. Crispinus explicat, *longa mora detinebit; retardabit.* quod quin *producere* aliquando notet, nullum est dubium; sed tunc fraudis fere significationem habet: hic, est, honoris caussa comitabitur, et prosequetur extra domum; ut recte Hubertinus. Valer. Flac. v. 382:

Ille, ferens dominæ mandata recentia secum,
Pugnabit caute, respicietque domum.
Exuet hæc reduci clypeum, galeamque resolvet,
Excipietque suo pectora lassa sinu.
Nos sumus incertæ: nos anxius omnia cogit,
Quæ possunt fieri, facta putare timor.
Dum tamen arma geres diverso miles in orbe,
Quæ referat vultus est mihi cera tuos.
Illi blanditias, illi tibi debita verba
Dicimus: amplexus accipit illa meos.
Crede mihi; plus est, quam quod videatur, imago.
Adde sonum ceræ; Protesilaus erit.
Hanc specto, teneoque sinu, pro conjuge vero:
Et tamquam possit verba referre, queror.

Ad sua Caucaseæ producunt flumina Nymphæ.

Et vi. 528.

——qualis roseis it Lucifer alis,
Quem Venus illustri gaudet producere cœlo.

Ter. Adel. iii. iv. 39. *Oh! quem egomet produxi.* vid. Barth. ad Stat. ii. Th. 313. Burm.

147. *Clypeum galeamque.*] Multi codices et editiones quædam, *galeam clypeumque.* sed rectius *galeam* cum *τῷ resolvent* proximo loco jungunt: illa enim aperiebatur et claudebatur. Stat. viii. 163. Burm.

152. *Quæ referat vultus, est mihi cera, tuos.*] Hyginus Fab. civ. *Laodamia Acasti filia, amisso conjuge, cum tres horas consumsisset, quas a diis petierat, fletum et dolorem pati non potuit. Itaque fecit simulacrum cereum simile Protesilai conjugis, et in thalamis posuit, sub simulatione sacrorum, et eum colere cœpit.* ita scribe. perperam *simulacrum æreum* nunc illic circumfertur. Josephus Iscanus sive Devonius de bello Trojano libro v. qui sub Daretis Phrygii nomine circumfertur:

Hæmonis absentem suspirat mœsta maritum,
Et non sensuros vultus premit, oscula figens
Ceræ, difficilesque deos in vota fatigans.

Male et illic legebatur, *oscula figens cerea.* nisi mavis, *oscula fingens cerea. Fingere* pro mulcere, de quo verbo ubertim ad Acontii Epistolam dicemus, et Metamorph. iv. Fabula Thisbes. Heinsius. Ita Admetus apud Euripidem Alcest. 348.

Σοφῇ δὲ χειρὶ τεκτόνων δέμας τὸ σὸν
Εἰκάσθεν ἐν λέκτροισιν ἐκταθήσεται.
Docta vero manu artificum tuum corpus
Assimulatum in lecto collocabitur. &c. Burm.

156. *Adde sonum.*] Venuste Anacreon. Od. xxviii. et xxix. vide Flayderi Analecta. p. 337. et seqq. Heins.

Per reditus, corpusque tuum, mea numina, juro;
  Perque pares animi conjugiique faces.
Perque, quod ut videam canis albere capillis,
  Quod tecum possis ipse referre, caput;
Me tibi venturam comitem, quocumque vocaris:
  Sive, (quod heu timeo!) sive superstes eris.
Ultima mandato claudetur epistola parvo;
  Si tibi cura mei, sit tibi cura tui.

EPISTOLA XIV.

HYPERMNESTRA LYNCEO.

Mittit Hypermnestra de tot modo fratribus uni,
  Cetera nuptarum crimine turba jacet,
Clausa domo teneor, gravibusque coërcita vinclis.
  Est mihi supplicii caussa, fuisse piam.

162. *Quod tecum possit.*] Lego, *O tecum possis*, vel, *Huc.* Nam Vossianus, *Ut tecum.* dixi Epist. i. vers. 101. HEINSIUS. Tò *ipse* non vacat hic. quia virorum, qui bello ceciderunt, cadavera in patriam ab aliis solebant referri; ut notissimum: Laodamia vero vovet, ut ipse salvus referat caput. BURM.

164. *Sive (quod heu timeo.)*] Ἀποσιώπησις aptissima, ne ex mortis mentione infaustum omen fiat. vid. Victor. et Corrad. ad Cicer. viii. ad Att. 23. BURM.

1. *Mittit Hypermnestra de tot modo fratribus uni, Cetera nuptarum crimine turba jacet.*] Apollodorus lib. ii. Αὐτὴ δὲ (de Hypermnestra loquitur) Λυγκέα διέσωσε πάρθενον αὐτὴν φυλάξαντα. et mox, Δαναὸς δὲ ὕστερον Ὑπερμνήστραν Λυγκεῖ συνῴκησε. Ex quibus locis manifestum est *Lynceum*, non *Linum* vocari eum, ad quem scribit Hypermnestra. CIOFANUS. codex Strozzæ *Hypermnestre.* ut et infra vers. 53. et ita in Epigrammate inedito, inter schedas Heinsii:

DE ÆGYPTO ET DANAO.
Perfida nox Danai, dirarum cæde sororum:
Mitis Hypermnestre, perfida nox Danai.

Sed et similia nomina licet in *a* exeant, ultimam sæpe producunt apud Nostrum. ut *Leda*, *Phædra*, *Hybla*, &c. quarum multa utroque modo efferuntur. *Electra* apud Propert. ii. xi. 5. BURM.

4. *Est mihi supplicii causa fuisse piam.*] Si elegantias capio Nasonianas, scripserat ille, *fuisse piæ.* sic alibi:

———*Vobis immunibus hujus*
Esse mali dabitur.———

Quod manus extimuit jugulo demittere ferrum,
Sum rea; laudarer, si scelus ausa forem.
Esse ream præstat, quam sic placuisse parenti.
Non piget immunes cædis habere manus.
Me pater igne licet, quem non violavimus, urat;
Quæque aderant sacris, tendat in ora faces:
Aut illo jugulet, quem non bene tradidit, ense;
Ut qua non cecidit vir nece, nupta cadam:
Non tamen, ut dicant morientia, Pœnitet, ora,
Efficiet; non es, quam piget esse piam.
Pœniteat sceleris Danaum, sævasque sorores.
Hic solet eventus facta nefanda sequi.
Cor pavet admonitu temeratæ sanguine noctis;
Et subitus dextræ præpedit orsa tremor.
Quam tu cæde putes fungi potuisse mariti,
Scribere de facta non sibi cæde timet.

Et alia ejusdem notæ. de quibus paulo post plura dicentur. et ad Eleg. de Nuce. v. 107. HEINS.

5. *Demittere ferrum.*] Scripti *dimittere.* HEINSIUS. Sed mea sententia rectius est *demittere ;* ferrum enim in jugulum descendens, et vulnus inferens rectius *demitti,* quam *dimitti* dicitur. si ex manibus mitteretur, *dimitti* dicendum foret; eadem vero varietas in omnibus fere locis Poëtarum, ubi hæc locutio occurrit, deprehenditur. vid. iv. Metam. 119. BURM.

7. *Esse ream præstat.*] Ex Æschyli Promet. 864. adumbratum:

——Δυοῖν δὲ θάτερον βουλήσεται
Κλύειν ἀνάλκες μᾶλλον, ἢ μιαίφονος. BURM.

9. *Quem non violavimus.*] Ignis enim adhibebatur ad nuptias, non tantum propter faces, quæ ferebantur, ut tradit Catullus in epithal. sed etiam quia nupta jubebatur ignem et aquam tangere, teste Plutarcho in Problematis Romanis, ipso initio. CIOF.

14. *Non es, quam piget esse piam.*] Elliptice et eleganter. Si sensus ad Lynceum referatur: is es sane, cujus in gratiam non me pigeat fuisse piam. Si vero ad Hypermnestram, ipsam se alloquentem: *Non es ea, quam,* &c. Sed ambitiosius credo, quam quod dicentem deceat. AMAR.

18. *Præpedit ossa tremor.*] Si *ossa* retinendum, intelligenda certe digitorum ossa et articuli, quibus calamum tenebat; sed an recte hoc dicatur dubito; et melius puto *orsa dextræ,* id est cogitata, nunc scribenda per dextram, quæ modo inceperat chartæ committere. ut in Plauti loco, *dicta præpedire. Orsa* vox Valerio Flacco et aliis familiaris. BURM.

Sed tamen experiar. Modo facta crepuscula ter-
Ultima pars lucis, primaque noctis erat: [ris;
Ducimur Inachides magni sub tecta Tyranni;
Et socer armatas accipit æde nurus.
Undique collucent præcinctæ lampades auro.
Dantur in invitos impia tura focos.
Vulgus, Hymen, Hymenæe, vocant: fugit ille vo-
Ipsa Jovis conjux cessit ab urbe sua. [cantes.

21. *Facta crepuscula terris.*] *Crepusculum* est tempus illud, cum noctescere incipit. Errant autem, et quidem turpiter, qui existimant *crepusculum* etiam esse dubiam illam lucem, antequam diescat: cum apud priscos et probatos auctores solum illud tempus sub vesperam esse perpetuo reperiatur. *Diluculum* vero sub auroram. Ciof.

22. *Ultima pars noctis, primaque lucis erat.*] *Ultima pars noctis, primaque lucis erat* Puteaneus et sex alii. recte. In multam enim noctem protractâ cœnâ, sub exortum lucis sponsos cum novis nuptis in thalamum vult ductos. Hæc post cœnam facta hic describuntur. Heinsius. Protractum convivium ad instantem auroram, apparet ex vers. 71. sed hæc narratio a vespera inchoatas nuptias potest continere, et perducere ad auroram. vide vers. 33. et hoc, *modo facta crepuscula* volunt, quæ de vespertino crepusculo debent capi. nam deductionem in domum incipit narrare, quæ sub vesperam fiebat. ideo prætuli Ciofani lectionem. Burm.

23. *Pelasgi.*] Quis ille magnus *Pelasgus?* Danaum vel Ægyptum certe Pelasgos fuisse non legi. et Danaum non recte Pelasgum dici posse puto, licet ita Heinsius ad lib. ii. Art. 421. sed ex Ægypto venisse narratur, et cum Populi illi antea Pelasgi vocarentur, *Danaos* postea a suo nomine dictos habuisse; quare non absurda Regii et quatuor aliorum codicum lectio, qui *Tyranni* habent, ut passim Noster ita Reges vocat. sic i. Metam. 218.

Arcados hinc sedes, et inhospita tecta Tyranni
Ingredior, traherent cum sera crepuscula noctem.

Sic et lib. i. Metam. 170. in nonnullis codicibus exstat:

Hac iter est superis ad magni tecta Tyranni.

Vulgo *Tonantis.* alii capiunt de domo antiqui Regis, qui olim Argis imperaverat; vel ipsius Inachi, vel Pelasgi ejus filii. vid. Illust. Spanh. ad Callim. Hym. in Pallad. 4. quod si admittamus, nihil erit movendum. Burm.

26. *Invitos.*] *In antiquos* Barbarinus. non male. Heinsius. Imo perperam. advenerat enim modo Danaus. ideoque antiqui illi foci vix dici possunt. ita et i. Trist. iii. 44. quidam codices *antiquos focos* exhibent. hîc vero, sequentia de Junone quæ fugiebat, confirmant *invitos focos.* nisi quis iterum *antiquos focos,* Regis prisci Pelasgi capiat, vel ipsius olim Inachi. Nam Ovidius Argis hanc cædem accidisse tradit, ut mox videbimus. Burm.

27. *Vulgus Hymen Hymenæe vocat.*] *Hymenæa* hic et Epist. xii. 143. scripti fere omnes, excepto Puteaneo a manu prima. sed perperam. Ele-

Ecce mero dubii, comitum clamore frequentes,
Flore novo madidas impediente comas,
In thalamos læti, thalamos, sua busta, feruntur:
Strataque corporibus, funere digna, premunt.
Jamque, cibo vinoque graves somnoque, jace-
Securumque quies alta per Argos erat: [bant;
Circum me gemitus morientum audire videbar:
Et tamen audibam; quodque verebar, erat.
Sanguis abit; mentemque calor, corpusque, relin-
Inque novo jacui frigida facta toro. [quit:
Ut leni Zephyro fragiles vibrantur aristæ;
Frigida populeas ut quatit aura comas;

ganter autem hic fit mentio Hymenæi, quia ille cantus his nuptiis primum inventus, teste Hygino. Fab. 273. Heins.

28. *Ipsa Jovis conjux cessit ab urbe sua.*] Nam etiam Juno vocabatur ad nuptias: unde et pronuba Juno dicta est. Urbem autem Junonis vocat Argos. Ciof.

Urbe sua.] Sequitur illos auctores Naso, qui hoc Argis factum esse narrant, vid. Hygin. Fab. 168. et Scholiast. Æschyli Prom. 852. sed Libanius in narrationibus ab Allatio editis cap. xxii. dicit Danaum post hoc perpetratum facinus fugisse, et in Peloponnesum advectum, potitum Argivo regno. Burm.

29. *Clamore frequentes.*] Nescio an sana hæc sint, et an Latine dicatur, *frequentes clamore comitum.* Hubertinus exponit, densati et circumdati. sed exempla talis locutionis desidero. nam quod legitur vi. Metam. 165. *Comitum Niobe celeberrima turba,* hoc recte posset explicari. Vlitium hic quoque hæsisse, apparet, quia illum voluisse refingere, *comitum clamore frequenti,* notavit Heinsius. in Gronoviano erat *clamore frementes.* in uno Heinsii *comiti.* forte *comitum clamore sequente,* vel *fremente.* sed et *frequenti,* ut Vlitius volebat, admitti potest. ut repetitionem Hymenæi indicet. sic Epist. xii. 143. *Et Hymen clamant, Hymenæe frequentant.* ita Amor. i. vii. 37.

Quæque tuos currus comitatur turba, frequenter Clamet.

Ut correximus. Burm.

32. *Strataque corporibus.*] In uno Moreti, *funera.* in Basileensi, *funeribus corpore digna.* forte:

Strataque funeribus corpore dicta premunt.

Premunt corpore strata, quæ dicta et destinata erant eorum funeribus. Burm.

39. *Utque levi Zephyro graciles vibrantur aristæ.*] *Ut leni Zephyro* Puteaneus cum septem aliis. Comparationem autem mutuatus est ab Homero Iliad. β. 147.

῾Ως δ᾽ ὅτε κινήσει Ζέφυρος βαθὺ λήϊον ἐλθών,
Λάβρος ἐπαιγίζων, ἐπί τ᾽ ἠμύει ἀσταχύεσσιν.

Nisi quod λάβρον hic Zephyrum, Noster *lenem* vocat. nisi melius *tenui,* ut alibi *tenues ventos* dixit. *Agitantur*

Aut sic, aut etiam tremui magis. ipse jacebas,
Quæque tibi dederant vina, soporis erant.
Excussere metum violenti jussa parentis;
Erigor; et capio tela tremente manu.
Non ego falsa loquar. ter acutum sustulit ensem,
Ter male sublato recidit ense manus.
[Admovi jugulo; sine me tibi vera fateri;
Admovi jugulo tela paterna tuo.]
Sed timor et pietas crudelibus obstitit ausis:
Castaque mandatum dextra refugit opus.
Purpureos laniata sinus, laniata capillos,
Exiguo dixi talia verba sono:
Sævus, Hypermnestra, pater est tibi. jussa parentis
Effice. germanis sit comes iste suis.

multo mihi magis arridet. Horat. i. Od. ix. *Nec cupressi, nec veteres agitantur orni.* ii. Od. 10. *Sæpius ventis agitatur ingens Pinus.* ubi puto legendum *sævius*. *Leni* vero recte repositum. sic Virg. i. Georg. iii. 198.

—— *Tum segetes altæ campique natantes*
Lenibus horrescunt flabris. Burm.

45. *Ter acutum sustulit ensem, Ter male,* &c.] Videtur hoc observasse, hoc *ter* positum, ubi frustra aliquid tentatum est. In Epist. ad Hippolytum: *Ter tecum conata loqui, ter inutilis hæsit Lingua, ter in primo destitit ore sonus.* Virg. lib. ii. Æneid.

Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter frustra compressa manus effugit imago.

Et Homerus Iliad Σ. non longe ab initio de Hectore, qui ter tentavit Patrocli cadaver arripere raptandum: Τρὶς μέν μιν μετόπισθε πεδῶν λάβε φαίδιμος Ἕκτωρ. Ciof.

47. *Admovi jugulo,* &c.] Sic Puteaneus et quidam alii; dum antea editi:

At rursus monitis jussuque coacta parentis,
Admovi, &c.

Lincoln. locum sic exhibebat:

Admovi jugulo; sine me tibi vera fateri;
Mente sequi dira jussa paterna volens.
Tandem victa mei sæva formidine patris,
Audeo per jugulum tela movere tuum.

Quod vix tolerandum; unde putabat Cl. Heinsius totum hoc distichon esse expungendum, utpote confictum a sciolo, qui superiora cum sequentibus arbitrabatur non cohærere. At mihi quidem in recepto disticho nihil tantopere displicet, ut potius ad correctionem recurrere, quam illud admittere malim. Ipsa enim illa *tautologia, non ego falsa loquar.—Sine me tibi vera fateri,* ex Hypermnestræ persona veritatem habet. Nam et *falsa* loqui nolebat, et tamen etiam timebat, ne fatendum *vera*, animum a se mariti alienaret. Lennep.

Femina sum, et virgo; natura mitis, et annis.
  Non faciunt molles ad fera tela manus.
Quin age, dumque jacet, fortes imitare sorores.
  Credibile est cæsos omnibus esse viros.
Si manus hæc aliquam posset committere cædem,
  Morte foret dominæ sanguinolenta suæ.
Quo meruere necem, patruelia regna tenendo,
  Quæ tamen externis danda forent generis?
Finge viros meruisse mori: quid fecimus ipsæ?
  Quo mihi commisso non licet esse piæ?
Quid mihi cum ferro? quo bellica tela puellæ?
  Aptior est digitis lana colusque meis.
Hæc ego: dumque queror, lacrimæ sua verba sequuntur,
  Deque meis oculis in tua membra cadunt.

55. *Sum, et virgo.*] Quinque libri *τὸ et* non agnoscunt. venuste. Heinsius. Sed ego retinendam copulam puto, ut Epist. vii. 121. *Bellis peregrina et femina tentor.* Quinct. Decl. cccxxxviii. *Femina es, et anus.* Burm.

60. *Dominæ.*] Moreti, *domini sui.* et posset de Danao capi, qui tradiderat ensem. supr. vers. 11.

62.] *Quæ tamen externis danda forent generis.*] Præter morem Ovidianum est, ut in trisyllabum exeat pentameter. cujus exempla aliquot sunt in ultimo ejus poëmatum tomo. sed nulla, quod sciam, in hoc primo, nisi hoc, et Epist. xix. 204. quæ Ovidio a multis abjudicatur. sed corruptum esse ostendunt variæ lectiones. in Puteaneo erasus totus, qui prius legebatur, versus, et ille suppositus, qui nunc legitur. in Gronoviano est: *Quæ tamen externis regna tenenda forent.* in Moreti et duobus aliis: *Quæ tamen externis accipienda forent.* quod non displicet, et vocem *generis* a glossatore adscriptum esse puto. qui illud Virgilii in animo habebat lib. vii. 98.

Externi veniunt generi.

Francius volebat, *externis danda fuere viris.* vel, *Externis generis quæ modo danda forent.* Burm.

64. *Quo mihi commisso non licet esse piam*] *Esse piæ* Puteaneus. optime. alterum minus elegans, et quo perquam rari optimæ latinitatis scriptores usi sint. Cæsar lib. vi. Bell. Gall. 35. *Quid vos hanc miseram, ac tenuem sectamini prædam, quibus licet esse fortunatissimis.* apud Maronem tamen lib. x. constanter libri veteres, *liceat superesse nepotes*, qui et libro x.

—— Hanc genetrix faciem miserata refecit,
Et dedit esse Deus.

Sed Claud. lib. i. in Rufin. *Natura beatis Omnibus esse dedit.* Silius lib. vii.

Si lucis piget, et supremis esse cupido est.

Horatius lib. i. Sat. iv. 38.

Primum ego me illorum, dederim quibus esse poetis,
Excipiam numero. Heins.

Dum petis amplexus, sopitaque brachia jactas;
Pene manus telo saucia facta tua est.
Jamque patrem, famulosque patris, lucemque timebam.
Expulerunt somnos hæc mea dicta tuos:
Surge age, Belide, de tot modo fratribus unus:
Nox tibi, ni properas, ista perennis erit.
Territus exsurgis: fugit omnis inertia somni.
Adspicis in timida fortia tela manu.
Quærenti caussam, Dum nox sinit, effuge, dixi.
Dum nox atra sinit, tu fugis: ipsa moror.
Mane erat: et Danaus generos ex cæde jacentes
Dinumerat. Summæ criminis unus abes.
Fert male cognatæ jacturam mortis in uno;
Et queritur facti sanguinis esse parum.
Abstrahor a patriis pedibus; raptamque capillis
(Hæc meruit pietas præmia) carcer habet.
Scilicet ex illo Junonia permanet ira;
Quo bos ex homine est, ex bove facta Dea.

72. *Expulerant somnos.*] *Expulerunt* Puteaneus. probe. Vide Notas ad Epist. vii. vers. 166. Heins.

73. *Surge age, Belide,* &c.] Simile argumentum persecutus est Horatius Ode xi. lib. iii. Carminum. Ciof.

De tot modo fratribus unus.] Hoc fere hemistichium infra positurus est. Ciof.

82. *Et queritur factum sanguinis esse parum.*] *Facti* præstantiores omnes. et ita Gronov. ad Liv. xxxii. 37. *Facere sanguinem,* ut *facere cædem,* apud Livium. Cicero lib. i. Ep. xiv. ad Atticum: *Nihil a domesticis vulneris factum sit.* Seneca ex optimis membranis, Medea v. 993. *Nil adhuc facti reor,* non *factum.* Phædrus lib. iii. 46.

—— *Unde fecisti tantum corporis?*
Hoc est unde tam obesus factus es?

Heinsius. Ita Græci *πράσσειν αἷμα.* Euripid. Orest. ii. 39.

Κακῆς γυναικὸς οὕνεχ᾽ αἷμ᾽ ἐπράξαμεν. Burm.

83. *Abstrahor a patriis manibus.*] Scaliger versus triginta quatuor huic loco alienos et alio referendos censebat. sed frustra. Nihil enim iis convenientius aut aptius. Quod ut magis liqueat, adeantur Æschyli Ἱκέτιδες similis omnino argumenti, ubi et tota hæc Iûs fabula recensetur. Danaus nempe Argorum Rex Hypermnestræ pater ab Iöne et Epapho originem trahebat. Heins.

86. *Ex bove facta Dea.*] Regius *de bove.* ita. Juven. vii. 197.

Si Fortuna volet, fies de Rhetore Consul.

Vid. infr. i. Amor. x. 8. Burm.

At satis est pœnæ teneram mugisse puellam:
Nec, modo formosam, posse placere Jovi.
Adstitit in ripa liquidi nova vacca parentis,
Cornuaque in patriis non sua vidit aquis:
Conatoque queri mugitus edidit ore:
Territaque est forma, territa voce sua.
Quid furis, infelix? quid te miraris in umbra?
Quid numeras factos ad nova membra pedes?
Illa Jovis magni pellex, metuenda sorori,
Fronde levas nimiam cespitibusque famem.
Fonte bibis, spectasque tuam stupefacta figuram:
Et te ne feriant, quæ geris, arma, times.
Quæque modo, ut possis etiam Jove digna videri,
Dives eras; nudâ nuda recumbis humo.

87. *Mugisse.*] *Mugire* Gronovianus, quod non displicet, quia sequitur *posse*. Burm.

91. *Et conata queri.*] Puteaneus. *Conata eloqui.* unus Regius, *Conatoque queri*, quod verum est. sic et Met. i. 637. in hac eadem fabula est peccatum, ubi similiter ex antiquis libris scribendum:

Conatoque queri mugitus edidit ore.

Oscitantia librariorum loco corrumpendo utrique causam haud dubie dedit, qui Τὸ *que* geminare neglexerant, ut sæpe alibi. Heins.

93. *Quid fugis infelix? qaid te miraris in unda?*] *Quid furis?* libri plerique: quo verbo designat οἰστρηλασίαν Ius a Poëtis tantopere decantatam. de fuga mox agitur. *in umbra* etiam Puteaneus. cum altero Moreti. recte. Nam de unda jam dixerat. Heins.

95. *Ipsa Jovis magni pellex.*] *Illa* Puteaneus et quinque alii; venuste. sic et sequenti Epistola scribendum videtur:

Cui colar infelix, aut cui placuisse laborem?
Ille mei cultûs unicus auctor abes.

Ubi *abest* nunc legitur. Statius lib. i. Sylv.

—— *At nunc æterna silentia lethes*
Ille canorus habes.

Sic et *Ille ego*, passim. Martianus Capella lib. v. *Pleonasmus est plus necessarium* (leg. *necessario*) *cum verba quædam dicimus, non enuntiandæ rei necessaria, sed magnitudinis æmulandæ, ut si dicas: Antonius ille, cum suffecerit nomen dixisse, ad amplitudinem adjicimus Ille.* Vide Notas Trist. v. Eleg. vii. ad Claudianum quoque nonnihil jam dixi. Heins. Vide Manut. ad Cicer. v. ad Fam. 12. et nos ad Valer. Flac. viii. 16. et ad Petron. cxxvi.

96. *Fronde levas.*] Huc pertinet versus Calvi antiqui Poetæ in Iö, quem citat Servius ad Virgil. vi. Eclog. 47.

Ah virgo infelix herbis pasceris amaris.

Ex quo eodem Poëmate Servius. ad Eclog. viii. 4. citat:

Sol quoque perpetuos meminit requiescere cursus.

De fronde pro pabulo data bubus, vid. ad Phædr. ii. 8. Burm.

Per mare, per terras, cognataque flumina curris;
  Dat mare, dant amnes, dat tibi terra viam.
Quæ tibi caussa fugæ? quid Iö freta longa perer- [ras?
  Non poteris vultus effugere ipsa tuos.
Inachi, quo properas? eadem sequerisque fugisque.
  Tu tibi dux comiti: tu comes ipsa duci.
Per septem Nilus portus emissus in æquor
  Exuit insanæ pellicis ora bovi.
Ultima quid referam, quorum mihi cana senectus
  Auctor? dant anni quod querar, ecce, mei.
Bella pater patruusque gerunt: regnoque domo- [que
  Pellimur. ejectos ultimus orbis habet.

103. *Quid Iö freta longa pererras?*] An hîc, ut in Ibi, primam hujus dictionis corripuit? an vero vox est exclamantis? Egnatius. Lovan. *vel quid freta longa.* Moreti, *quæ dic, freta l. p.*

107. *Demissus in æquor.*] Emissus præstantiores. sed versum nimius spondæorum concursus languidiorem facit, idque præter Nasonis morem. opinor a Nasonis manu esse:

Ostia per septem Nilus dimissus in æquor.

Portibus non video quis hic sit locus. Met. vi.

Septem discretus in ostia Nilus.

Heins.

Nihil mutari debere, et de voce *portus* videbimus ad lib. ii. Amor. xiii. 10. *Diffusus in æquor* Gronov. pro varia lectione.

109. *Ultima quid referam.*] Imo *refero* censeo reponendum, vel contra librorum auctoritatem. Quid, inquit, calamitatem domûs nostræ ultimâ ab origine recenseo, e senibus intellectam, cum ne nunc quidem desit, quod lugeamus. Sic Auctor Elegiæ in obitum Drusi:

Prisca quid huc repeto? Marcellum Octavia flevit.

Quanquam, ne quid dissimulem, distichon hoc mihi suspectum est non uno nomine, nec Nasonem omni ex parte refert. Heinsius. nescio an malæ notæ sit distichon; certe *anni* recte pro temporibus possunt sumi, ut ii. Fast. 537.

Talibus ut nostros dictis descendit in annos.

Quid opus recurrere ad antiqua fata domus meæ, mei anni, tempus, quo vivo, dant mihi materiem querelæ. Burm.

112. *Ejectas ultimus orbis habet.*] *Ejectos* scripti ferme omnes. ut etiam de patre intelligatur. Sequenti versu iidem, *sceptroque,* non *sceptrisque.* Heinsius. Ultimum orbem Ægyptum hic intelligit ex veterum sententia Broukhusius ad Propert. ii. xiii. 40. et ita *Extremum Nilum* Claudianus i. in Eutr. 36. dicit. sed ex Ægypto profugus Danaus, et ejus filiæ Argos venere, quos ultimum orbem, id est remotissimum a patria vocat Hypermnestra; ut ita aliæ partes orbis *ultimæ* et *extremæ* dici solent, ex

Ille ferox solus solio sceptroque potitur:
Cum sene nos inopi turba vagamur inops.
De fratrum populo pars exiguissima restas;
Quique dati leto, quæque dedere, fleo.
Nam mihi quot fratres, totidem periere sorores;
Accipiat lacrimas utraque turba meas.
En ego, quod vivis, pœnæ crucianda reservor;
Quid fiet sonti, cum rea laudis agar?
Et, consanguineæ quondam centesima turbæ,
Infelix, uno fratre manente, cadam.
At tu, si qua piæ, Lynceu, tibi cura sororis,
Quæque tibi tribui munera, dignus habes;
Vel fer opem: vel dede neci: defunctaque vita
Corpora furtivis insuper adde rogis.
Et sepeli lacrimis perfusa fidelibus ossa,
Scriptaque sint titulo nostra sepulcra brevi.

affectu scribentis, qui patria pulsus in peregrinas et longe diversas defertur terras. Burm.

114. *Cum sene inopi.*] Cum Danao patre, qui, quum navem, comitantibus natis, ascendisset, Rhodum primum, Peloponnesum deinde devenit, ubi a Gelanore, qui Argis imperabat, honorifice exceptus est: sed illum mox e solio deturbasse, seque illius in locum suffecisse dicitur. Apollod. ii. 1. Amar.

115. *Pars exiguissima.*] In hanc formam dixit Cicero in Bruto, *Assiduissime.* ejus verba sunt: *Assiduissime mecum fuit Dionysius Magnes.* Ciof. Sic *exiguius* leg. xlvi. de Legat. 3.

125. *Vel fer opem, vel dede neci.*] Neutrum evenit: iratus quippe Danaus, quod una inter sorores conjugi suo Hypermnestra pepercisset, in judicium vocavit apud populum, a quo quum fuisset omni crimine liberata, ligneam statuam Veneri νικηφόρῳ dicavit, quam vidisse se Pausanias testatur, Corinthiac. c. 19. In gratiam deinde Lynceus fertur cum Danao rediisse, et Hypermnestræ suæ nupsisse, ex qua filium Abanta suscepit, qui pater Prœti et Acrisii. Apollod. ii. 1, 2. Amar.

126. *Corpora furtivis insuper adde rogis.*] Scribe, quicquid dissuadent libri veteres, *i, superadde.* Heinsius. Ego nihil ausim mutare. sic Τὸ *insuper* lib. ii. Trist. 129.

Insuper accedunt, te non adimente, paternæ
(Tamquam vita parum muneris esset) opes.

Vid. Gifan. Ind. Lucretii. *Furtivi* vero illi rogi non admodum placent. *Finitimis* erat in Leidensi. forte, *Fraternis.* ut velit se addi rogis fratrum ejus. Francius pro *adde,* vellet *abde* vel *ure.* Burm.

128. *Scriptaque sint titulo.*] *Scripta*

Exsul Hypermnestra, pretium pietatis iniquum,
Quam mortem fratri depulit, ipsa tulit.
Scribere plura libet: sed pondere lassa catenæ
Est manus; et vires subtrahit ipse timor.

EPISTOLA XV.

SAPPHO PHAONI.

Ecquid, ut inspecta est studiosæ litera dextræ,
Protinus est oculis cognita nostra tuis?
An, nisi legisses auctoris nomina Sapphûs,
Hoc breve nescires unde veniret opus?

probum est, ita Sueton. Cæs. 86. *Solidam columnam prope* xx. *pedum lapidis Numidici in foro statuit, scripsitque PARENTI PATRIÆ.* sic *imagunculam æream hoc nomine inscriptam* dixit idem Aug. 7. Utebantur autem veteres etiam hoc vocabulo de pictura, et sculptura. ut viri docti jam abunde docuerunt. Burm.

Sapphus ad Phaonem Epistola in nullis Heroidum Ovidianarum exemplaribus, nisi recentissimis, apparet, neque hoc loco, sed ut plurimum rejecta in calcem operis. Hujus Epistolæ optimo exemplari usus est Naugerius, cujus ope instructus multa feliciter castigavit. Heins.

Sappho Phaoni.] Non ingratam tibi, lector, futuram fabellam existimo, non animadversam ab utroque commentatore, quam primo adolescentiæ nostræ tyrocinio ex Græcis scriptoribus in Racemationum nostrarum capite i. vulgavimus. Tu, si vacat, inde eam petas. Egnat.

1. *Studiosæ.*] Explicant doctæ, literis eruditæ, quæ tam docte et accurate scribit. sed vellem simili exemplo hoc probari. ego simpliciter capio te amantis, tibi studentis et faventis, ut millies. ita iii. Art. Am. 421. *Studiosa placendi.* et 663. *Quæ præbet lectum studiosa locumque.* sic in alia re iii. Am. 2. *Non ego nobilium sedeo studiosus equorum.* et passim. sic et capi debent illa in Tristibus i. Eleg. 2.

Nec peto, quas quondam petii studiosus Athenas.

Id est cupidus eas videndi, non ut quidam, studiorum gratia. Burm.

4. *Unde moveret.*] Ego Latiniorem puto lectionem Sarraviani et Francofurtensis codicis, *unde veniret.* quod et Francius conjecerat, qui tamen *moveret* præferebat. Burmannus. Ad hæc vir Cl. Jacob. Frider. Eusinger. in excerptis e codd. Guelpherbytanis: "Quum priores edidissent *unde moveret opus,* Burmannus *veniret* reposuit: de quo vix dubito quin alterius scripturæ sit interpretamentum. Mihi

Forsitan et, quare mea sint alterna, requiras,
Carmina; cum lyricis sim magis apta modis.
Flendus amor meus est: elegeïa flebile carmen.
Non facit ad lacrimas barbitos ulla meas.
Uror, ut, indomitis ignem exercentibus Euris,
Fertilis accensis messibus ardet ager.
Arva Phaon celebrat diversa Typhoïdos Ætnæ;
Me calor Ætnæo non minor igne coquit.

satis placet, quod in utroque Gudiano et in Scriv. codice, etiam in vetustis impressis reperio, *unde movetur opus*. Verbum *movere* sæpe significat *parare, incipere, machinari, moliri*. Ipsa formula *opus movere* Ovidius frequenter usus est. Modi indicativi in oratione indefinita usurpati tam crebra, tam certa exempla apud optimos, non poetas solum, sed apud oratores etiam, occurrunt, ut frustra sint critici, qui constructionem illam, tamquam parum latinam, exagitant." Amar.

5. *Forsitan et quare.*] Occurrit objectioni, quam statim diluit. Ciof.

Alterna carmina.] Elegos significat. Sic lib. ii. Fast.

Dum canimus sacras alterno carmine nonas:
Maximus his Fastis accumulatur honos,

Eodem modo lib. ii. Tristium *pedes impares* dixit:

Scilicet imperii princeps statione relicta
Imparibus legeres carmina facta modis? Ciof.

8. *Non facit ad lacrimas Barbitos.*] Instrumenti quoddam genus, *πολύχορδον*, ut vocat Theocr. ad cytharam, vel ad ipsam lyram proxime accedens. *Lesboum* dicit Horat. i. Od. i. 34. propter Sappho et Alcæum, qui ex insula Lesbo. Ad vocem Βάρβιτος, Etymol. Magn. Εἶδος μουσικοῦ ὀργάνου, ψαλτήριον, ἢ κιθάρα. Εἴρηται δὲ οἱονεὶ βαρύμιτος τὶς ὢν, ὁ βαρεῖαν τὴν φωνὴν καὶ τὸν φθόγγον ἀφίεις· μίτους γὰρ τὰς νευρὰς ἔλεγον· ἐπειδὴ πρὸ τῆς χρήσεως τῆς νευρᾶς, λινοῖς στήμοσιν ἐκέχρηντο· ὅθεν καὶ οἱ Αἰολεῖς βάρμιτον αὐτὸ, διὰ τοῦ μ, φασί. Amar.

Non facit.] Apta non est. Ciof.

Barbitos.] Imitatio Euripidis, qui eodem modo inducit Admetum loquentem. Alcest. 345.

Οὐ γὰρ πότ' οὔτ' ἂν βαρβίτου θίγοιμ' ἔτι
Οὔτ' ἂν φρέν' ἐξάροιμι πρὸς Λιβὺν λακεῖν
Αὐλόν. σὺ γάρ μου τέρψιν ἐξεῖλου βίου. Burm.

11. *Arva Phaon celebrat diversa Typhoidos Ætnæ.*] Phaonem significat diu in externa regione, quæ remota esset a Lesbo, versari: eam autem Siciliam esse ait; ubi est Ætna mons perpetuo incendio notus; qua occasione ad sui amoris ardorem alludit. Subdit enim: *Me calor Ætnæo non minor igne tenet.* Ciof.

Celebrat.] Frequentat, incolit, et diu immoratur. Ab Ætna autem monte *Ætnæus* deducitur: ab Enna vero, quæ urbs est, et umbilicus Siciliæ, *Ennensis*, et *Ennæus*, in prima syllaba per *e*, et duplex *nn*, ut alibi docui. Atque hoc dicendum fuit, ne quem Domitius hic fallat, qui id nominis uno eodemque modo scribit. Ciof.

Nec mihi, dispositis quæ jungam carmina nervis,
  Proveniunt; vacuæ carmina mentis opus.
Nec me Pyrrhiades, Methymniadesve puellæ,
  Nec me Lesbiadum cetera turba juvant.
Vilis Anactorie, vilis mihi candida Cydno:
  Non oculis grata est Atthis, ut ante, meis.

14. *Proveniunt.*] Lib. et Elegia i. Trist. *Carmina proveniunt animo deducta sereno.* Ciof.

— *Vacuæ carmina mentis opus.*] Ostendit se ad pangenda carmina aptam non esse, cum ea tranquillitatem vel inprimis requirant: ipsa autem amore correpta huc atque illuc, mentis inops, agitabatur. Ciof.

15. *Nec me Pyrrhiades, &c.*] Quærit Egnat. quomodo a *Pyrrhæus*, ac *Methymnæus*, quæ sunt possessiva a *Pyrrha* ac *Methymna* deduci potuerint? Qua ratione ab ἀχαιὰς patronymica ducuntur feminini generis, primo ἀχαιὶς, deinde ἀχαϊϊάς: a πελασγὸς, πελασγὶς, πελασγιάς. Nam certe nihil obstat, quo minus a πύῤῥα, duæ formæ fuerint patronymicæ, πυῤῥαῖος, et πύῤῥιος; nec mirum si a Μήθυμνα, tam Μηθύμνιος in usu fuerit, quam Μηθυμναῖος, quum a Κάλυδνα, teste Stephano, in voce, ὁ πολίτης Καλυδναῖος καὶ Καλύδνιος; unde Καλυδνὶς, Καλυδνιάς; ut a *Methymnius, Methymnias, Methymnis.* Lennep.

17. *Vilis Amynthone.*] *Vilis Amythone, vilis mihi candida Cydno* Naugerius. at primæ editiones cum scriptis quibusdam, *Vilis Amatorie.* alii *Amintorie*, vel *Ametorie.* Lege *Anactorie* ex Maximo Tyrio. Γύριννα, καὶ Ἄτθις, καὶ Ἀνακτορία. quod Bersmannus jam monuit. in loco tamen Maximi Tyrii pro Γύριννα opinor scribendum Ἤριννα. Erinna enim et coæva Sapphus, et ab illa amata quoque. sic Suïdas in Ἤριννα. sed et Eustathius in Iliad. B. de Erinna, Ἦν δε ἑταῖρα Σαπφοῦς, καὶ ἐτελεύτησε πάρθενος. Suïdas ex puellis a Sappho adamatis tres recenset, Atthidem, Telesippam, Megaram, nulla Gyrinnæ mentione facta. Erinnæ tamen mirum a Nasone mentionem non fieri. sed multa ad Eretriam Sappho pertinentia, ad hanc Mitylenæam referuntur. Nam quod Diphilus in Comœdia a se facta Archilochum et Hipponactem, tamquam amatores Sapphûs induxit, pro lusu ingenii lascivientis est habendum, ut Athenæus jam observavit. Multo minus verisimile, amatam Sappho ab Anacreonte, qui undeviginti totis post Sappho Olympiadis claruit: cum tamen Hermesianax id traditum reliquerit. At de Alcæo Sapphus æmulo, inter scriptores convenit. sed cum Erinnam Olympiade cvi. claruisse Eusebius in Chronicis contendat, non potuit eam novisse Sappho. nisi duas fuisse Erinnas concedimus. De ejus certe patria varias opiniones Suïdas recenset, cum tamen Teniam plerique faciant, ut et Stephanus Byzantius in Τῆνος. Tatianus Lesbiam Oratione adversus Græcos. Heins.

18. *Non oculis grata est Atthis, ut ante, meis.*] In versibus, quos Hephæstio ex Sapphone citat, hujus Atthis mentio est his verbis:

Ἀτθὶς σοὶ δ' ἐμέθεν μὲν ἀπήχθετο.
Ciof.

Atthidis meminit et Terentianus Maurus de Metris pag. 91.

Æolicum ex illa genuit doctissima Sappho,
Cordi quando fuisse sibi canit Atthida parvam,

Atque aliæ centum, quas non sine crimine amavi.
Improbe, multarum quod fuit, unus habes.
Est in te facies, sunt apti lusibus anni.
O facies oculis insidiosa meis!
Sume fidem et pharetram; fies manifestus Apollo.
Accedant capiti cornua; Bacchus eris.
Et Phœbus Daphnen, et Gnosida Bacchus amavit.
Nec norat Lyricos illa, vel illa, modos.
At mihi Pegasides blandissima carmină dictant:
Jam canitur toto nomen in orbe meum.
Nec plus Alcæus, consors patriæque lyræque,
Laudis habet: quamvis grandius ille sonet.
Si mihi difficilis formam natura negavit;
Ingenio formæ damna rependo meæ.
Sum brevis; at nomen, quod terras impleat omnes,
Est mihi: mensuram nominis ipsa fero.

Florea virginitas sua cum foret.
BURM.

23. *Et Pharetram.*] *Et Pharetras, ut eris* Scriverii codex. recte vero Bersmannus esse imitationem Propert. ex lib. iv. Eleg. 2. 31. notavit.

26. *Nec norat.*] *Norant* malo. HEINS.

29. *Alcæus.*] Hic cum Sappho certavit. vid. Schol. Theocrit. Idyl. vii. 63. ut et Myrtis cum Pindaro, ut observat Salmasius lib. i. Epist. xiv. *Grandius* illam *sonare*, dicit, ut Horatius dicit: *Minaces Alcæi Camœnas.* HEINSIUS. Horat. ii. 13.

Sappho puellis de popularibus,
Et te sonantem plenius aureo,
Alcæe, plectro.

32. *Ingenio formæ damna rependo meæ.*] Καλὴν eamdem Sappho dixit Socrates, διὰ τὴν ὤραν τῶν μελῶν, καίτοι μικρὰν οὖσαν καὶ μέλαιναν. Max. Tyr. Dissert. xxiv. sect. 7. AMAR.

33. *Sum brevis*, &c.] *Nec me despicias, si sum tibi corpore parva, Mensuramque brevis nominis ipsa fero.* Hanc habent lectionem Vaticanus et Maffeianus libri. Alii viri docti legunt, ex aliis antiquis, *Sum brevis, at nomen, quod terras impleat omnes, Est mihi: mensuram nominis ipsa fero.* Qui versus sunt plane elegantiores. Atque ita se Sappho pulchram non esse fatetur, cum sit parvo corpore. Mulieres, quæ ejusmodi sunt, non pulchræ, sed venustæ dicuntur. Pulchritudo enim, ut sentit Aristoteles, consistit in magno corpore: quæ, ut ait M. Tullius lib. iv. Tuscul. Disput., est apta membrorum figura cum corporis suavitate. CIOFAN. Hoc etiam distichon Naugeriano libro debetur. Ante insulse legebatur.

Nec me despicias, si sum tibi corpore parva,
Mensuramque brevis nominis ipsa fero. HEINS.

Candida si non sum, placuit Cepheïa Perseo
  Andromede, patriæ fusca colore suæ.
Et variis albæ junguntur sæpe columbæ:
  Et niger â viridi turtur amatur ave.
Si, nisi quæ facie poterit te digna videri,
  Nulla futura tua est; nulla futura tua est.
At, me cum legeres, etiam formosa videbar:
  Unam jurabas usque decere loqui.
Cantabam; memini; (meminerunt omnia amantes)
  Oscula cantanti tu mihi rapta dabas.
Hæc quoque laudabas: omnique a parte placebam.
  Sed tum præcipue, cum fit Amoris opus.
Tunc te plus solito lascivia nostra juvabat,
  Crebraque mobilitas, aptaque verba joco;
Quique, ubi jam amborum fuerat consumpta vo-
  Plurimus in lasso corpore languor erat. [luptas,
Nunc tibi Sicelides veniunt, nova præda, puellæ.
  Quid mihi cum Lesbo? Sicelis esse volo.

36. *Andromede.*] Apud Fulv. Ursin. pag. 4. Illustr. Femin. Poëmat. Philodemi Epigramma est:

> Εἰ δ' ὀπική, καὶ φλωρά, καὶ οὐκ ᾄδουσα τὰ Σαπφοῦς,
> Καὶ Περσεὺς Ἰνδῆς ἠράσατ' Ἀνδρομέδης.

Sic et Athenæus lib. i. cap. 18. Andromeden a Sappho versibus notatam scribit. inter autem puellas a Sappho amatas etiam Maximus Tyrius *Andromeden* quandam recenset. ut et ipsa Sappho in fragmento apud Fulv. Urs. p. 10. ubi videtur æmulatione accendi, quod Atthis in Andromeden proclivior esset. Heins.

38. *A viridi.*] Psittacum intelligebat post Bersmannum Francius, ex Amor. ii. 6.

> *Tu poteras virides pennis hebetare smaragdos.*

Et Claverius ad Pers. Prolog. vid. Turneb. xviii. Advers. 16. Burm.

Turtur.] Miram prope hujus avis castitatem esse scribit Ælianus lib. x. cap. xxxiv. De Hist. Animal. Crof.

39. *Quæ facie.*] *Quæ facies.* Mazar. et Palatin.

48. *Verba joco.*] Quidam, *membra joco.* alii codices, *verba loco.* quod damnat Gronov. iii. Obs. 21. contra Salmasium. *verba jocis* Sarrav. et Lincol. *verba sono* Francof. sed nihil movendum. *jocus* est opus amoris. ii. Art. Am. 724.

> *Et dulces gemitus, aptaque verba joco.*

iv. Fast. 868.

> *Poscite blanditias, dignaque verba joco.* Burm.

51. *Sicelides.*] Regius codex *Sicilides,* et mox *Sicilis.* quod non temere

At vos erronem tellure remittite nostrum,
Nisiades matres, Nisiadesque nurus.
Neu vos decipiant blandæ mendacia linguæ.
Quæ dicit vobis, dixerat ante mihi.
Tu quoque quæ montes celebras, Erycina, Sicanos,
(Nam tua sum) vati consule, Diva, tuæ.
An gravis inceptum peragit Fortuna tenorem,
Et manet in cursu semper acerba suo?
Sex mihi natales ierant; cum lecta parentis
Ante diem lacrimas ossa bibêre meas.

repudiandum. cum ita et in novem codicibus apud Virgil. iv. Ecl. *Sicilides Musæ*, quos Heinsius vidit, exstet, et Pierius testetur in plerisque antiquis reperiri, licet repudiet. Non autem voluisse modo esse Sicilidem Sappho, sed etiam sibi exsilium indixisse, et relicta patria abiisse in Siciliam, ut Phaone suo frui posset, Archonte Aristocle, docet nos Marmor Arundelianum in Epocha. 37. a Seldeno editum. vid. Marmor Oxon. p. 164. quod nescio an quisquam præterea memoriæ prodiderit. BURM.

54. *Nisiades matres*, &c.] *Nisiades* dictæ Megarenses, et universæ Siculæ, propter conditam urbem Megara Siciliæ, ab incolis Atticæ urbis Megarorum, quæ et *Nisea* dicta antiquitus ab rege *Niso*. *Nesiades* olim, vel a *Neside* insula Campaniæ, vel a *Nesia* regione circa Ætnam. Aliquanto tamen probabilius *J. Ph. d'Orville*, ad Charitonem, p. 541. *Nesiades* apud Nostrum dictas Siculas existimavit, quod Sicilia ipsa per excellentiam vocata νῆσος et νᾶσος. LENNEP.

55. *Nec vos decipiant blandæ mendacia linguæ*.] Caussa, cur Phaon a Siculis mulieribus recipiendus non sit. CIOF.

57. *Tu quoque quæ montes*.] *Tu quoque quæ immites* legitur in utroque, quo utor, libro, Vatic. et Maff. alii ajunt repperisse se in aliis lib. scriptis, *quæ montes celebras*, &c. Dicta est *Erycina* Venus ab Eryce monte, ubi colebatur: qui, ut scribit Polybius lib. i. omnium Siciliæ montium, excepto Ætna, altissimus est: ea parte, qua Italiam spectat, inter Drepanum et Panormum: in ejus vertice satis ampla est planicies, ubi Veneris templum omnium Siciliæ templorum longe pulcherrimum, longeque opulentissimum fuit. CIOFANUS. Hæc quoque a Naugerio. Nam nostri omnes *immites Sicanos*, ut ad Palicos respiciat, qui humanis hostiis placabantur. vide Schol. Stat. Theb. xii. 156.

————*Siculosque licebit*
Exorare Deos.————

Sed præstat Naugeriana lectio, ut Eryx subintelligatur, a quo Erycina hæc dea dicta est Poëtis. HEINSIUS. Recte emendatum *montes*: ut et habet Francof. codex: templum enim Veneris Erycinæ in monte positum; ut exhibent nummi veteres, quos vide apud Illustr. Spanhem. Dissert. vi. pag. 577. de præstantia et usu Numism. Ed. primæ; et Vaillant. in Gente Considia. BURM.

Arsit inops frater, captus meretricis amore;
 Mixtaque cum turpi damna pudore tulit.
Factus inops agili peragit freta cærula remo;
 Quasque male amisit, nunc male quærit opes.
Me quoque, quod monui bene multa fideliter, odit.
 Hoc mihi libertas, hoc pia lingua dedit.
Et tamquam desint, quæ me sine fine fatigent,
 Adcumulat curas filia parva meas.
Ultima tu nostris accedis caussa querelis.
 Non agitur vento nostra carina suo.
Ecce, jacent collo sparsi sine lege capilli:
 Nec premit articulos lucida gemma meos.
Veste tegor vili: nullum est in crinibus aurum:
 Non Arabo noster rore capillus olet.

63. *Victus meretricis amore.*] *Vinctus* codex Wittianus, non male; sed Lincoln. Francof. et quatuor alii, *captus.* quod verius puto. et meretriciis fallaciis et illecebris convenientius. Meretrix vero illa *Rhodopis* dicebatur, teste Herodoto lib. ii. cap. 135. conserva Æsopi, et a Charaxo magna pecunia redemta. unde possumus intelligere, cur Fratrem ad inopiam delapsum Sappho hic dicit. Athenæus vero lib. xiii. cap. 7. *Doricam* vocatam ait, et Herodotum confudisse cum alia Rhodopide censet. sed Dorica a patria potuit dici. et ab hac Rhodopide proverbium manavit, *πανθ' ὁμοῖα καὶ 'Ροδῶπις ἡ καλή*, de quo vide Schottum in Proverb. ex Vatican. Append. Centur. iii. n. 67. Burmannus.

65. *Peragit freta.*] Vid. ad Petron. 119. innuit vero Piratam factum. Piratæ enim *ἀπὸ τοῦ πειρᾶν*, a *peragendo* et pervagando maria dicti. et hinc addit *male quærit opes,* turpi quæstu, non, ut Domitius, multis incommodis et labore; nisi statuere velimus illum remigem factum. Burm.

70. *Filia parva.*] Cleis filia. Suidas. Bersman.

72. *Non vento suo.*] Adverso vento. Metaphora. Ciof.

76. *Non Arabum noster dona capillus olet.*] Ita Naugerius. nostri omnes *Arabo rore.* quod temere mutare nolim. Nam et lib. v. Metam. 405. *olere* cum sexto casu conjunxit. ubi habes *olentia sulphure stagna Palicorum.* quo nomine a Diomede grammatico notatur, tanquam improprie locutus. *Arabo rore* quod dixit, eleganter factum. *Arabos* pro *Arabes* quoque Plautum usurpasse in Bacchidibus et Pœnulo, Virgilium Æneidos septimo, Lucilium, Cinnam, Cassium in Epistolis, Charisius Sosipater observat. Heinsius. In Francof. erat, *non Arabum dona capillus habet;* sed mihi quoque perplacet, *Arabo rore:* nam *Arabum* et *Arabem* veteres dixisse egregie docent Servius et Pierius ad Virgilii vii. Æneid. 605. de *rore* vero *Arabo*, sive Myrrha, sive Nardo, sive alio odore, vide Illustr. Spanhem. ad Callimachi Hym. in Apoll. 38. Burm.

Cui colar infelix, aut cui placuisse laborem?
  Ille mei cultus unicus auctor abest.
Molle meum, levibusque cor est violabile telis:
  Et semper caussa est, cur ego semper amem.
Sive ita nascenti legem dixere sorores;
  Nec data sunt vitæ fila severa meæ;
Sive abeunt studia in mores, artesque magistræ;
  Ingenium nobis molle Thalia facit.
Quid mirum, primæ si me lanuginis ætas
  Abstulit, atque anni, quos vir amare potest?

79. *Molle meum levibus cor est violabile telis.*] Τὸ *cor* producitur, contra quam solet. Certe Noster Trist. libro v. Eleg. viii.

Molle cor ad timidas sic habet ille preces.

Nam in illo ejusdem libri Elegia prima anceps est scriptura:

Strangulat inclusus dolor, atque cor æstuat intus.

Cum in potioribus membranis sit, *atque exæstuat intus.* sed corripitur quoque Pont. libro i. El. iv. ad Rufinum, et libro v. Met. Fab. vi. Ciceroni etiam in versione loci Homerici, *Ipse suum cor edens.* Martiali etiam libro x. Ep. xv. et Ausonio in epigrammatis. Quare a Nasonis manu opinor esse:

Molle mihi, levibusque cor est violabile telis.

Nisi quis mavult accedere Mycillo castiganti:

Molle meum levibusque cor est violabile telis. Heins.

Ubi Micyllus ita castiget, nescio. sed in Francof. codice erat:

Molle meum levibusque cor est violabile telis.

Ut nos jam olim edi curavimus.

83. *Sive abeunt studia in mores artesque magistras.*] *Magistræ* omnino scribendum. Arte Am. lib. iii. vers. 545. id ipsum dixit:

Scilicet ingenium placida molimur ab arte,
Et studio mores convenienter eunt.

Posset tamen et legi, *artisque magistra,* ut ad Thaliam referatur. Heinsius. Durius illud *artesque magistræ,* scilicet, *sunt*, vel *fiunt*; nec mollius, quod Crispinus retinet, *artesque magistras*; an *studia abeunt* in *artes magistras*, id est artes abeunt in artes? vel quo sensu hæc capienda sint vellem docuissent viri docti. Ego mallem,

———*Artisque magistra*
Ingenium nobis molle Thalia facit.

Ut Thaliam magistram vocet, elegantissime, quæ non modo Poëticam ipsam docuit, sed et formavit mores. ut iii. Art. Am. 540.

Et facit ad mores ars quoque nostra suos.

Et seqq. ita Poëtæ sæpe Musas et alios Deos magistros suos vocant. et hinc Horat. i. Od. xxiv.

———*Præcipe lugubres*
Cantus Melpomene.

Ita Bacchum docentem carmina vidit idem Poëta ii. Od. xix. et Noster *dictantem carmina* Cupidinem sæpe inducit. et paullo ante Sappho dixit:

At mihi Pegasides blandissima carmina dictant.

Et ita millies. Burm.

Hunc ne pro Cephalo raperes, Aurora, timebam.
Et faceres: sed te prima rapina tenet.
Hunc si conspicias, quæ conspicis omnia, Phœbe;
Jussus erit somnos continuare Phaon.
Hunc Venus in cœlum curru vexisset eburno;
Sed vidit et Marti posse placere suo.
O nec adhuc juvenis, nec jam puer; utilis ætas!
O decus, atque ævi gloria magna tui!
Huc ades: inque sinus, formose, relabere nostros.
Non ut ames, oro, verum ut amare sinas.
Scribimus, et lacrimis oculi rorantur obortis.
Adspice, quam sit in hoc multa litura loco.
Si tam certus eras hinc ire, modestius isses;
Et modo dixisses: Lesbi puella, vale.
Non tecum lacrimas, non oscula summa tulisti.
Denique non timui, quod dolitura fui.
Nil de te mecum est, nisi tantum injuria: nec tu,
Admoneat quod te, pignus amantis habes.

87. *Aurora.*] Ἀποστροφή, vel potius, Προσωποποιΐα. CIOF.

93. *Nec adhuc juvenis.*] Senec. Epist. xii. *Est alter, qui annos adolescentiæ excludit, est qui totam pueritiam ambitu suo adstringit.*

96. *Non ut ames oro, verum ut amare sinas.*] Furorem illum, quo prosequebatur Sappho Phaonem auctor hujus Epistolæ egregie exprimit, sed caussam amabilitatis Plinius lib. xxii. 8. refert ad radicem herbæ candidæ, quæ *centumcapita* vocatur; de qua portentosum tradunt, *radicem ejus alterutrius sexus similitudinem referre, raram inventu, sed si viris contigerit mas, amabiles fieri. ob hoc et Phaonem Lesbium dilectum a Sappho.* Quod nescio an alius quis prodiderit. BURM.

101. *Oscula nostra tulisti.*] *Oscula summa* plerique veteres. sic *extrema oscula, suprema oscula, ultima oscula,* et *oscula prima,* passim apud Poëtas. Trist. lib. i. El. iii.

Sæpe vale dicto rursus sum multa locutus,
Et quasi discedens oscula summa dedi.

Mox malo, *quæ dolitura fui.* HEINS.

103. *Nec tu, Admoneat.*] Douza volebat *injuria, quæ me admoneat.* Bersmannus edidit, *Admonuit, quamvis pignus amantis habes.* Contrario, ac Poëta voluit, sensu. nobis *Admoneat* placet, et distinctione esse juvandum locum credimus:

——————Nec tu,
Admoneat quod te, pignus amantis habes.

Nullum tecum pignus habes, quod te admoneat mei amantis. in alia lectione sensum nullum video. si oscula, si lacrimas discedens a me tulisses, ea tibi pignus essent, quod te admonere,

Non mandata dedi: neque enim mandata dedissem
Ulla, nisi, ut nolles immemor esse mei.
Per tibi, qui numquam longe discedat, Amorem,
Perque novem juro, numina nostra, Deas;
Cum mihi nescio quis, Fugiunt tua gaudia, dixit;
Nec me flere diu, nec potuisse loqui.
Et lacrimæ deerant oculis, et lingua palato:
Adstrictum gelido frigore pectus erat.
Postquam se dolor invenit; nec pectora plangi,
Nec puduit scissis exululare comis.
Non aliter, quam si gnati pia mater ademti
Portet ad exstructos corpus inane rogos.
Gaudet, et e nostro crescit mœrore Charaxus
Frater; et ante oculos itque reditque meos.

et in memoriam Sappho revocare posset. nunc tu nullum pignus habes, quod te admoneat. et recte Gronovius vim verbi *admonere* illustravit, quod τῷ *oblivisci* opponitur. *Pignus* vero rectius, quam *munus*. quocumque enim fides fit, *pignus* dicitur. ut Ep. iv. 100. Burm.

107. *Discedat.*] Alii omnes *discedit*. Nos ex affectu optantis fœminæ illum modum substituimus. ac si dicat, qui ut numquam discedat et abeat a me opto. Egnatius.

108. *Novem Deas.*] Musas, quæ novem sunt, Jovis filiæ ex Mnemosyna, quarum princeps est Calliope. Hesiodus in Theogonia, et Apollodorus lib. i. Bibliothecæ. Ciof.

113. *Postquam se dolor imminuit, mea pectora planxi.*] Alii, *nec pectora plangi*. ubique tamen Ovidius priore verborum forma hanc sententiam contexuit, ut Canace:

Exieram thalamo, tum demum pectora planxi.

Et Medea:

Protinus abscissa planxi mea pectora veste.

Adde quod vix dicatur, nec *puduit plangi pectora*, sed *plangere*, ut *exululare*. Egnatius. Alii: *Postquam se dolor imminuit, neque pectora plangi, Nec puduit*, &c. Priorem lectionem approbat Egnatius. Posterior elegantior est: nisi quod infinitivus *Plangi* offendit, quem active poni magis referebat. Micyllus. Iidem *invenit*. optime. Heins.

115. *Ademti.*] Mortui. libri iv. De Ponto Eleg. x.

Jure igitur lacrimas, Celso libamus adempto,
Cum fugerem, vivo quas dedit ipse mihi. Ciof.

116. *Portet.*] Quidam codices *ferret*. sed rectum est prius. Catull. Epithal. 83.

Funera Cecropide, nec funera, portarentur.

Juven. Sat. iii. 32.

Portandum ad busta cadaver. Heins.

117. *E nostro crescit mœrore.*] Eleganter. Seneca Medea:

Quid misera feci? misera, pœniteat licet,

Utque pudenda mei videatur caussa doloris;
  Quid dolet hæc? certe filia vivit, ait.
Non veniunt in idem pudor atque amor. omne vide-
  Vulgus; eram lacero pectus aperta sinu. [bat
Tu mihi cura, Phaon: te somnia nostra reducunt;
  Somnia formoso candidiora die.
Illic te invenio; quamquam regionibus absis;
  Sed non longa satis gaudia somnus habet.
Sæpe tuos nostra cervice onerare lacertos,
  Sæpe tuæ videor supposuisse meos.
Blandior interdum, verisque simillima verba
  Eloquor: et vigilant sensibus ora meis.
Oscula cognosco, quæ tu committere linguæ,
  Aptaque consueras accipere, apta dare.
Ulteriora pudet narrare: sed omnia fiunt:
  Et juvat, et sine te non libet esse mihi.

Feci. voluptas magna me invitam subit.
Ut, ecce, crescit!

Glossarium MS. Vossianæ Bibliothecæ, *Ovare, crescere, gaudere.* Est autem gaudio exultare, et invidorum proprium est. eadem ratio est vocis *Pasci;* qua utitur Met. vi. 280. de Niobe. Heinsius. Cicero sæpius hac eleganti locutione usus, et aliquando paullo alia significatione, pro gloria, fama, opibus, honoribus augeri. pro Cluentio cap. 28. *Oblatam sibi occasionem putavit, ut ex invidia Senatoria posset crescere.* v. Verrin. 67. *Denique si videor hic, id quod ego non quæsivi, de uno illo voluisse crescere, isto absoluto, quod sine multorum scelere fieri non potest, de multis mihi crescere licebit.* pro S. Rosc. 30. *Nam si mihi liberet accusare, accusarem alios potius, ex quibus possem crescere.* Livius xxxv. 19. *Itaque si quibus tuorum meis criminibus apud te crescere liceat, aliam materiem crescendi, quam ex me quærant.* et xxxix. 36. *In invidia Censores cum essent, crescendi ex his nactus occasionem Cn. Bæbius.* Quinct. Decl. v. Princip. *Adversa quæ de solatiis remediisque creverunt.* ubi est alimenta ceperunt ex solatiis et remediis, quæ quotidie renovarunt et auxerunt. *Incrementa de aliquo quærere,* dixit Justinus lib. xxv. 3. *Perpetuis crescere rapinis.* Claud. ii. Rufin. 318. Burm.

120. *Certe filia vivit, ait.*] Cleis scilicet, quam, teste Suida, suscepit Sappho ex Cercola conjuge. Hujus quoque meminit Max. Tyr. et laudat poetria ipsa, his versibus, apud Hæphestionem, in Enchiridio:

Ἔστι μοι καλὰ παῖς χρυσείοισιν ἀνθέμοισιν
Ἐμφερῆ ἔχουσα μορφὴν, Κλεῖς ἀγαπητά.
Ἀντὶ τᾶς δ' ἐγὼ, οὐδὲ Λυδίαν πᾶσαν οὐδ' ἐραννάν.

Qui quidem versus, quin Sapphus sint, nullus dubitat Fulv. Ursin. in notis ad Fragm. ejusdem, p. 287. Amar.

134. *Et juvat, et sine te non licet*

At cum se Titan ostendit, et omnia secum;
  Tam cito me somnos destituisse queror.
Antra nemusque peto; tamquam nemus antraque
  Conscia deliciis illa fuere tuis. [prosint
Illuc mentis inops, ut quam furialis Erichtho
  Impulit, in collo crine jacente, feror.
Antra vident oculi scabro pendentia topho,
  Quæ mihi Mygdonii marmoris instar erant.

esse mihi.] *Non libet* bene quatuor libri. Opinor scribendum:

——— *Sed omnia fieri*
Et juvat, et sine te non libet esse mihi.

Sæpe *libet* in *licet* degeneravit. sic lib. ii. Art. Am. ii. 327.

——— *Quotiesque libebit,*
Quæ referas illi, somnia læta vide.

Fast. vi.

Nec libet, et longum est epulas narrare Deorum.

Ita locis istis scribendum. HEINSIUS. Nulla hic mendi suspicio interpretibus suborta fuit. quod miror: nam facile patet jejune admodum illud subjici, *et sine te non libet esse mihi.* quod etiam de amore modico, et primum nato dici posset. vix enim durare sine amatore suo puellas, quam primum tactæ sunt, posse, notum est. et illa locutio *sine te*, nihil nisi præsentiam amatoris, quam desiderare videtur, indicare potest. ita iii. Am. xi. cum dixisset:

Nequitiam fugio, fugientem forma reducit.

Mox addit:

Sic ego nec sine te, nec tecum vivere possum.

Quæ cum ita sint, quanti non faciendus codex ille Francofurtensis, qui solus servavit veterem, et reliquis librariis non intellectam scripturam:

Et juvat, et sicca non licet esse mihi.

Legendum nimirum minima mutatione *siccæ.* sic apud Nostrum ix. Met. 484. ii. Art. Am. v. 683. BURMANNUS. Audacius certe, quam castius! Præferam equidem Hœufftii, viri elegantissimi, conjecturam, in *periculis criticis*, p. 278. legendum censentis:

Et juvat et sine te sic libet esse mihi.

Sed forte nihil mutandum: potest enim hic vulgatæ sensus esse: et *juvat*, et fert libido, ut quocumque tandem modo tecum sim; nam *sine te* esse non *libet.* LENNEP.

139. *Furialis Erichto.*] Erichto Thessalica venefica, sive maga fuit, cujus opera Pompejus quoque usus fuit. de qua prolixe Lucan. lib. vi. sed hic Ovidius pro generali nomine veneficarum posuisse videtur, speciem pro genere usurpando. MICYL.

140. *Impulit.*] *Abstulit* repono, propius insistens vestigiis scriptæ lectionis. HEINS. Ego conjecturæ huic Heinsii minime assentiri possum, ut qui *impulit* multo gravioris significationis verbum putem, quam *abstulit.* et hic de furore, vel ei certe simili affectione agitur. Sequentia, *In collo crine jacente*, ut vaticinanti et furiosæ respondent, et præcipue ita verbum *feror* egregie congruit: *Ferri* enim impulsi furiis, et gravissima perturbatione mentis, proprie dicuntur. Horat. i. Sat. iv. 30.

——— *Quin per mala præceps*
Fertur. ——— BURM.

Invenio silvam, quæ sæpe cubilia nobis
Præbuit, et multâ texit opaca comâ:
At non invenio dominum silvæque meumque.
Vile solum locus est: dos erat ille loci.
Agnovi pressas noti mihi cespitis herbas:
De nostro curvum pondere gramen erat.
Incubui; tetigique locum, qua parte fuisti;
Grata prius lacrimas combibit herba meas.
Quin etiam rami positis lugere videntur
Frondibus; et nullæ dulce queruntur aves.
Sola virum non ulta pie mœstissima mater
Concinit Ismarium Daulias ales Ityn.
Ales Ityn, Sappho desertos cantat amores.
Hactenus; ut media cetera nocte silent.
Est nitidus, vitreoque magis perlucidus amni,
Fons sacer: hunc multi numen habere putant:

141. *Scabro pendentia topho.*] *Tophus* lapis scaber et pumicosus, familiaris specubus et antris montium est. *Pendentia* autem, quod Domitius exponit sublimia, pro arcuata et suspensa magis accipiendum. Micyllus. Vid. iii. Amor. i. 3. *Scaber* autem tophus etiam est in Catalectis Pithœi. p. 32.

Decidens scabrum cavat unda tophum.

Sequenti versu Scriverianus, *qui mihi erat.* ut de topho capiatur, qui instar marmoris erat Sappho, propter delicias, quibus in Antris illis perfrui solebat. Burm.

142. *Marmoris Mygdonii.*] Mygdonia Phrygiam terminat a meridionali latere: Marmor item Mygdonium, Phrygium intelligimus, quod precii magni erat.

153. *Non ulta prius.*] Emendabis *Pie. Prius* enim cassa vox semper visa est, ac nihili. Egnatius. *Sola virum non ulta prius mœstissima mater* Domitius legit. ut sit sensus: Sola mater, quæ ob id mœstissima est, quod non prius occiderit virum, quam filium, &c. Sed alii pro *Prius, Pie* legunt, hac sententia: Sola mater, quæ impie ulta est virum. Impie scilicet, quod in eo ulciscendo filium interfectum epulandum apposuit. Micyllus.

156. *Hactenus: ut media cetera nocte silent.*] Scripti quidam *et media.* perperam. nam et pari modo est locutus in Fastis lib. v. 661.

Hactenus: ut vivo subiit rorantia saxo
Antra.——— Heins.

157. *Est nitidus, vitreoque magis perlucidus amne.*] *Est nitidus, vitroque magis perlucidus amnis.* hæc Naugeriana lectio. sed ridicule fontem et amnem eundem facit. primæ editiones et scripti plerique, *vitreoque*

Quem supra ramos expandit aquatica lotos,
  Una nemus: tenero cespite terra viret.
Hic ego cum lassos posuissem fletibus artus,
  Constitit ante oculos Naïas una meos.
Constitit, et dixit, Quoniam non ignibus æquis
  Ureris, Ambracias terra petenda tibi.
Phœbus ab excelso, quantum patet, adspicit æquor:
  Actiacum populi Leucadiumque vocant.

amne. Mazarinianus, *vitreoque amni.* Scribe, *vitroque magis perlucidus omni.* Sic *Fons Blandusiæ splendidior vitro* apud Horatium. lib. iii. Od. xiii. ita Poëtæ passim. Horat. i. Od. xviii.

Arcanique fides prodiga, perlucidior vitro. HEINS.

Nos retinuimus, *vitreoque magis perlucidus amne.* ut est in Francof. et plerisque aliis; nam amnes passim vitrei. vid. Bernard. ad Stat. i. Silv. iii. 73. BURM.

159. *Quem supra.*] Ἀναστροφή. CIOF.

Extendit.] In nonnullis *expendit.* in aliis *expandit.* recte omnia. NAUGERIUS. Libri veteres *expandit.* placet. CIOFANUS. *Expandit* primæ editiones et scripti plerique. Virgil. vi. 282.

In medio ramos annosaque brachia pandit
Ulmus opaca, ingens. HEINS.

Vide Heins. ad Valer. Flac. i. 400.

Aquatica lotos.] Ita et lib. ix. Met. 341. ut ab alia Loto distinguatur. Lotam vero Nympham in fabam Syriacam mutatam narrat Servius ad i. Georg. 84. sic et Isidorus de Mella lib. xvii. c. 6. nam et *mella* et *faba Syriaca* dicebatur Lotos, sed faba Græca frequentius. BURM.

160. *Una nemus.*] Quid enim sibi velit vetus lectio non video, *unda nemus*, quando et Domitius jam ante id agnovit, et sensus *una*, exposcit. EGNATIUS. Sic et Met. lib. viii. 744.

Stabat in his ingens annoso robore quercus,
Una nemus.——— HEINS.

162. *Ante oculos visa est Nais adesse meos.*] *Constitit ante oculos Naïas una meos*, hæc etiam Naugerio debentur. Nostri cum vulgatis, inepte:

Formosus puer est visus adesse mihi.

Repone in Naugeriana lectione *Naïas uda*, et refer ad Naïada hujus fontis. sic *uda Thetis.* lib. xi. Met. et *Tyberinides udæ.* lib. ii. Fast. v. 597. ex antiquis codicibus. ubi Naïadas Tyberinas innuit. HEINSIUS. recte habet se *una.* ut redundet, de quo loquendi genere cum alii jam egere, tum Pricæus ad Matthæi cap. viii. vers. 17. BURM.

163. *Quoniam non ignibus.*] *Quid nunc non.* Bersm. Edit. sed editiones vetustiores et omnes Heinsii codices, *quæ nunc non.*

164. *Ambracia est terra petenda tibi.*] Optime Vaticanus unus, *Ambracias*, Græco more. HEINSIUS. *Ambracian* reddidit etiam Ovidio lib. xiii. Met. 714. Heinsius. sed *Daunias militaris* non tolerat Clarissimus Bentleius in Horatio. sic *Ionias*, de quo ad Epist. ix. 73. *Phasias.* Ep. vi. 103. *Phthias.* vii. 165. BURM.

165. *Phœbus.*] Ille ab Ambraciotis

Hinc se Deucalion, Pyrrhæ succensus amore,
  Misit, et illæso corpore pressit aquas.
Nec mora: versus Amor tetigit lentissima Pyrrhæ
  Pectora; Deucalion igne levatus erat.
Hanc legem locus ille tenet. pete protinus altam
  Leucada; nec saxo desiluisse time.
Ut monuit; cum voce abiit. ego frigida surgo:
  Nec gravidæ lacrimas continuere genæ.
Ibimus, ô Nymphe, monstrataque saxa petemus.
  Sit procul insano victus amore timor.
Quidquid erit, melius quam nunc erit. aura, subito:
  Hæc mea non magnum corpora pondus habent.

magna veneratione colebatur. vid. Antonin. Liber. Fabul. iv.

166. *Actæum populi Leucadiumque vocant.*] *Actæum* vocant populi, inquit, *Leucadiumque*. Hoc a vulgato nomine insulæ scilicet; illud ab antiquo. Nam et Strabo tradit lib. 10. Leucadem antiquitus Chersonesum, sive peninsulam fuisse, Acarnaniæ connexam, quam Homerus vocarit Ἀκτὴν ἠπείροιο. Od. Ω'. 375. Eam terram, quæ e regione Ithacæ ac Cephaleniæ est, id est, ipsam Acarnaniam, Epirum appellando. Quare *Actæum* hoc loco gentiliter ac proprie accipiendum: non appellative, ut Domitius exponit, pro litorali. Micyllus. *Actiacum*, Scaliger, ut et Sarravianus. Amar.

167.] Scribo:

Nec mora: versus amor tetigit lentissima Pyrrhæ Pectora.

Versus amor, ut Epistola Briseïdis:

Aut si versus amor tuus est in tædia nostri.

Lentus proprie, qui tarde se promovet, sed et pro flexibili sumitur, et pro securo atque otioso, etiam pro frigido et remisso, quemadmodum hic loci. Glossæ Stephani, *Lentus*, Εὔτονος, Λεπτὸς, Ἀργός. *Lentus*, qui tarde irascitur, ubi de ira agitur. sic Ep. Helenes 249.

Tu fore tam lentum justa Menelaon in ira?

Est autem convicium amatorium. ita Penelope initio Epistolæ *lentum* vocat Ulyssem. Phyllis Demophoonti, *At tu lentus abes.* et nostra Sappho Phaoni, *Lente redi.* tum:

Hoc te, si saperes, lente, decebat opus.

Heinsius.

171. *Hanc legem locus ille tenet.*] De hoc scopulo, qui saltus amantum dicebatur. vid. Serv. ad Virgil. Eclog. ix. 57. et Voss. ad Catull. carm. 67. Ptolem. Hephæst. lib. vii. apud Photium Canone cxc. qui plures, qui se inde præcipitarunt, enumerat; Sapphûs tamen, quod mirere, nulla ibi fit mentio. et Athenæus lib. xiv. c. 3. narrat Calycam amore Euathli captam se præcipitio ex hoc scopulo interemisse. vide et Scaliger. ad Auson. Cupid. cruci affixum. v. 24. Menander apud Strabon. lib. x. primam desiluisse ex Leucade Sappho tradit. Burm.

O 2

Tu quoque, mollis Amor, pennas suppone cadenti:
Ne sim Leucadiæ mortua crimen aquæ.
Inde chelyn Phœbo, communia munera, ponam:
Et sub ea versus unus et alter erunt.
Grata lyram posui tibi, Phœbe, poëtria Sappho:
Convenit illa mihi, convenit illa tibi.
Cur tamen Actiacas miseram me mittis ad oras,
Cum profugum possis ipse referre pedem?
Tu mihi Leucadia potes esse salubrior unda:
Et forma et meritis tu mihi Phœbus eris.
An potes, ô scopulis, undaque ferocior illa,
Si moriar, titulum mortis habere meæ?
At quanto melius jungi mea pectora tecum,
Quam poterant saxis præcipitanda dari!
Hæc sunt illa, Phaon, quæ tu laudare solebas;
Visaque sunt toties ingeniosa tibi.

183. *Grata.*] Quod tuo nomine servata est incolumis, et amore liberata vates tua. Lyram primus fecit Mercurius. Ea relata est in cœlum, mortuo Orpheo, favore Apollinis, quem plurimum apud inferos laudaverat: et voluntate Jovis, qui id concessit Calliope filiæ, matri Orphei. *Domit.*

Posuit.] *Posui* maluerim. patet ex sequenti versu; et sic Farnesianus cum uno meo. Propert. ii. Eleg. xiv.

Hæc pono ante tuas tibi, diva, Propertius ædes. Heins.

Naugerius notat in omnibus suis legi *Poëtica*, atque ita etiam edidit. *Poëtria* recte. Sappho enim per excellentiam *Poëtria* dicta, ut Homerus *Poëta*. Galenus libro, animi affectus consectaneos esse temperaturæ: Πάντας γὰρ ἀκούομεν Ὅμηρον μὲν λέγεσθαι ποιήτην, Σαπφὼ δὲ ποιήτριαν. sic et Æliano dicta lib. xv. Var. Athenæo lib. xv. et Pausaniæ in Arcadicis. et ita Terentianus Maurus de metris:

Continuasse pedes istos in carmine solos
Dicitur hæc eadem præclara Poëtria Sappho. Heins.

Apud Persium in Prooemio habes, *Corvos Poëtas et Poëtrias picas*, ubi etiam male turbant nonnulli codices. neque etiam *Poëtris*, multo minus *Poëtis*, quod Claverio arridebat, ignota veteribus vocabula, in civitatem Romanam adsciscenda. Burm.

186. *Cum profugum possis ipse referre pedem.*] Sic legendum ex antiquis libris. Est autem apostrophe ad Phaonem: *inde* nullo modo mihi probatur, nec, ut puto, cuiquam alii probabitur. Ciofanus. *Ipse* scripti. et recte. Non enim in Leucadiam Phaon: sed in Siciliam, profugerat. Heins.

Nunc vellem facunda forent. dolor artibus obstat;
Ingeniumque meis substitit omne malis.
Non mihi respondent veteres in carmina vires.
Plectra dolore tacent: muta dolore lyra est.
Lesbides æquoreæ, nupturaque, nuptaque proles;
Lesbides, Æolia nomina dicta lyrâ;
Lesbides, infamem quæ me fecistis amatæ;
Desinite ad citharas turba venire meas.
Abstulit omne Phaon, quod vobis ante placebat.
(Me miseram! dixi quam modo pene, meus!)
Efficite ut redeat: vates quoque vestra redibit.
Ingenio vires ille dat, ille rapit.
Ecquid ago precibus? pectusne agreste movetur?
An riget? et Zephyri verba caduca ferunt?

195. *Dolor artibus obstat.*] Præclarum exemplum apud hunc Nostrum lib. xiii. Metamorphoseos, ubi ita est de Hecuba, cum Polydorum, quem Polymnestori cum ingenti auri copia crediderat, interfectum vidisset:

Troades exclamant; obmutuit illa dolore,
Et pariter vocem, lacrimasque introrsus obortas
Devorat ipse dolor, duroque simillima saxo
Torpet.———— CIOF.

199. *Lesbides æquoreæ, nupturaque, nuptaque proles.*] Sic omnino melius, ut etiam illud quod sequitur. *amatæ*, potius, quam *amare*. EGNATIUS. Anaphora usus est hoc loco Poëta, sive repetitione principii. Quod quidam factum volunt, non tantum affectus causa, cui ea res servit: sed etiam, ut morem Sapphûs exprimeret, sive imitaretur, cui dicitur hæc figura valde familiaris fuisse: citanturque exempla hæc ad Partheniam: Παρθενία, παρθενία, τί με λυποῦσα οἴχῃ. Et, Οὐκέτι ἥξω πρὸς σ', οὐκέτι ἥξω. Hæc nos ex Merula, ille ex Demetrio Phaleræo. MICYL.

201. *Lesbides infamem quæ me fecistis.*] Huc respicit Horat. ii. Od. xiii. 4.

——*Æoliis fidibus querentem*
Sappho puellis de popularibus.

204. *Quem modo.*] Male vetus lectio *quæ*, nos vero *quem*, alii *quam*. EGNATIUS.

207. *Ecquid ego hæc.*] Alia lectio, *Ecquid ago precibus.* EGNATIUS. *Ecquid ago precibus.* Communiter. Alii, *Ecquid ego precibus.* Quidam etiam, *Ecquid ego hæc precibus.* Sed communis lectio melior, cujus sententia respondet sequentibus. Est enim sententia: Ecquid, sive, Etiamne aliquid ago: id est, efficio precibus meis, quas modo feci? et mihi agreste istud pectus ac durum movetur, annon? &c. MICYLLUS. Assentior eruditis viris, qui *Ecquid ago* legendum putant. CIOFANUS.

Lego:

Sed quid ego hæc? precibus pectusne agreste movetur? HEINS.

O 3

Qui mea verba ferunt, vellem tua vela referrent,
Hoc te, si saperes, lente, decebat opus.
Sive redis, puppique tuæ votiva parantur
Munera; quid laceras pectora nostra morâ?
Solve ratem. Venus orta mari, mare præstat aman-
Aura dabit cursum; tu modo solve ratem. [ti.
Ipse gubernabit residens in puppe Cupido:
Ipse dabit tenerâ vela, legetque, manu.
Sive juvat longe fugisse Pelasgida Sappho;
(Non tamen invenies, cur ego digna fugâ.)
Hoc saltem miseræ crudelis epistola dicat:
Ut mihi Leucadiæ fata petantur aquæ.

211. *Parantur.*] In nonnullis *paramus.* Naugerius. Quis non videt etiam reclamante codicum fide legendum *paramus*, non *parantur* ex amantis affectu? significare enim voluit nuncupata a se ipsa vota pro Phaonis reditu. Egnatius. Locus videtur mendosus; nisi post hoc distichon sequatur illud, *sive juvat longe.* et tunc constabit sensus. Heinsius. Et in Lincoln. quatuor medii versus desiderabantur. nisi ergo in parenthesi ponantur, et hic, *sive redis, puppi ecce tuæ votiva paramus* legatur, sensum vix video. Burm.

Sive redis, &c.] Æstuasse circa loci hujus sensum et Heinsium et Burmannum videmus, qui tamen facile sic explicari potuit. Sive redire cogitas, et jam jam *parasti* munera, quibus pro salvo tuæ navis reditu Diis ex voto facias, cur non maturas illud cœptum? *Solve ratem.* Non opus est multa diu advocare numina: Venus, utpote *mari orta*, sola id *præstare* amanti potest; Venus et Cupido navigationi tuæ favebunt. *Sive*, &c. Versum autem hunc:

——*Venus orta mari, mare præstat eunti;*

haud dubium est quin ante oculos Musæus habuerit, vers. 249:

'Αγνώσσεις ὅτι Κύπρις ἀπόσπορός ἐστι θαλάσσης,
Καὶ κρατέει πόντοιο. Amar.

212. *Quid laceras.*] *Quid crucias pectora nostra tuis.* Francof.

213. *Præstat amanti.*] Slichtenhorstius legebat, *sternet eunti*, et certe *amans* Phaon non dici potest, et *eunti* est in multis editionibus antiquis. Heinsius. Ego nihil muto. omen enim et votum latet, ut ad se rediret amans, quod si faciat, certum est Venerem mare præstituram; quia, ut sequenti Epistola, *in mare jus habet orta mari.* *Præstare* etiam non movendum, licet etiam *sternet* Bersmanni margo habeat. est enim, ut et præbere, benevolentiæ verbum. Burm.

216. *Legetque.*] *Regetque* nonnulli scripti. sed perperam: opponuntur enim *dare vela* et *legere. Dare* ad cursum instituendum, *legere*, cum portum attigerit navis, et cessarit a navigatione. Valer. Flac. ii. 13.

——*Fluminea cujus redeuntia vento Vela legunt.*——

Ita *legere funem* idem i. 314. *dare vela* obvium est. Burm.

219. *Hoc saltem miseræ.*] *O saltem* cum scriptis. ut dictum ad Epistolam

EPISTOLA XVI.

PARIS HELENÆ.

Hanc tibi Priamides mitto, Ledæa, salutem;
Quæ tribui solâ te mihi dante potest.
Eloquar? an flammæ non est opus indice notæ;
Et plus, quam vellem, jam meus exstat amor?
Ille quidem malim lateat; dum tempora dentur
Lætitiæ mixtos non habitura metus.
Sed male dissimulo. quis enim celaverit ignem,
Lumine qui semper proditur ipse suo?
Si tamen exspectas, vocem quoque rebus ut ad- [dam;
Uror. habes animi nuntia verba mei.
Parce, precor, fasso: nec vultu cetera duro
Perlege, sed formæ conveniente tuæ.
Jamdudum gratum est, quod epistola nostra re- [cepta
Spem facit, hoc recipi me quoque posse modo.

primam. Ceterum distichon hoc postremum pro legitimo Nasonis vix est ut agnoscam: nec satis assequor quid sibi velit. HEINSIUS. Nihil indignum Ovidio video: sensus est. hoc, scilicet juvare te fugam, saltem dicat Epistola; ut certa propositi tui perire possim præcipitio. *saxa petantur* Regius etiam, quod non absurdum. BURM.

220. *Leucadiæ fata petantur aquæ.*] Dedit Joseph. Scaliger (ad Cupid. Crucifix. Auson.) ex Ptolemao Hæphest. Catalogum ex Leucade se præcipitantium; in qua duæ fœminæ comparent: *Artemisia*, Mausoli regis uxor, et *Rhodope* quædam; quibus ex Athenæo, xiv. 3. *Calycen* quamdam addit Tollius. AMAR.

1. *Hanc.*] Forte rectius, *hac tibi.* scilicet Epistola (ut Epist. xix. *verbis mittere salutem*) mitto tibi salutem. vid. ad Epist. i. 1. sed vulgata defendi potest ex v. Trist. 13. 1.

Hanc tuus e Getico mittit tibi Naso salutem.

Pro *Ledæa* malebat Heinsius *Ledæi.* vide Epist. xii. 61. BURM.

13. *Gratum est.*] Formulæ hujus elegantiam illustravit politissimus Broukhusius ad Tibul. iv. 10.

Recepta est.] Tò *est* una cum distinctione tollendum, ex fide Puteanei et quatuor aliorum. HEINSIUS. Douza notat apud idoneos Oratores non esse in usu, *recepi Epistolam tuam,* sed *accepi.* at Nasonem fecisse necessitate metri. sed ita excusare Poëtas, est accusare. non enim metri necessitas efficere debet, ut minus eleganter et Latine Poëta loquatur. quare potius auctorem hujus Epistolæ, dubitatur enim an Ovidius sit, lusisse puto, in ambigua significatione verbi *reci-*

Quæ rata sint, nec te frustra promiserit, opto,
Hoc mihi quæ suasit, mater Amoris, iter.
Namque ego divino monitu, ne nescia pecces,
Advehor: et cœpto non leve numen adest.
Præmia magna quidem, sed non indebita posco;
Pollicita est thalamo te Cytherea meo.
Hac duce Sigæo dubias â litore feci
Longa Phereclêâ per freta puppe vias.
Illa dedit faciles auras ventosque secundos.
In mare nimirum jus habet orta mari.
Perstet: et, ut pelagi, sic pectoris adjuvet æstum:
Deferat in portus et mea vota suos.
Attulimus flammas, non hic invenimus, illas;
Hæ mihi tam longæ caussa fuere viæ.
Nam neque tristis hiems, neque nos huc adpulit [error.
Tænaris est classi terra petita meæ.
Nec me crede fretum merces portante carina
Findere. quas habeo, Dî tueantur, opes.
Nec venio Grajas, veluti spectator, ad urbes.
Oppida sunt regni divitiora mei.

pere. quo Noster utitur etiam Naso de amantibus et puellis in toro receptis. vid. ad Ep. ii. 55. vi. 20. et alibi. Burm.

22. *Longa Phereclea per freta puppe vias.* *Puppe Phereclea;* cui struendæ dux Phereclus præfuerat, qui Paridem deinde ad bellum Trojanum sequutus, a Merione cæsus est; debitum industriæ præmium, quæ tot Trojanis Græcisque mala intulerit.

Μηριόνης δὲ Φέρεκλον ἐνήρατο, τέκτονος υἷον,
Ἁρμονίδεω, ὃς χερσὶν ἐπίστατο δαίδαλα πάντα
Τεύχειν· ἔξοχα γάρ μιν ἐφίλατο Παλλὰς Ἀθήνη.
Ὃς καὶ Ἀλεξάνδρῳ τεκτήνατο νῆας ἐΐσας,
Ἀρχεκάκους, αἳ πᾶσι κακὸν Τρώεσσι γένοντο,
Οἷ τ' αὐτῷ· ἐπεὶ οὔτι θεῶν ἐκθέσφατα ᾔδη. Il. E. 59. sqq.

Fuit autem hoc vaticinium, quo Trojani jussi sunt omni re maritima abstinere. Amar.

27. *Attulimus.*] Proprio usus verbo, de iis, qui cum re quadam adveniunt, ut ad illa Propertii. lib. ii. 6.

Attulimus longas in freta vasta manus.

Notavit diligentissimus Passeratius. et ita contra *invenimus* illa, in quæ casu incidimus. Burm.

33. *Nec veni.*] *Venio* scripti. Τὸ *veluti* suspectum est de mendo. Heinsius. Et merito, omittere enim solent illas particulas, *veluti*, *tanquam* Poetæ.

Te peto; quam lecto pepigit Venus aurea nostro.
  Te prius optâvi, quam mihi nota fores.
Ante tuos animo vidi, quam lumine, vultus:
  Prima fuit vultûs nuntia fama tui.
Nec tamen est mirum, si, sicut oporteat, arcu
  Missilibus telis eminus ictus, amo.
Sic placuit fatis: quæ ne convellere tentes,
  Accipe cum verâ dicta relata fide.
Matris adhuc utero, partu remorante, tenebar:
  Jam gravidus justo pondere venter erat.
Illa sibi ingentem visa est sub imagine somni
  Flammiferam pleno reddere ventre facem.

vide Servium ad Virgil. i. Æneid. 384. forte scripserit:

Nec venio, ut multi, Grajas spectator ad urbes. Burm.

39. *Nec tamen est mirum, si, sicut oporteat, &c.*] Locum varie tentarunt viri docti. Micylli conjectura, *sicut oportuit*, quamvis lenitate sua se commendans, ideo probari non potest, quia sic idem bis dixisse deprehendatur Ovidius. Sequitur enim, *sic placuit fatis*. Ingeniose Douza nomen hic latere putabat amatoris fabulosi, qui ita, ut Paris, nunquam visæ puellæ amore flagrasset. Heinsius triplici ratione emendabat: *si sicut oportuit actum;* vel, *sicut oportuit ictum;* vel, *sicut oportet ab arcu.* Postremum maxime arridet. Posses etiam hoc modo legere ac distinguere:

———Si, sicut Amoris ab arcu
Missilibus telis eminus ictus, amo.

Ceterum vers. 39. et sqq. ad 143. veteres Edd. non agnoscunt. Sed præter quam quod Ovidianus in iis color est, nec ullo modo verisimile videtur, ut tam bellam judicium Paridis describendi occasionem Naso prætermiserit, sane illa insunt in Epistola insequente, quæ dictorum versuum nonnullis unice respondere videantur. Lennep.

Si sicut oporteat.] Si perinde, ac necesse sit ita fieri. Quod si legas *Oportuit*, sensus erit: Quemadmodum necesse fuit fieri; propter fata scilicet: de quibus sequenti versu. Micyllus. Hæc non sunt sana. Puto, *Sicut oportuit actum.* ut agi oportuit. Apulejus Met. v. *Si proles parentum, ut oportet, pulchritudini responderint, Cupido nascetur.* Posses et, *sicut oportuit ictum*, vel, *si sicut oportet ab arcu.* Heinsius. Douza explicabat vulgatam, sicut in fatis fuit. sed locum corruptum putabat, et desiderari nomen amatoris fabulosi, qui eo ipso modo, quo Paris, nunquam visæ flagrarit amore puellæ.

41. *Sic placuit fatis.*] Rejicit amorem suum in voluntatem deorum, et necessitatem fati: quo videlicet Helenam magis impellat. Estque translatio, color rhetoricus. Micyl.

45. *Illa sibi ingentem visa est sub imagine somni, Flammiferam pleno reddere ventre facem.*] Meminit hujus quoque rei Tryphiodorus his verbis:

Territa consurgit; metuendaque noctis opacæ
 Visa seni Priamo, vatibus ille, refert.
Arsuram Paridis vates canit Ilion igni.
 Pectoris, ut nunc est, fax fuit illa mei.
Forma vigorque animi, quamvis de plebe videbar,
 Indicium tectæ nobilitatis erant.
Est locus in mediæ nemorosis vallibus Idæ
 Devius, et piceis ilicibusque frequens:
Qui nec ovis placidæ, nec amantis saxa capellæ,
 Nec patulo tardæ carpitur ore bovis.
Hinc ego Dardaniæ muros, excelsaque tecta,
 Et freta prospiciens, arbore nixus eram.
Ecce pedum pulsu visa est mihi terra moveri:
 Vera loquar, veri vix habitura fidem.

———Αἰ δὲ που ἤδη
Τίκτουσιν μογερῆς Ἑκάβης ὠδίνες ὀνείρων.

Et Apollodorus lib. iii. Δευτέρου γεννᾶσθαι μέλλοντος βρέφους ἔδοξεν Ἑκάβη καθ' ὕπαρ δαλὸν τεκεῖν, διάπυρον τουτὸν δὲ πᾶσαν ἐπινέμεσθαι τὴν πόλιν, καὶ καίειν. Ciof.

47. *Territa consurgit.*] Hoc Ovidianum videtur. Ita ille i. Fast. 435.

Territa consurgens Nymphe.

48. *Vatibus ille refert.*] Æsaco filio suo, qui conjectandi rationem a Merope edoctus fuerat. Apollodorus ibidem. Ciof.

49. *Arsuram Paridis vates canit.*] Id est, vates canunt, sive prædicant, Paridis igni Trojam conflagraturam: hoc est, facem, de qua somniarat Hecuba, significare incendium atque exitium patriæ. Est autem Prolepsis. nondum enim de Paridis nomine, aut amore, quem hic per ignem intelligo, quicquam constabat: ut qui nondum natus esset. Micyl.

50. *Pectoris fax fuit.*] Hoc est, amorem meum significabat illa fax, de qua mater somniarat. Estque Inversio hæc. nam quæ vates de significatione facis interpretati fuerant, ea omnia ipse invertit, et de suo amore interpretatur. Micyl.

57. *Hinc ego Dardaniæ muros.*] Dardaniæ muros improprie dixit, pro Troja. alia enim Dardania, alia Troja fuit. Ceterum multa hujusmodi sunt in his versibus notata, ex quibus facile apparet, non esse γνησίους Poëtæ. Micyllus. Forte, *Dardanios muros.*

59. *Ecce pedem pulsu.*] Ex signo adventum deorum colligit. Micyl.

60. *Vera loquar, vero vix habitura.*] Mallem, *Verum vix habitura fidem*: ut sit conjunctio adversativa. nam in eadem significatione, *vero,* contra regulam et usum præponitur. Micyllus. Scribendum *veram fidem,* aut *veri fidem,* ut supra:

Accipe cum vera dicta relata fide.

Veri in hoc Nasonis loco esse reponendum vidit et doctissimus Freinshemius ad Curtium ix. 5. ex illo Senecæ Ep. xciv. *Duæ res plurimum roboris dant animo, fides veri et fiducia.*

Constitit ante oculos, actus velocibus alis,
  Atlantis magni Pleïonesque nepos.
Fas vidisse fuit; fas sit mihi visa referre:
  Inque Dei digitis aurea virga fuit.
Tresque simul Divæ, Venus, et cum Pallade Juno,
  Graminibus teneros imposuere pedes.
Obstupui, gelidusque comas erexerat horror;
  Cum mihi, Pone metum, nuntius ales ait.
Arbiter es formæ: certamina siste Dearum;
  Vincere quæ formâ digna sit una duas.
Neve recusarem, verbis Jovis imperat: et se
  Protinus æthereâ tollit in astra viâ.

Heinsius. *Veri* etiam Douzæ placebat. Similiter vero Propert. iii. El. xi. 61. quem imitatus videtur Noster:
Certa loquor, sed nulla fides.

61. *Constitit ante oculos.*] Cum his et sequentibus mire conspirare Coluthum, *de Raptu Helenæ*, vers. 119. et sqq. notavit jamdudum vir in litteris græcis versatissimus Joan. Dan. Lennep.

62. *Atlantis magni, Pleïonesque nepos.*] Hæc lectio melior, quam, ut quidam habent, *Atlantisque nepos, Pleïonesque nepos.* Tametsi enim figuram captarunt, qui sic legunt: est tamen inepta affectatio. Intelligit autem Mercurium, cujus mater Maia fuit, filia Atlantis et Pleïones. Micyl.

63. *Fas vidisse.*] Hunc versum Slichtenhorstius et Francius parenthesi includendum censebant. sollemnem vero hanc in occursu Deorum precationem illustravit Lipsius, ad illa Senec. Epist. cxv. *Ut fas sit vidisse tacitus precatur.* Burm.

64. *Inque Dei digitis aurea virga fuit.*] Alludit ad descriptionem Virgilii lib. iv. 242. Micyl.

69. *Arbiter es formæ.*] Hoc est delectus es judex, qui de forma harum pronuncies, quænam sit pulcherrima. Micyl.

Certamina siste Dearum.] *Siste* dixit, pro, compone, et fini. *Certamina* autem pluraliter, pro certamen, *κατ' ἐναλλαγήν.* Micyl.

70. *Vincere quæ formâ digna sit una duas.*] Pronunciando. Ita autem habet fabula. Diis convivium inter se agitantibus, relicta fuerat Eris, ne quam illa contentionem aut litem sereret. Ceterum quod a præsente metuebatur, id absens illa dedit. Nam pomum aureum inscriptum, *ἡ καλὴ λαβέτω*, inter convivantes abjecit. Quod Juno, Pallas, et Venus conspicatæ, quælibet sibi vendicabant: quælibet enim harum, forma ceteris præstare sese censebat. Itaque cum ex eo certamen ortum esset, Jupiter, qui alias tamquam summus Deorum, componere illud debebat, invidiam sententiæ a se removere volens, judicium certaminis hujus ad Paridem relegavit. Atque ita secuta cetera, quæ hoc loco narrantur. Micyl.

Mens mea convaluit, subitoque audacia venit:
Nec timui vultu quamque notare meo.
Vincere erant omnes dignæ: judexque verebar,
Non omnes caussam vincere posse suam.
Sed tamen ex illis jam tunc magis una placebat:
Hanc esse ut scires, unde movetur amor.
Tantaque vincendi cura est; ingentibus ardent
Judicium donis sollicitare meum.
Regna Jovis conjux, virtutem filia jactat.
Ipse potens dubito, fortis an, esse velim.
Dulce Venus risit, Nec te, Pari, munera tangant
Utraque, suspensi plena timoris, ait.
Nos dabimus quod ames: et pulchræ filia Ledæ
Ibit in amplexus, pulchrior ipsa, tuos.
Dixit: et ex æquo donis formâque probatâ,
Victorem cœlo rettulit illa pedem.

75. *Judexque verebar*, &c.] Vere et eleganter Heinsius; *querebar*. Quum enim, ipso judice, *vincere erant omnes dignæ*, hujus peragendi a se judicii conditionem Paris *querebatur*. Unde apud Lucianum, Dial. citat: *δοκῶ δ' ἂν μοι καλῶς δικάσαι, πάσαις ἀποδοὺς τὸ μῆλον.—πῶς οὖν οὐ χαλεπή—ἡ κρίσις.*

76. *Non omnes causam vincere posse suam.*] Versus otiosus; nam si omnes dignæ erant, quæ vincerent, cur metuebat, aliquas causam suam obtinere non posse? Micyllus. Cavillatio est Micylli: si enim non omnes dignæ fuissent vincere, minime dubius et sollicitus fuisset Paris; sed inter pares forma unam præferre, hoc timidum et incertum faciebat. Burm.

78. *Hanc esse ut scires, unde movetur amor.*] Sensus est: Una me præter ceteras movebat: ex quo facile posses scire, eam esse, quæ amori præesset, hoc est Venerem: neque enim tam facile alias movisset. Micyllus.

79. *Ingentibus ardent Judicium donis sollicitare.*] *Ardent:* hoc est, vehementer cupiunt et student. *Sollicitare*, id est labefactare, et corrumpere. Micyl.

83. *Dulce Venus risit.*] Pro, suaviter. nomen pro adverbio positum. ut apud Virgil. *Indomitum furit.* Micyllus.

85. *Pulchræ filia Ledæ.*] Id est Helena, Jovis et Ledæ filia. Micyl.

86. *Pulchrior ipsa.*] Male Micyllus et Bersm. ediderunt *pulchrior illa*, ut et Aldus in priore editione; et perperam Douza probat, ex illis Propertii ii. Eleg. vi. 12.

Tibia funesta tristior illa tuba.

Concinnior erit lectio, si *probatis* reponas. Sic infra 203:

——*Collatis forma Menelaus et armis.* H.

Interea (credo, versis ad prospera fatis)
Regius agnoscor per rata signa puer.
Læta domus, nato per tempora longa recepto,
Addit et ad festos hunc quoque Troja diem.
Utque ego te cupio, sic me cupiere puellæ;
Multarum votum sola tenere potes.
Nec tantum regum natæ petiere ducumque,
Sed Nymphis etiam curaque amorque fui.
At mihi cunctarum subeunt fastidia, postquam
Conjugii spes est, Tyndari, facta tui.
Te vigilans oculis, animo te nocte videbam;
Lumina cum placido victa sopore jacent.
Quid facies præsens, quæ nondum visa placebas?
Ardebam, quamvis hinc procul ignis erat.
Nec potui debere mihi spem longius istam,
Cæruleâ peterem quin mea vota viâ.

91. *Per tempora longa.*] Pro, post tempora longa. *Per*, pro post, posita abusive. Micyllus. Lege, *post tempora longa recepto.* Heinsius. Ita et Douza et Francius: sed *per tempora* recte. vid. ad Append. Fabul. Phædr. 17. quæ notavimus. Burm.

92. *Addit et ad festos.*] Hoc est, eumque diem quo agnitus fui, pro festo celebrant. Micyllus. *Addidit ad* margo Micyll. et Bersm. *festas* Palatin. et tunc *hanc* legendum esset. Elegans vero locutio *addere ad*, qua et usus Sueton. Cæs. 24. *Ad legiones, quas a Repub. acceperat, alias addidit.* Calig. 40. *Additumque ad caput legis.* ubi frustra Heinsius volebat, *additumque id capiti.* Plaut. Cistel. ii. iii. 45. *Suas ad meas miserias addet.* et ita frequenter etiam Julius Cæsar. vid. lib. iii. de Bell. Civil. 49. et 54. et 72. et alibi. Burm.

96. *Sed Nymphis etiam curaque amorque fui.*] Nam ab Œnone amatus est, dum in sylvis et inter pastores adhuc degeret. Facit autem procorum more, qui dum ambiunt puellas, omnia sua prædicant et extollunt. Ita hic quoque pluraliter *natas ducum et regum*, et *nymphas* nominat, a quibus expetitus fuerit: cum alias de sola Œnone ex nymphis, et de Arisba Meropis filia Lesbia, de qua Stephanus meminit, legatur. Micyl.

102. *Ardebam, quamvis hinc procul.*] Quamvis ignis, hoc est tu Helena, quæ me tanquam ignis incendis atque uris, procul hinc a Phrygia abesset, tamen ardebam, id est, amore tui flagrabram. Micyllus. Puto *hinc procul*, hoc est, procul a me. et *eras;* ut per ignem Helenam, amores suos, intelligat. Virgilius iii. Eclog. 66.

At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas. Heins.

103. *Nec potui debere mihi spem longius istam.*] Nec potui spem istam,

Troïa cæduntur Phrygiâ pineta securi,
Quæque erat æquoreis utilis arbor aquis:
Ardua proceris spoliantur Gargara silvis:
Innumerasque mihi longa dat Ida trabes.
Fundatura citas flectuntur robora naves:
Texitur et costis panda carina suis.
Addimus antennas, et vela sequentia malos:
Accipit et pictos puppis adunca Deos.
Qua tamen ipse vehor, comitata Cupidine parvo,
Sponsor conjugii stat Dea picta sui.

amoris potiundi, longius differre. Micyllus.

104. *Vota mea.*] Id est Te, quam cupiebam et amabam. Micyl.

105. *Troïa pineta.*] Trojanæ silvæ. Synecdochicôs. Micyllus. In hoc scelus erat, quia illa sacra Deum matri Cybelæ. Statius v. Achil. 60.

Ille Phrygas lucos, Matris penetralia cædit
Turrigeræ, vetitasque solo procumbere pinus
Præcipitat, terrasque, freto delatus Achæas
Hospitis Atridæ spoliat thalamos.
Burm.

107. *Ardua Gargara.*] Gargara generaliter τὰ ἄκρα, hoc est, summitates montium, sive vertices dicuntur. Sed hoc loco de parte, sive, colle Idæ montis accipiendum, quæ proprie hoc nomine appellatur: in cujus radicibus et oppidum ejusdem nominis fuit, cujus ager frugibus fertilis fuit. de quo idem Poëta lib. i. Art. Am. 57.

Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos.

Dicta autem Gargara, a Gargaro Jovis et Larissæ filio: ut Suidas. Micyllus. *Spoliantur.*] Eleganter; unde *nudi montes.*

108. *Longa dat Ida trabes.*] Id est arbores, ex quibus *trabes* navium fiunt. Idam autem *longam* vocat a positu: longa enim per totam Phrygiam extenditur: aliis atque aliis nominibus passim appellatur. Vel si mavis, accipe improprie *longam*, pro alta: tanta autem altitudo hujus montis, ut eodem tempore vestigia orientis solis, et ejus, qui modo occiderit, in vertice videre liceat, ut quidem Mela auctor est. Micyllus. Non hoc Mela, i. 18. sed, a media jam nocte spargi ignes passimque micare; et ut lux appropinquat, ita coire ac se conjungere videri, donec magis, magisque collecti pauciores subinde, et una ad postremum flamma ardeant, &c.—Frustra hæc omnia; transmisso etenim a trabibus *longis*, ad ipsum montem epitheto, venia utitur Naso, quam poetis libenter concedimus. Amar.

111. *Vela sequentia malos.*] Hoc est pendentia de malis. Micyl.

114. *Sponsor conjugii sui.*] Elegantissime Dii *sponsores* dicuntur rei, quam promittunt. Epist. ii. 34. de Hymenæo:

Qui mihi conjugii sponsor et obses erat.

Senec. Epist. lxxxii. *Desiste jam de te esse sollicitus. Quem, inquis, Deorum sponsorem accepisti?* Unde egregie Tristanus tom. i. Comment. Hist. p. 715. illustrat nummum Commodi, in

Imposita est factæ postquam manus ultima classi;
Protinus Ægæis ire jubebar aquis.
Et pater et genetrix inhibent mea vota rogando,
Propositumque piâ voce morantur iter.
Et soror effusis, ut erat, Cassandra capillis,
Cum vellent nostræ jam dare vela rates;
Quo ruis? exclamat; referes incendia tecum;
Quanta per has, nescis, flamma petatur aquas.
Vera fuit vates, dictos invenimus ignes:
Et ferus in molli pectore flagrat amor.
Portubus egredior; ventisque ferentibus usus
Adplicor in terras, Œbali Nympha, tuas.
Excipit hospitio vir me tuus. hoc quoque factum
Non sine consilio numinibusque Deûm.

quo I. O. M. Spons. Sec. Aug. plenius vero est *spondere*, quam *promittere*. Statius ii. Achil. 284.

Solatur juratque fidem; jurataque fletu
Spondet, et ingentes famulas, captumque reversus
Ilion, et Phrygiæ promittit munera Gazæ.

Sponsorem vero, ut plurima talia, *auctor*, *successor*, *signator*, feminino genere dici, docuit jam Scalig. ad Manil. lib. v. vers. 632. de Venere autem et Cupidine, tutelaribus navis Paridis numinibus, vide Meurs. ad Lycophr. 110. *Comitata* vero *Cupidine parvo* etiam occurrit lib. ii. Fastor. 463. Burm.

116. *Ægæis ire jubebar aquis.*] Per Ægeum mare in Græciam ire jubebar, a meis fatis scilicet, aut consiliariis. nam parentes et propinqui vetabant, ut sequitur. Micyllus. A quibus autem jubebatur? A parentibus certe inhibitum sequenti versu ait. Priscæ editiones *jubebat*. Scribe *lubebat* vel *juvabat*. nam hæc duo verba sæpe confunduntur in libris vetustis. Heinsius. Ego nihil muto. *Jubebar* scilicet a Venere sponsore, qua duce et auspice ingressum se mare ait. *Jubebat* erat in Veneta una editione. Burmannus.

120. *Cum vellent nostræ jam dare vela rates.*] Illud *nostræ* friget hoc loco. Rectius legatur *properæ*. Vel:

Cum vellem nostræ jam dare vela rati. Heins.

123. *Dictos ignes.*] Hoc est te, quæ me ardere facis. Micyllus. *Dictos*, id est prædictos a vate. vid. ad Epist. v. 33.

126. *Œbali Nympha.*] De Helena et Laconica dictum accipio, ac Nympham pro puella generaliter poni puto. *Œbalidem* autem vocat ab avo Œbalo Tyndari patre. Micyl.

127. *Hoc quoque factum*, &c.] Color Rhetoricus. transfert enim ad voluntatem Deorum, quod hominis consilio factum erat, movendi caussa scilicet. Micyllus. Conjecerat Heinsius, *concilio*. sed nihil mutandum: *consilium* enim hic voluntatem et men-

Ille quidem ostendit, quidquid Lacedæmone totâ
  Ostendi dignum, conspicuumque fuit.
Sed mihi laudatum cupienti cernere formam,
  Lumina, nil aliud, quo caperentur, erat.
Ut vidi, obstupui; præcordiaque intima sensi
  Attonitus curis intumuisse novis.
His similes vultus, quantum reminiscor, habebat,
  Venit in arbitrium cum Cytherêa meum.
Si tu venisses pariter certamen in illud;
  In dubium Veneris palma futura fuit.

tem Deorum notat. Valer. Flac. v. 254.

Caucaseis cum lapsus montibus anguis
Non sine mente Dei.

Virgil. v. Æneid. 56.

Haud equidem sine mente, reor, sine numine divûm
Adsumus, et portus delati intramus amicos.

Et ita passim res opponuntur, quæ *consilio* et quæ *casu* accidunt. Burm.

131. *Laudatam.*] Potest explicari, a Venere mihi laudatam et commendatam, sed magis est, ut in genere notet pulcherrimam. Quinctil. Decl. xix. 4. *Verberibus, ignibus laudatos vultus, velut illis irasceretur, opposuit.* vid. ad lib. v. Metam. 59. Burm.

132. *Lumina,* &c.] Hoc est, ille mihi ostendebat thesauros, et regni sui opes. sed lumina, sive oculi, nulla alia re adficiebantur, quam te videndo. propterea quod veneram, non ut opes illius, sed ut formam laudatam, hoc est te, cernerem. Micyl.

134. *Attonitus,* &c.] Illud *intonuisse* huic loco alienum est. Forte *indoluisse*, vel *intepuisse*. Nam Micylli illud *intumuisse* parum placet. Heinsius. Neque in Micylli notis, neque textu illud *intumuisse* repperi. quod tamen impense placet, præ reliquis: in affectionibus enim vehementioribus *tumere* pectus, præcordia, &c. passim Poëtæ fingunt. vide ipsum Heinsium ad Valer. Flac. ii. 108. et Claud. de Bell. Getic. 330. sic Noster ii. Metam. 508.

Intumuit Juno.

Et iv. Pont. xiv. 34.

Intumuit vati nec tamen Ascra suo.

Valer. Flac. vi. 2.

At vigil ísdem ardet Furiis Gradivus, et acri
Corde tumet.

Et ita ille aliquoties. vid. ad Ep. vii. 121. Francius malebat, *intremuisse.* Burm.

136. *Venit in arbitrium,* &c.] Hoc est, ipsa Venus, cum stetit ante me judicem nuda. ita enim fabula traditur. *Cytherea* autem Venus dicitur a Cytheris, apud quam insulam primum e mari emersit, ut Hesiodus auctor est. Micyl.

137. *Si tu venisses.*] Hinc colorem duxit Seneca in Hippol. 661.

Si cum parente Creticum intrasses fretum,
Tibi fila potius nostra nevisset soror.
Burm.

138. *In dubium.*] *In dubio* malit Micyllus. Ego ἀρχαϊσμὸν hunc non temere loco moveam, minime ignarus elegantiæ studiosos auctores *in* cum

Magna quidem de te rumor præconia fecit,
Nullaque de facie nescia terra tua est,
Nec tibi par usquam Phrygiâ, nec Solis ab ortu
Inter formosas altera nomen habet.
Credis et hoc nobis? minor est tua gloria vero:
Famaque de forma pene maligna tua est.
Plus hic invenio, quam quod promiserit illa:
Et tua materia gloria victa sua est.
Ergo arsit merito, qui noverat omnia, Theseus:
Et visa es tanto digna rapina viro:
More tuæ gentis nitida dum nuda palæstra
Ludis; et es nudis femina mixta viris.

casu quarto frequenter conjunxisse loco sexti. exempla passim sunt obvia. HEINSIUS. Defendit quoque et illustrat hanc locutionem diligentissimus Passeratius ad Propertii lib. iii. Eleg. ix. in fine. et recte. *Futura* enim pro *ventura* debet capi, ut in illa locutione apud Sueton. cap. xvi. *In conspectum fuisse*, ut recte Casaubonus restituit pro *venisse*. et Modius apud Curt. vi. 5. *Ut primum res in conspectum fuit*. sic idem Curt. iii. 5. *Darium intra quintum diem in Ciliciam fore*. Cicer. xv. ad Att. 4. *Quo die in Tusculanum eram futurus*. in *dubium* vero *venire*, de judiciis proprie dicitur. ita Quinctil. Decl. cccxviii. *Ne jus quidem dubium erat, etiam antequam venirem in dubium*. ubi vide. BURM.

141. *Nec tibi par usquam Phrygiæ.*] Lego, *Phrygia*, hoc est in Phrygiâ. Ante *Phrygiam* legebatur. Quod imperitissime defendit ad Silium Dausquejus. p. 231. *Usquam Phrygiæ* Naugerii conjectura est. Sed vix persuadet, *usquam Phrygiæ*, ut *usquam locorum*, Latine posse dici. forte etiam melius, *primo nec solis ab ortu*. HEINSIUS. Francius conjecerat: *Par omni in Phrygia*; ego, *usquam Phrygia*, recte legi hic puto; debet enim præpositio *a* repeti a sequentibus. ut Epist. vi. 107.

Illa sibi Tanai, Scythiæque paludibus udæ
Quærat, et a patria Phasidos usque virum.

i. Art. Am. 723.

———*Æquoris unda*
Debet, et a radiis sideris esse niger.

xii. Metam 125.

Inde, velut muro solidave a caute repulsa est. BURM.

149. *More tuæ gentis nitida dum nuda palæstra Ludis, et es nudis femina mista viris.*] Virginibus Lacænis studio fuit palæstra. Cicer. lib. ii. disp. Tuscul. et alii. CIOFANUS. *Madida* Scriverii, quæ est glossa. sed *nitidam* proprie dixit, quia luctatores oleo nitebant. lib. v. Fast. 667.

Læte lyræ pulsu, nitida quoque læte palæstra.

Et Horat. ii. Od. 12. *Nitidas puellas*, vocat oleo perfusas; et Auson. Epist. xiii.

Nitidæ cutis uncta juventus.

Et Stat. x. Theb. 496.

Nitidi moriens convexa magistri
Respicis.———

Quod rapuit, laudo: miror, quod reddidit umquam.
  Tam bona constanter præda tenenda fuit.
Ante recessisset caput hoc cervice cruenta,
  Quam tu de thalamis abstraherere meis.
Tene manus umquam nostræ dimittere vellent?
  Tene meo paterer vivus abire sinu?
Si reddenda fores, aliquid tamen ante tulissem:
  Nec Venus ex toto nostra fuisset iners.
Vel mihi virginitas esset libata; vel illud,
  Quod poterat salva virginitate rapi.
Da modo te; quæ sit Paridi constantia, nosces.
  Flamma rogi flammas finiet una meas.
Præposui regnis ego te; quæ maxima quondam
  Pollicita est nobis nupta sororque Jovis.
Dumque tuo possem circumdare brachia collo,
  Contemta est virtus, Pallade dante, mihi.
Nec piget; aut umquam stulte legisse videbor:
  Permanet in voto mens mea firma suo.

Et *unguento nitere*, Cicero ii. Catilin. 3. ut *nitidi capilli*, apud Horat. Ep. xiv. 32. et *nitentes*. ii. Od. vii. 6. Et ita Græci λιπαρὸν usurpant. vid. Spanh. ad Call. Hym. Apoll. 39. Burm.

153. *Recessisset.*] Imitationem esse illius Propertiani, ii. vi. 7.

Nam citius paterer caput hoc discedere collo,

notavit Douza.

157. *Ante tulissem.*] *Inde* Oxoniensis. venuste. ut Epist. seq. 25.

Non tamen e facto fructum tulit ille petitum. Burm.

164. *Pollicita est nobis.*] *Pollicitæ nobis.* Puteaneus. Heinsius. Francius illud, *nobis nupta*, κακόφωνον censebat, et ideo conjiciebat, *magni nupta sororque Jovis.*

166. *Dante mihi.*] In codice Douzæ sequebatur distichon hoc:

Primaque cum regnum, belli daret altera laudem,
Tertia, conjugii laude frueris, ait.

167. *Stulte elegisse videbor.*] *Legisse* Puteaneus et quinque alii. quod versum utique molliorem præstat. *Legere*, pro eligere. *fatebor* etiam tres codices:

Cum Venus, et Juno, Pallasque in vallibus Idæ
Corpora judicio supposuere meo.

Hoc distichon a Puteaneo aliisque melioribus abest. In quorundam margine manu recentiori adscriptum legitur. Sed tollendum est. Cum enim judicium suum luculentis versibus paulo ante copiose recensuerit, quid opus ejusdem rei denuo meminisse?

Spem modo ne nostram fieri patiare caducam;
Te precor, ô tanto digna labore peti.
Non ego conjugium generosæ degener opto:
Nec mea (crede mihi) turpiter uxor eris.
Pliada, si quæres, in nostra gente, Jovemque
Invenies: medios ut taceamus avos.
Sceptra parens Asiæ, qua nulla beatior ora,
Finibus immensis vix obeunda, tenet.
Innumeras urbes, atque aurea tecta videbis:
Quæque suos dicas templa decere Deos.
Ilion adspicies, firmataque turribus altis
Mœnia, Phœbêæ structa canore lyræ.
Quid tibi de turba narrem numeroque virorum?
Vix populum tellus sustinet illa suum.
Occurrent denso tibi Troades agmine matres:
Nec capient Phrygias atria nostra nurus.

Ex Moreti et duobus aliis mallem, *fatebor.* quod cum sequentibus melius cohæret. eadem varietas observatur in codicibus lib. vii. Met. 33.

Tum ferrum et scopulos gestare in corde fatebor.

Et ii. Pont. iii. 29.

Cumque alii nolint etiam me nosse videri.

Ubi codices nonnulli, *fateri. Haud unquam* editiones priscæ et Bersmanni cum Puteaneo codice. BURM.

168. *Mens mea firma.*] *Et manet in voto mens mea certa* Lovaniensis. ut Epist. xviii. 38.

Quid mecum certa prælia mente geris?

Posset et, *mens mihi.* vide Epist. xiii. 148. BURM.

173. *Si quæras.*] *Pliada si quæres,* Puteaneus. HEINSIUS. Vide Epist. iii. 115. et vi. 123. iii. Metam. 141.

Pleïada si quæras.] *Pliada si quæres* Puteaneus. *Idem. Pliada.*] Suæ genealogiæ vetustatem repetit a Jove et Electra. Nam Jupiter concubuit cum Electra filia Atlantis, quæ fuit una ex septem Pleiadibus, quæ in cœlum inter stellas translatæ sunt: et ex ea genuit Dardanum, a quo Trojani originem et nomen ducunt. *Plejada,* id est, Electram: quæ ita dicta est, vel a Pleione matre, vel a πλέω, Græce navigo: quia navigantes solent Plejadas ipsas observare.

174. *Medios avos.*] Id est, qui sunt inter Jovem et nos. Intelligit Erichthonium, Troëm, Ilum, Assaracum, Capym, et reliquos.

178. *Decere.*] *Dicare* erat in Puteaneo, vitio Correctoris a manu secunda. i. Fast. 223.

Nos quoque templa juvant, quamvis antiqua probemus,
Aurea, majestas convenit ista Deo.

BURM.

O quoties dices, Quam pauper Achaïa nostra est!
  Una domus quasvis urbis habebit opes.
Nec mihi fas fuerit Sparten contemnere vestram.
  In qua tu nata es, terra beata mihi est.
Parca sed est Sparte: tu cultu divite digna es.
  Ad talem formam non facit iste locus.
Hanc faciem largis sine fine paratibus uti,
  Deliciisque decet luxuriare novis.
Cum videas cultum nostra de gente virorum;
  Qualem Dardanidas credis habere nurus?
Da modo te facilem: nec dedignare maritum,
  Rure Therapnæo nata puella, Phrygem.
Phryx erat, et nostro genitus de sanguine, qui nunc
  Cum Dîs potandas nectare miscet aquas.
Phryx erat Auroræ conjux. tamen abstulit illum
  Extremum noctis quæ Dea finit iter.
Phryx etiam Anchises, volucrum cui mater Amorum
  Gaudet in Idæis concubuisse jugis.
Nec, puto, collatis forma Menelaus et annis,
  Judice te, nobis anteferendus erit.

185. *O quoties.*] *Ah quoties,* Oxoniensis. vid. Epist. ix. 79. et infr. vers. 239. 241. et Epist. xvii. 81. Metam. iii. 375. et x. 661. ubi fere similiter peccatur. Heinsius. Puteaneus et Francof. *Ha quoties.*

186. *Una domus quævis.*] *Quasvis,* Gottorph. bene; nisi *quamvis* malis. forte etiam *orbis,* pro *urbis.* Heinsius. *Quamvis* est in Francof. quod malebat etiam Francius. est vero imitatio Euripidis ex Oreste 1114.

Ὥσθ' Ἑλλὰς αὐτῇ σμικρὸν οἰκητήριον.
Burm.

196. *Phrygem.*] Hanc invidiam deprecari debebat, ne obstaret amori suo gentis vilitas. maxime enim Græci Phrygas despiciebant, ut ex Proverbiis pluribus constat. qualia ex Suida collegit Schottus Centur. xiv. n. 45. et 46. et Apostolius Centur. xx. 36. et 37. et alii. codices vero quidam, *Theramnæo,* habent, ut et apud Statium iii. Theb. 422. et vii. 793. variat scriptura. sic et *Therapnæum Pollucem* Apollon. dicit lib. ii. 163. Burm.

201. *Phryx erat Anchises.*] Statius i. Silv. ii. 187.

Unde novum Trojæ decus, ardentumque deorum
Raptor erat, Phrygio si non ego juncta Marito?

Phryx etiam Anchises editiones priores, et Francof. et omnes fere codices. duo vero, Bersm. et Douzæ codex, *erat.*

203. *Collatis forma Menelaus et ar-*

Non dabimus certe socerum tibi, clara fugantem
  Lumina; qui trepidos a dape vertat equos.
Nec pater est Priamo soceri de cæde cruentus;
  Et qui Myrtoas crimine signet aquas.
Nec proavo Stygia nostro captantur in unda
  Poma, nec in mediis quæritur humor aquis.
Quid tamen hoc refert, si te tenet ortus ab illis?
  Cogitur huic domui Jupiter esse socer.
Heu facinus! totis indignus noctibus ille
  Te tenet; amplexu perfruiturque tuo.
At mihi conspiceris posita vix denique mensa.
  Multaque, quæ lædant, hoc quoque tempus habet.
Hostibus eveniant convivia talia nostris,
  Experior posito qualia sæpe mero.

mis.] *Et annis* Puteaneus et alii quidam. de armis postea agetur:

Nec plus Atrides animi Menelaus habebit,
Quam Paris; aut armis anteferendus erit. Heins.

Francofurtensis, Lovanienses duo, Douzæ et aliquot alii, *collatus*, ut et editiones quædam veteres, quod nescio an temere repudiandum. certe ii. Amor. xvii. 13. dixit:

Collatam idcirco tibi me contemnere debes.

Stat. vii. 734. quamvis paullum alia significatione:

——*Fas et mihi spernere Phœbum,*
Si tibi collatus Divûm sator.

Ubi notat, tibi comparatus certavit. *in annis* vero multi codices. Burm.

205. *Tibi clara fugantem.*] Francius tentabat, *tua Phœbe*, vel, *Phœbea. Clara fugantem sidera* Lovan. et Palat.

206. *Qui trepidos a dape vertat equos.*] Lego, *cui trepidos Sol dape vertat equos*. Non enim exprimit vulgata scriptura, cujus equi a dape vertantur. Nota est fabula. Propert. iii. 21.

Non fugis Ausonias, Phœbe fugate, dapes. Heins.

Nec tremis Ausonias est in Propertio. an voluerit ita legi, an memoria fefellerit, nescio.

A dape.] A convivio suo scelerato. Dicit ergo: Non dabo tibi talem socerum, qualis fuit Atreus, qui humanas dapes fratri apponat.

207. *Nec pater est.*] Id est, nec pater Priami, avus meus, socerum suum interfecit, sicut Pelops avus Menelai.

208. *Et qui Myrtoas.*] Id est, Nec dabimus avum, qui aliquem in mare præcipitaverit: sicut Pelops Myrtilum aurigam Hippodamiæ, quo favente eam vicerat, in mare præcipitavit, a quo mare Myrtoum dictum est.

209. *Nec proavo.*] Tantalus proavus Menelai et Pelopis pater.

Pœnitet hospitii, cum, me spectante, lacertos
Imposuit collo rusticus iste tuo.
Rumpor, et invideo (quid enim tamen omnia nar-
Membra superjecta cum tua veste fovet. [rem:)
Oscula cum vero coram non dura daretis ;
Ante oculos posui pocula sumta meos.
Lumina demitto, cum te tenet artius ille:
Crescit et invito lentus in ore cibus.
Sæpe dedi gemitus: et te, lasciva, notavi
In gemitu risum non tenuisse meo.
Sæpe mero volui flammam compescere: at illa
Crevit; et ebrietas ignis in igne fuit.
Multaque ne videam, versa cervice recumbo;
Sed revocas oculos protinus ipsa meos.
Quam faciam dubito. dolor est meus illa videre;
Sed dolor a facie major abesse tuâ.
Qua licet et possum, luctor celare furorem:
Sed tamen adparet dissimulatus amor.
Nec tibi verba damus: sentis mea vulnera, sentis.
Atque utinam soli sint ea nota tibi!

220. *Imponit collo.*] Τὸ *iste* contemtum præ se fert. sic Ajax lib. xiii. Met. quoties loquitur de Ulysse, fere semper subjungit Τὸ *Iste.* ubi plura. Heins.

222. *Superjecta veste.*] Theocrit. simile quid in Epithal. Helenæ.—ὑπὸ τὰν μίαν ᾤλετο χλαῖναν. Id. 18. v. 19. vide Amor. i. Eleg. 5. v. 48.

226. *Crescit et invito lentus in ore cibus.*] Juvenalis, Sat. xiii. 212.

———*Interque molares*
Difficili crescente cibo. Heins.

Senec. Ep. lxxxii. *non in ore crevit cibus, non hæsit in faucibus.* non absimile istud Statianum Theb. v. 208.

——*Altaque in mole tapetum,*
Efflantem somno crescentia vina.

Imitatus hoc Josephus Iscanius bel. Troj. lib. ii. 153.

Et lacrimas bibit ipse suas, segnique morantes
Crescentesque cibos gustu jejuna fatigat. Burm.

230. *Ignis in igne.*] Πῦρ ἐπὶ πυρί. Ciof.

231. *Versa.*] Liber Leidensis, *flexa*: ut statim vers. 239. Stat. Achil. ii. 185. *Cervice reflexa.* et Claud. lib. i. de rapt. vers. 155. ex MSS. Silius lib. iv. 343. *poplite flexo.* Heinsius. vid. v. Met. 232.

235. *Qua licet et possum.*] Helmæstadiensis, *ut possum,* non male, id est quantum possum. Heins.

Ah quoties, lacrimis venientibus, ora reflexi,
Ne caussam fletûs quæreret ille mei!
Ah quoties juvenum narravi potus amores,
Ad vultus referens singula verba tuos!
Indiciumque mei ficto sub nomine feci.
Ille ego, si nescis, verus amator eram.
Quin etiam, ut possem verbis petulantius uti,
Non semel ebrietas est simulata mihi.
Prodita sunt (memini) tunica tua pectora laxa,
Atque oculis aditum nuda dedêre meis;
Pectora vel puris nivibus, vel lacte, tuamque
Complexo matrem candidiora Jove.
Dum stupeo visis, (nam pocula forte tenebam)
Tortilis e digitis excidit ansa meis.
Oscula si natæ dederas; ego protinus illa
Hermiones tenero lætus ab ore tuli.
Et modo cantabam veteres resupinus amores:
Et modo per nutum signa tegenda dabam.

239. *Lacrimis venientibus.*] Francius volebat, *orientibus*, vel *manantibus*, perperam: lib. i. Art. 661.

Si lacrimæ, nec enim veniunt in tempore semper,
Deficiunt.——— Burm.

241. *O quoties aliquem narravi potus amorem.*] *O quoties juvenum* Puteaneus pro diversa lectione. quomodo et alii nonnulli. decem scripti, *juvenum amores*. et recte. Τὰ παιδεράστικα innuit. sic apud Maron. Æneid. x. 324.

Tu quoque flaventem prima lanugine malas
Dum sequeris Clytium, infelix, nova gaudia, Cydon,
Dardania stratus dextra, securus amorum,
Qui juvenum tibi semper erant, miserande, jaceres.

Hoc vult, sub pæderasticis se amoris sui narrationem occuluisse. Heinsius. sic Cicer. iv. Tusc. 33. dicit Alcæum, *de juvenum amoribus scripsisse*.

250. *Jove.*] Vossianus *Cygno*. sic et Horatius primam in *Cygno* corripit. vide quæ noto lib. vii. Met. fabula Prognes. Heinsius. Lucian. in Judicio Dearum, de Helena: λευκὴ μὲν, οἵαν εἰκὸς ἐκ κύκνου γεγενημένην. Burm.

252. *Excidit.*] MSS. duo *decidit*. forte *recidit*. vid. ad Ep. xiv. 46. sed vulgata hic retineri potest. Petron. 34. *Ceterum inter tumultus, cum forte parapsis excidisset, et puer jacentem sustulisset.* ubi vide notata. Burm.

256. *Signa tegenda.*] *Legenda* excerpta Gallicana. quod et Slichtenhorstio in mentem venerat. sed male. Epist. seq. 82. *tecta signa*.

Et comitum primas, Clymenen Æthramque, tuarum
Ausus sum blandis nuper adire sonis.
Quæ mihi non aliud, quam formidare, locutæ,
Orantis medias deseruere preces.
Dî facerent, magni pretium certaminis esses;
Teque suo victor posset habere toro.
Ut tulit Hippomenes Schœneïda, præmia cursus,
Venit ut in Phrygios Hippodamia sinus;
Ut ferus Alcides Acheloïa cornua fregit,
Dum petit amplexus, Deïanira, tuos;
Nostra per has leges audacia fortior isset:
Teque mei scires esse laboris opus.
Nunc mihi nil superest, nisi te, formosa, precari;
Amplectique tuos, si patiare, pedes.
O decus, ô præsens geminorum gloria fratrum;
O Jove digna viro, ni Jove nata fores!
Aut ego Sigêos repetam te conjuge portus:
Aut ego Tænaria contegar exsul humo.

257. *Clymenen Æthramque.*] Menelai affines fuisse testatur Dictys Cretensis, unaque a Paride cum Helena avectas, et post captum Ilium sorte ducta Demophoonti atque Acamanti Thesidis obtigisse præmium militiæ diuturnæ, sed Mnestheo Athenas remeanti cessisse tamen, Thesidis inde exclusis atque exulare jussis. Idem Dictys initio libri vi. Clymenem Æthræ filiam fuisse innuit. Heins.

263. *Hippomenes.*] Onchesto Neptuni filio natus est Megareus, qui filium habuit Hippomenem. Is Atalantam Schœnei filiam cursu superasse traditur, a Venere adjutus, quæ illi tria poma ex hortis Hesperidum dedit: quibus projectis, puellæ cursum impedivit. Vide Ovid. lib. 10. Metam.

264. *Venit ut.*] *Venerat in* Schott. ii. Observ. cap. 53. Alii libri hunc versum sic habent, *Quæ propero cursu vicerat ante procos.* sed frustra. Heinsius. In quibusdam interjectus erat etiam alius:

Sic et tu Phrygias venies regina per urbes,
Venit ut in Phrygios Hippodamia sinus.

Quem utrumque Bersmannus expressit, sed subdititios videri notavit.

267. *Audacia fortiter isset.*] Alii *victoria.* Vossianus, *audacia fortior.* placet. Heinsius. Ita Epist. xviii. 84. quidam:

Fortior in summas erigor altus aquas.

Ubi etiam *fortitur* vulgo. *Victoria* etiam, quod multi libri pro *audacia* habent, non temere repudiandum. ita *ire triumphus* dicitur Ep. vii. 154. et alibi.

Non mea sunt summa leviter destricta sagitta
  Pectora: descendit vulnus ad ossa meum.
Hoc mihi, (nam repeto) fore ut a cœleste sagitta
  Figar, erat verax vaticinata soror.
Parce datum fatis, Helene, contemnere amorem:
  Sic habeas faciles in tua vota Deos.
Multa quidem subeunt: sed coram ut plura loqua-
  Excipe me lecto, nocte silente, tuo. [mur,
An pudet, et metuis Venerem temerare maritam,
  Castaque legitimi fallere jura tori?
Ah nimium simplex, Helene, ne rustica dicam,
  Hanc faciem culpa posse carere putas!
Aut faciem mutes, aut sis non dura, necesse est.
  Lis est cum forma magna pudicitiæ.

275. *Districta.*] *Destricta* legendum. vide Amplissimi Cuperi Observ. lib. iv. obs. 5. Stat. i. Silv. ii. 79.

Ast illum summâ leviter (sic namque jubebas)
Lampade, parcentes, et inermi strinximus arcu.

Et viii. Theb. 532.

Qualis setigeram Lucanâ cuspide frontem
Strictus aper.———

Adscripsit Douza locum Senec. Contro. vii. *Ut destricta levi vulnere est cutis, non credas factum manu privigni, credas amatoris.* Burm.

279. *Parce datum fatis.*] Lego, *ratum fatis.* sic Cicero lib. vii. Ep. Famil. Gallo: *Quæ emisse te rescribis, non solum mihi rata erunt, sed etiam grata.* plura ad Senecæ Tragœd. Heinsius. Multum dubito, an ubique fas sit illud *ratum*, quod Heinsio in deliciis fuit, invitis etiam membranis, intrudere. cum altera locutio sit optima et frequens. Lucan. vii. 544.

It timor, et fatis datus est pro Cæsare cursus.

Virgil. iv. Æneid. 225.

Fatisque datas non respicit urbes.

Livius xxx. 30. *Si hoc ita fato datum erat, ut qui,* &c. Valer. Flac. viii. 397.

Namque datum hoc fatis trepidus supplexque canebat
Mopsus.———

Qui et ita *sorte datum* dixit. lib. iv. 704.

———*Heu quis datus iste Deorum*
Sorte labor nobis?———

Et ita alii sæpe. vid. Ep. xv. 82. Burm.

284. *Fallere jura.*] Elegantior mihi lectio Moreti codicis videtur, *solvere.* cujus glossam *fallere* credo. *Fallere* enim *fidem* recte dicitur, vid. ad Epist. vii. 18. sed *jura* melius *solvere* dicimur. ita *solvere legem* Valer. Max. vi. v. ex. ult. et *disciplinam* Livius viii. 7. et *morem* cap. 4. Virgil. ii. Æneid. 157.

Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura.

Pro *tori* multi etiam *viri.* vid. sup. Ep. v. vers. 78. et xix. 100. Burm.

Jupiter his gaudet, gaudet Venus aurea furtis.
Hæc tibi nempe patrem furta dedêre Jovem.
Vix fieri, si sunt vires in semine avorum,
Et Jovis et Ledæ filia, casta potes.
Casta tamen tum sis, cum te mea Troja tenebit:
Et tua sim, quæso, crimina solus ego.
Nunc ea peccemus, quæ corrigat hora jugalis:
Si modo promisit non mihi vana Venus.
Sed tibi et hoc suadet rebus, non voce, maritus:
Neve tui furtis hospitis obstet, abest.
Non habuit tempus, quo Cressia regna videret,
Aptius. ô mirâ calliditate virum!
Ivit, et, Idæi, mando tibi, dixit iturus,
Curam pro nobis hospitis, uxor, agas.
Negligis absentis (testor) mandata mariti:
Cura tibi non est hospitis ulla tui.
Hunccine tu speres hominem sine pectore dotes.
Posse satis formæ, Tyndari, nosse tuæ?
Falleris: ignorat. nec, si bona summa putaret
Quæ tenet, externo crederet illa viro.

298. *Sui.*] *Tui* Regius. ut mox v. 304. rectius. quasi ipse Menelaus Parida magis uxoris suæ, quam suum hospitem existimasset. Burm.

302. *Curam agas.*] Quinque libri *habe.* sed male. Trist. lib. v. El. vii. 38.

——— Curamque futuri
Nominis, utilius quod latuisset, ego. Heins.

Virgil. Culic. 98.

Talibus in studiis, baculo dum nixus, apricas
Pastor agit curas.

Et hinc nihil moverem xiii. Metam. 371.

Proque tot annorum curis, quas anxius egi.

Nec ix. Metam. 107. *Curas pro conjuge agentem.* Livius ii. 48. *Neque bella, neque delectus, neque ullam aliam priorem curam agere.* et viii. 3. *Tamquam de Samnitibus, non de se curam agerent.* xxiv. 27. *Qui curam cum Prætoribus de renovando fœdere agerent.* Senec. i. contr. 3. *An dii immortales humanarum rerum curam agant.* leg. i. C. de Offic. Magistr. Officior. *Principatum adipiscatur matricula. decurrente, ita ut ad curas agendas et cursum illi exeant, quos ordo militiæ vocat.* Plura vide ad Quinctil. v. Inst. Orat. 6. Burm.

303. *Mariti.*] *Tyranni*, id est regis, margo Bersmanni. et ita plurimi scripti.

307. *Bona summa.*] Ita excerpta Gallicana et Editio Colinæi. quod

Ut te nec mea vox, nec te meus incitet ardor;
Cogimur ipsius commoditate frui.
Aut erimus stulti, sic ut superemus et ipsum,
Si tam securum tempus abibit iners.
Pene suis ad te manibus deducit amantem.
Utere non vafri simplicitate viri.
Sola jaces viduo tam longâ nocte cubili;
In viduo jaceo solus et ipse toro.
Te mihi, meque tibi communia gaudia jungant.
Candidior medio nox erit illa die,
Tunc ego jurabo quævis tibi numina; meque
Adstringam verbis in sacra jura tuis.

convenientius Paridi, se insinuanti in amorem Helenes, et qui non *magna*, sed *summa* bona putaret, tenere Helenam. sic Juven. Sat. v. 2.

Ut bona summa putes aliena vivere quadra.

Sic Epist. seq. xvii. 132.

Me visam præmia summa tibi.

Ubi etiam codices nonnulli *magna*. unice huc facit locus Terentii Andr. iv. iii. *Dii vestram fidem; summum bonum esse heræ putavi hunc Pamphilum.* ita et iii. Am. ix. 27. pro *summa dies*, alii codices *magna*. Pentametrum ita exhibent Bernensis et Lovaniensis, *Crederet externo, quæ tenet ille, viro.* quod *tenet* alter Bersm. *ille* vero plurimi habent. Burm.

313. *Pæne suis manibus ad te deduxit amantem.*] Proprie. Cicero iii. Act. in Verr. 34. *Hic est Docimus, ad quem iste deduxerat Tertiam, Isidori Mimi filiam.* et ipse iv. Fast. 153.

Cum primum cupido Venus est deducta marito.

Tibullus iii. iv. 31.

Ut juveni primum virgo est deducta marito.

Papinianus jurisconsultus leg. dotis promissio lx. D. de jure dot. *Etsi minor annis duodecim, ut major deducta sit, tunc primum petatur, cum major annis apud eumdem esse cœperit.* Ciofanus. Scribe cum antiquis et melioribus:

Pene suis ad te manibus deducit amantem. Heins.

Locutio videtur vulgi usu tritissima, etiam in aliis rebus, Valer. Max. i. viii. ext. 18. *Non magis quam quod ita silvestres capreas, Cretæ genitas, tantopere dilexerit,* (Natura) *quas sagittis confixas ad salutare auxilium herbæ dictamni, tantum non suis manibus deducit. Deducere* vero nuptiale verbum. vid. ad Ep. ix. 121. 111. Fast. 689. iv. 153. et Passerat. ad Propert. iv. 3. et aptum etiam conciliaturæ. ut Cicer. iii. Verr. 34. Suet. Cæs. 50. et alii. sicut hic recte Douza notavit, lenonum esse et lenarum, ex Tibulli i. 7.

Hæc mihi te adduxit tenebris, multoque timore
Conjungit nostras clam taciturna manus.

Ubi rectius legit, *hæc me deducit*, Broukhusius. Burm.

320. *Adstringam verbis in sacra jura meis.*] Scripti plerique, *tua jura*,

Tunc ego, si non est fallax fiducia nostri,
  Efficiam præsens, ut mea regna petas.
Si pudet, et metuis, ne me videare secuta;
  Ipse reus sine te criminis hujus agar.
Nam sequar Ægidæ factum, fratrumque tuorum.
  Exemplo tangi non propiore potes.
Te rapuit Theseus; geminas Leucippidas illi:
  Quartus in exemplis adnumerabor ego.
Troïa classis adest armis instructa virisque.
  Jam facient celeres remus et aura vias.
Ibis Dardanias ingens regina per urbes:
  Teque novam credet vulgus adesse Deam.

tua jussa, vel *tua verba*. In Puteaneo vetus lectio erat erasa. *Verbis in rata jura tuis* videtur scribendum. certe in quinque scriptis legebatur, *verbis tuis. tuis verbis*, quia tu mihi præscribes jurisjurandi formulam, qua tibi addicar. hinc *jurare in alicujus verba*, sacramentum alicui dicere. Par huic jurisjurandi formula Amor. lib. iii. Eleg. ii.

Per Superos juro testes, pompamque deorum,
Te dominam nobis tempus in omne peti.

De *jure* dixi Epistola iii. sub finem. possint tamen et *sacra jura* ferri pro sacratis. ut apud Virgilium ii. Æneid. 157.

Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura. Heins.

323. *Secuta.*] Quod infame, unde *mulieres secutulejæ*. vide quæ notavimus ad Petron. cap. lxxxi. Burm.

326. *Non propiore.*] Puto legendum *num*; ut sæpe alibi. inf. vers. 363.

327. *Geminas Leucippidas illi.*] Ambas Leucippi filias rapuerunt Castor et Pollux: quarum nomina fuerunt Ilaira, et Phœbe. Apollodor. lib. iii. Ciof.

328. *In exemplis annumerabor ego.*] *Annumerari exemplis* Latinum est. alterum Latinitas vix admittit. Subscribo igitur sex exemplaribus, quæ *enumerabor* præferunt. nisi malis:

Quartus ut exemplis annumerarer ego.

Sic Elegia de Nuce 177. *Annumerare fructus colono. vel jam numerabor*, aut, *en numerabor*. Heinsius. Ego nihil muto; cum Latinitatis ratio salva sit, ipso Ovidio sponsore, qui lib. v. Trist. iv. 20.

——————— *Cujus*
Se quoque in exemplis annumerare solet.

Cicero accedit pro Rosc. Amer. cap. 32. *Verum ego forsitan propter multitudinem patronorum in grege annumerer*; immo *enumerare in exemplis*, minime Latine dici, auctor est locupletissimus Cl. Grævius ad Cicer. Paradox. i. ubi forte etiam legendum: *Bias, qui annumeratur in septem*. vulgo *enumeratur*, Grævus *numeratur* præfert ex Pithœano codice: vim vero hujus verbi eleganter illustravit Schultingius ad Senecæ Suasoriam ii. Burm.

332. *Teque novam credet vulgus adesse Deam.*] Hunc titulum sumsere

Quàque feres gressus: adolebunt cinnama flammæ,
Cæsaque sanguineam victima planget humum,
Dona pater fratresque, et cum genetrice sorores,
Iliadesque omnes, totaque Troja, dabunt.
Hei mihi! pars a me vix dicitur ulla futuri.
Plura feres, quam quæ litera nostra refert.
Nec tu rapta time, ne nos fera bella sequantur;
Concitet et vires Græcia magna suas.
Tot prius abductis, dic quæ repetita per arma est?
Crede mihi, vanos res habet ista metus.
Nomine ceperunt Aquilonis Erechtida Thraces:
Et tuta a bello Bistonis ora fuit.

quædam eximia vanitate mulieres. ita Cleopatra Θεὰ νεωτέρα et καινὴ in nummis, et apud Plutarchum in vita Antonii, Ἶσις νεά. vid. Vaill. de nummis Ægypti regum pag. 589. exemplo nimirum Dearum. ita enim Proserpina νέη Δηώ. de qua vid. Spanhem. ad Call. Hym. in Cerer. v. 133. ubi alia exempla habes de Imperatorum uxoribus: et ita passim *novi Dei* et *Deæ* occurrunt. sic iii. Met. 520. *Novus Liber*, ut et Antonium vocat Vellej. lib. ii. 82. Noster i. Fast. 510.

Tuque novos cœlo terra datura Deos.

Et 536.

Sic Augusta novum Julia numen erit.

iii. 693.

Ridet amatorem caræ nova Diva Minervæ.

iv. Pont. ix. 131.

Perveniant istuc et carmina forsitan illa,
Quæ de te misi cœlite facta novo.
Burm.

340. *Græcia magna.*] *Tota* Gronovii, Bernensis, et quinque alii, *mæsta* idem Gronovii pro varia lectione. certe illud *magna* suspectum est. quæ vox et cum *mæsta* est confusa lib. i. Am. x. 33. *Tota* placeret magis, nisi præcessisset modo, *totaque Troja.* an *Græcia mota*? Burm.

341. *Ecquæ est repetita per arma.*] *Ecquæ repetita per arma est* unus Regius. quod utique minus durum. Heinsius. *Ecqua est* volebat Francius. *Et quæ est* Bernensis. *Quænam est* Bersmanni editio. omnes, ut puto, frustra: nam unice arridet elegantissima lectio codicis alterius Bernensis: *Dic quæ repetita per arma est?* varie enim illo vocabulo *Dic* utuntur Poëtæ; aut in exprobrationibus, de quo vid. Brouk. ad Prop. iv. iii. 23. et iv. viii. 17. aut in superba adlocutione, vid. Serv. ad Virg. vii. Æneid. 546. præcipuus vero ejus usus in provocatione quasi, ut probaret et exemplis adfirmaret aliquid ille, cum quo agimus. fere simili modo Propert. ii. xxiii. iii.

Dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum?

Ubi Passeratius Idiotismum interrogantis cum stomacho notat. et ita sæpe Noster et alii. Burm.

344. *Et tuta.*] Francio mollius videbatur, *tuta sed a bello.*

Phasida puppe novâ vexit Pagasæus Iäson:
Læsa nec est Colchâ Thessala terra manu.
Te quoque qui rapuit, rapuit Minoïda Theseus:
Nulla tamen Minos Cretas ad arma vocat.
Terror in his ipso major solet esse periclo:
Quæque timere libet, pertimuisse pudet.
Finge tamen, si vis, ingens consurgere bellum.
Et mihi sunt vires: et mea tela nocent.
Nec minor est Asiæ, quam vestræ copia terræ:
Illa viris dives, dives abundat equis.
Nec plus Atrides animi Menelaus habebit,
Quam Paris; aut armis anteferendus erit.
Pene puer cæsis abducta armenta recepi
Hostibus: et caussam nominis inde tuli.
Pene puer vario juvenes certamine vici;
In quibus Ilioneus, Deïphobusque fuit.

345. *Pegasæus.*] *Pagasæus* bene Puteaneus et Sarravii. Epist. xviii. 175. et sic Noster alibi sæpe. Stat. i. Ach. 65. male etiam, *puppis Pegasæa* pro *Pagasæa.* vid. et Lucan. ii. 715. Silius xi. 471. Heins.

355. *Nec plus Atrides.*] Magniloquentia, cui non respondit res ipsa. Horat. i. Od. xv. *Sublimi fugies mollis anhelitu, Non hoc pollicitus tuæ.* Burm.

357. *Pene puer cæsis abducta armenta recepi Hostibus:*] *Hostes* fuere Cilices. vid. Dausquejus ad Calabr. p. 129.

358. *Et causam nominis inde tuli.*] Γενόμενος δὲ νεανίσκος, καὶ πολλῶν διαφέρων κάλλει τε καὶ ῥώμῃ, αὖθις Ἀλέξανδρος προσωνομάσθη, τοῖς ποιμνίοις ἀλεξήσας, ὅπερ ἐστὶ βοηθήσας. Apollod. iii. 12. Amar.

359. *Vario.*] *Valido* Leidensis. sed intelligit πένταθλον. Justin. vii. 2. *Alexandro tanta omnium virtutum natura ornamenta exstitere, ut etiam Olympio certamine, vario ludicrorum genere, contenderit. Vario* legendum quoque ostendit imitatio Pindari nescio cujus, in Epitome Iliados 260.

——— *Ubi nunc vires, ubi cognita nobis*
Ludorum quondam vario certamine vis est? Burm.

360. *In quibus Ilioneus, Deiphobusque fuit.*] Agitur hic de Ilioneo Phorbantis πολυμήλου filio, qui a Peneleo, dum Trojam Græci obsiderent, occisus fuit; Il. Ξ. 489. sqq. Fuit et alter Ilioneus, Trojanus idem, qui socium se Æneæ addiderat, nec eloquentiæ minus, quam bellicæ virtutis laude clarus; Æn. i. 525. vii. 212. ix. 569. *Deiphobus* Priami ex Hecuba filius, qui Helenam, exstincto Paride, duxit uxorem: quum vero Trojam Danai dolo occupassent, ipsum *egregia,* ut vocat, *conjux,* Menelao tradidit. Fortem se bello et strenuum Deiphobus gesserat: Iliad M. 94. N. 159. 402. 455. Amar.

Neve putes, non me, nisi cominus, esse timendum:
Figitur in jusso nostra sagitta loco.
Num potes hæc illi primæ dare facta juventæ?
Instruere Atriden num potes arte meâ?
Omnia si dederis; numquid dabis Hectora fratrem?
Unus is innumeri militis instar habet.
Quid valeam, nescis: et te mea robora fallunt.
Ignoras, cui sis nupta futura viro.
Aut igitur nullo belli repetêre tumultu:
Aut cedent Marti Dorica castra meo.
Nec tamen indigner pro tantâ sumere ferrum
Conjuge; certamen præmia magna movent.
Tu quoque, si de te totus contenderit orbis,
Nomen ab æternâ posteritate feres.
Spe modo non timidâ, Dîs hinc egressa secundis,
Exige cum plenâ munera pacta fide.

362. *In jusso.*] Claudianus iv. Cons. Hon. 529.

——— *Certique petitor*
Vulneris, et jussum mentiri nescius ictum. Burm.

366. *Unus is innumeri militis instar erit.*] Longe elegantius in sex codicibus, *instar habet.* Heinsius. Cicer. iii. de Of. 3. *Omnia ex altera parte collata, vix minimi momenti instar habent.*

371. *Nec tamen indigner pro tanta sumere bellum Conjuge.*] *Sumere ferrum* Puteaneus et multi alii. nec vulgatum *sumere bellum* temere tamen damnandum. Silius lib. i. 272.

Bellaque sumta viro belli majoris amore.

Scribe præterea, *Nec tamen indigner.* ne indigner pro te pugnare facit nomen, quod tamquam præmium a posteritate relaturus sum. Heins.

EPISTOLA XVII.

HELENA PARIDI.

Nunc oculos tua cum violârit epistola nostros;
Non rescribendi gloria visa levis.
Ausus es, hospitii temeratis, advena, sacris,
Legitimam nuptæ sollicitare fidem?
Scilicet idcirco ventosa per æquora vectum
Excepit portu Tænaris ora suo?
Nec tibi, diversa quamvis e gente venires,
Oppositas habuit regia nostra fores;
Esset ut officii merces injuria tanti?
Qui sic intrabas, hospes, an hostis eras?
Nec dubito, quin hæc, cum sit tam justa, vocetur
Rustica, judicio, nostra querela, tuo.
Rustica sim sane; dum non oblita pudoris.
Dumque tenor vitæ sit sine labe meæ.
Si non est ficto vultus mihi tristis in ore;
Nec sedeo duris torva superciliis;

Puteaneus margini adscriptos habet hos versus initio Epistolæ:

Si mihi quæ legi, Pari, non legisse liceret,
Servarem numeros, sicut et ante, probæ. Heins.

In Codice Palatino erat, *Sabini Poetæ Epistola, qua Alexandro Helena respondet.*

2. *Non rescribendi gloria visa levis.*] Vilis et parva; vel certe sic verius. Gloria rescribendi est mihi visa non levis, hoc est non parva, id est, putavi mihi magnam gloriam fore rescribere tibi, quia affecisti me magna injuria. ita Douza. sed prior sensus verior. quidam codices, *Non mihi scribendi.* alii, *non rescribenti. Nunc rescribendi* Bernensis.

8. *Oppositas.*] Male Vlitius *oppansas* volebat. Horat. iii. Od. 26. *Oppositis foribus minaces.* vide et Senec. iv. Nat. Quæst. Præf. recte autem ex Thucydide notavit Douza, respici legem Spartanam, qua vetabantur peregrini in urbe recepi. Burm.

16. *Nec sedeo.*] *Videor* Puteaneus pro diversa lectione et sex alii. quod magis placet: nam *sedere* quem hic locum habeat non video. nisi fortasse scripserit Naso, *nec rigeo duris torva superciliis.* idque opinor verum esse.

Fama tamen clara est: et adhuc sine crimine vixi:
Et laudem de me nullus adulter habet.
Quo magis admiror, quæ sit fiducia cœpti;
Spemque tori dederit quæ tibi caussa mei.
An, quia vim nobis Neptunius attulit heros:
Rapta semel, videor bis quoque digna rapi?
Crimen erat nostrum, si delenita fuissem.
Cum sim rapta, meum quid, nisi nolle, fuit?
Non tamen e facto fructum tulit ille petitum:
Excepto, redii passa, timore, nihil.
Oscula luctanti tantummodo pauca protervus
Abstulit: ulterius nil habet ille mei.

nus aberrans. hinc *sedeo* ab aliis criticis, ab aliis *videor* factum. Senec. Herc. Œt. 166.

Quis vastus Briareus, quis tumidus Gyges
Hoc vultu riguit?

Id est vultu tam rigido fuit. idem Puteaneus, *vixi* pro *lusi*, diversa itidem lectione sequenti versu. ut et alii multi. sed *lusi* præstat. Ceterum pro *fama tamen clara est*, videtur reponendum, *cara est*. caram habui existimationem meam. famæ celebritas hoc loco minus commode ostentatur. contra Dido illa apud Virgil. iv. Æneid. 170.

Neque enim specie famave movetur. Heins.

Nulli harum emendationum calculum adjicere possum. Nam constans librorum plurimorum et optimorum lectio, et simul ratio τὸ *sedeo* tuetur: aptissimum enim castitatem jactanti, et matronis pudicis se accensenti, Helenæ est verbum. Propert. Burm.

19. *Fiducia cœpto.*] *Cœpti* maxima pars codicum. sed *cœpto* firmare posset, quod videatur hic auctor Epistolæ imitatus Maronem, qui lib. ii. Æneid. 75. *Quæ sit fiducia cœpto,* ut quidam illo loco legunt. sed melius est *cœpti.* et *fiduciam* cum genitivo construit Noster passim, et idem Virgil. lib. i. 132.

Tantane vos generis tenuit fiducia vestri. Burm.

21. *Intulit.*] In nonnullis, *attulit Heros.* Naugerius. *Attulit* Puteaneus cum prima editione et Scriptis plurimis. Art. Am. lib. i. 679. ex codicibus scriptis:

Vim passa est Phœbe, vis est adlata sorori.

Cicer. Philipp. ii. *Ut illa (credo) nefaria senatus consulta fierent, vim adferebam Senatui.* Act. ii. in Verr. *Quam multis istum Matribus familias vim attulisse existimatis?* Quare frustra est magnus Casaubonus pag. 172. notarum ad Apulej. Apologiam, qui illo loco pro, *Se mihi manu sua mortem allaturum*, reponit *illaturum.* cum alterum parum Latine dictum opinetur, quod dictum est Latinissime. Heins.

23. *Delinita.*] Scribe *delenita;* et vide ad Quinct. lib. v. Instit. 8.

Quæ tua nequitia est, non his contenta fuisset.
Dî melius: similis non fuit ille tui.
Reddidit intactam; minuitque modestia crimen:
Et juvenem facti pœnituisse patet.
Thesea pœnituit, Paris ut succederet illi;
Ne quando nomen non sit in ore meum?
Nec tamen irascor: (quis enim irascatur amanti?)
Si modo, quem præfers, non simulatur amor.
Hoc quoque enim dubito. non quo fiducia desit,
Aut mea sit facies non bene nota mihi:
Sed quia credulitas damno solet esse puellis;
Verbaque dicuntur vestra carere fide.
At peccant aliæ; matronaque rara pudica est.
Quid prohibet raris nomen inesse meum?
Nam mea quod visa est tibi mater idonea, cujus
Exemplo flecti me quoque posse putes:
Matris in admisso, falsa sub imagine lusæ,
Error inest: plumâ tectus adulter erat.
Nil ego, si peccem, possim nescisse, nec ullus
Error, qui facti crimen obumbret, erit.
Illa bene erravit, vitiumque auctore redemit.
Felix in culpa quo Jove dicar ego?

31. *Reddidit intactam.*] Non defuerunt tamen, qui Iphigeniam ex Helenæ Theseique concubitu fuisse prognatam asseverarint. Vide Antoninum Liberalem Metamorphos. xxvii. et Pausaniam in Corinthiacis. lib. ii. cap. 22. Heinsius. Vide Tzetz. ad Lycophr. 103. et 143.

34. *Non sit in ore.*] Scilicet populi. Heins.

35. *Quis enim succenset amanti.*] *Irascetur* Scriverianus. Lego *irascatur*, venusta repetitione, de qua Ep. vi. v. 29. Statius Sylv. lib. iv. ad Julium Menecratem:

Irascorque etiam, quantum irascuntur amantes. Heins.

37. *Non quod.*] In Mediceo et Argentinensi erat *quo*, quod Latinius et elegantius censeo. ita enim Cicero et alii uti solent pro *quia*, sequente etiam in altero Orationis membro, *quia*, vel *quod*, eadem significatione. lib. ii. de Orat. 75. *In quo ego, non quo libenter male audiam, sed quia ego caussam non libenter relinquo, nimium patiens et lentus existimor.* Burm.

49. *Vitiumque auctore redemit.*]

Quod genus, et proavos, et regia nomina jactas:
Clara satis domus hæc nobilitate suâ est.
Jupiter ut soceri proavus taceatur, et omne
Tantalidæ Pelopis Tyndareïque decus;
Dat mihi Leda Jovem, cycno decepta, parentem;
Quæ falsam gremio credula fovit avem.
I nunc, et Phrygiæ late primordia gentis,
Cumque suo Priamum Laomedonte refer.
Quos ego suspicio; sed, qui tibi gloria magna est
Quintus, is a nostro nomine primus erit.
Sceptra tuæ quamvis rear esse potentia Trojæ,
Non tamen hæc illis esse minora puto.
Si jam divitiis locus hic numeroque virorum
Vincitur: at certe barbara terra tua est.
Munera tanta quidem promittit epistola dives;
Ut possint ipsas illa movere Deas.

Levavit, margo Micylli et Colinæi. ut ii. Metam. 281. *Clademque auctore levare.* et iii. 338. *Pœnamque levavit honore:* nisi forte *rependit.* Heinsius. Ego nihil muto. *Redimere* enim eleganter poni pro pensare, rependere, docuit Schottus lib. v. Observ. c. 35. Burm.

50. *Felix in culpa quo Jove dicar ego?*] Sententia est: Mater vitium suum excusare potest magno nomine Jovis: ego vero, si peccem, quem Jovem habeam, quem prætendere possim culpæ meæ? ac si dicat, nullum. *Felicem in culpa vocat*, quæ culpam suam defendere possit. Micyllus. Ita, *felix in numero.* Epist. vi. 121.

57. *Late primordia.*] Aldus, Veneti, Micyllus, et Colinæus, *claræ primordia gentis.* forte:

I nunc et Phrygibus claræ primordia gentis, &c.
——————————— *refer.*

Jacta te Phrygibus tuis, non mihi, qui genere nobiliore me efferre possum. multi etiam scripti *præcordia*, forte, pro *Præconia.* Burm.

60. *A nostro sanguine primus erit.*] *Nomine* Puteaneus et multi alii. quod verum est. *nomen* pro gente; sic apud Virgilium lib. iii. Georg. 35.

——— *Demissæque ab Jove gentis*
Nomina, Trosque parens et Trojæ Cynthius auctor.

Sic *Constantinum nomen* pro familia, Amm. Marcellinus initio operis. Heinsius. *A nostro nomine*, hic explicarem *a me ipsa*, nam si tu numerando quintum Jovem invenias, ego a me primum habeo. sic Ep. ii. 112. *Nomine femineo non satis apta regi.* id est *a femina.* sic Justinus, *nomina Philippi et Alexandri*, pro Philippo et Alexandro posuit; sic *nomen agelli* pro agro, et centum alia. vid. ad Petron. 123. et Vellej. i. 12. *Primus erat* etiam Douza legebat. Burmannus. Conf. Thuc. b. v. c. 20.

Sed si jam fines vellem transire pudoris;
Tu melior culpæ caussa futurus eras.
Aut ego perpetuo famam sine labe tenebo;
Aut ego te potius, quam tua dona, sequar.
Utque ea non sperno; sic acceptissima semper
Munera sunt, auctor quæ pretiosa facit.
Plus multo est, quod amas; quod sum tibi caussa laboris,
Quod per tam longas spes tua venit aquas.
Illa quoque, adpositâ quæ nunc facis, improbe, mensâ,
(Quamvis experiar dissimulare) noto.
Cum modo me spectas oculis, lascive, protervis;
Quos vix instantes lumina nostra ferunt:
Et modo suspiras: modo pocula proxima nobis
Sumis; quâque bibi, tu quoque parte bibis.
Ah quoties digitis, quoties ego tecta notavi
Signa supercilio pene loquente dari!

67. *Fines vellem transire.*] Plurimi, *finem.* *Partes* Lovaniensis. sed vulgata proba est. Cicer. v. ad Famil. 12. *Qui semel verecundiæ fines transierit, eum bene et naviter oportet esse impudentem,* quem locum tetigit Bersmannus. sic de alia re Claudian. iv. Cons. Honor. 304.

Neu pete præscriptos homini transcendere fines. Burm.

71. *Sic acceptissima semper Munera sunt.*] *Acceptissima quondam* Gottorphianus. eleganter mehercules. pro quandoque, aliquando, nonnunquam. ut in illis Maronis, ii. Æneid. 367.

Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.

Ita et *olim.* Fast. iii. 555.

——————— *Ut olim*
Amisso dubiæ Rege vagantur apes. Heins.

Potuit et *semper* esse glossatoris interpretatio. nam *quondam* etiam pro *semper* sumi, docuit Servius ad Virgil. ii. Æneid. 678.

72. *Auctor quæ pretiosa facit.*] Hoc vult, munera ista non tam per se pretiosa esse, quam donatoris nomine, quod eum magni æstimet. unice hæc illustrat Epigr. xcix. lib. ix. apud Martialem:

Vilis eras, fateor, si nunc te mitteret emtor,
Grande tui pretium muneris auctor erit. Heins.

81. *Tecta notavi signa.*] Imitatio Propertiana. lib. iii. 7.

Tecta superciliis si quando verba remittis,
Aut tua cum digitis scripta silenda notas.

Ubi vid. Passerat.

Et sæpe extimui, ne vir meus illa videret:
Non satis occultis erubuique notis.
Sæpe vel exiguo, vel nullo murmure, dixi,
Nil pudet hunc. nec vox hæc mea falsa fuit.
Orbe quoque in mensæ legi sub nomine nostro,
Quod deducta mero litera fecit, AMO.
Credere me tamen hoc oculo renuente negavi.
Hei mihi! jam didici, sic quoque posse loqui.
His ego blanditiis, si peccatura fuissem,
Flecterer: his poterant pectora nostra capi.
Est quoque (confiteor) facies tibi rara: potestque
Velle sub amplexus ire puella tuos.
Altera vel potius felix sine crimine fiat,
Quam cadat externo noster amore pudor.
Disce meo exemplo, formosis posse carere.
Est virtus placitis abstinuisse bonis.
Quam multos credas juvenes optare, quod optas,
Qui sapiant? oculos an Paris unus habes?
Non tu plus cernis. sed plus temerarius audes:
Nec tibi plus cordis, sed magis oris, inest.

83. *Et sæpe.*] Malo *Ut sæpe extimui.* HEINSIUS. Tibul. ii. vii. 34. hoc verbo usus. *Aut aliquas extimuisse minas.*

85. *Vel longo murmure dixi.*] *Vel nullo* Puteaneus. sed nihil accedo. HEINSIUS. Ego *nullo murmure* retineo, si enim *longum* fuisset, periculum foret, ne vir sentiret: elegans præterea oppositio *τοῦ exigui,* et *nullius.* est vero idem, quod Epist. xiii. 89. *Tacitoque in pectore dicere,* et quod alibi dicit Noster, et multi alii, *secum loqui.* in Bernensi erat, *vel parvo murmure,* sed male. BURM.

90. *Sic quoque posse loqui.*] *Sic ego* Puteaneus et Regius. HEINSIUS. Atqui ipsa Helena artem micandi invenisse dicitur a Ptolem. Hephæst. lib. iv. An, magistro Paride quæ didicit, alios docuit? BURM.

95. *Altera sed potius.*] *Vel potius* iidem. pro *vel altera:* quamvis *altera* et *τὸ vel* miram habet hic *ἔμφασιν.* quasi occulte innuat, se invitâ alteram fore felicem. HEINS.

98. *Est virtus.*] Cicer. pro domo. 58.

102. *Sed minus oris adest.*] *Magis oris* non pauci ex scriptis. Sed *os* pro pudore hic sumitur, ita *duritia oris* pro impudentia Senec. de Const. Sapien. cap. xxii. Vulgata tamen lectio servari potest. vide elegans Cato-

Tunc ego te vellem celeri venisse carinâ,
Cum mea virginitas mille petita procis.
Si te vidissem, primus de mille fuisses.
Judicio veniam vir dabit ipse meo.
Ad possessa venis præceptaque gaudia serus.
Spes tua lenta fuit: quod petis, alter habet.
Ut tamen optarem fieri tibi Troïa conjux,
Invitam sic me nec Menelaus habet.
Desine molle, precor, verbis convellere pectus:
Neve mihi, quam te dicis amare, noce.
Sed sine, quam tribuit sortem Fortuna, tueri:
Nec spolium nostri turpe pudoris habe.
At Venus hoc pacta est: et in altæ vallibus Idæ
Tres tibi se nudas exhibuere Deæ:
Unaque cum regnum, belli daret altera laudem;
Tyndaridos conjux, tertia dixit, eris.
Credere vix equidem cœlestia corpora possum
Arbitrio formam supposuisse tuo.

nis dictum apud Senecam lib. iii. de Ira cap. 38. *Affirmabo, inquit, omnibus, Lentule, falli eos, qui te negant os habere.* Heinsius. Vid. Epist. xxi. 44.

104. *Cum mea virginitas mille petita procis.*] Procorum, qui Helenam sibi uxorem petierunt, nomina et numerus exstat apud Apollodorum lib. iii. Ciof.

107. *Ad possessa venis prœreptaque.*] Forte elegantius, quod Gruterus codici suo asscripserat, *Ad possessa venis prœceptaque gaudia serus.* Dan. Heinsius. Nescio an non *prœreptaque* præstet. ita enim sibi invitæ gaudia a Menelao, quem numquam valide amasse non obscure indicat, erepta, significaret, quæ maluisset Paridi dare, si primus advenisset. Burm.

111. *Convellere.*] Varie hic turbant codices. hi *divellere,* alii *compescere;* quidam *corrumpere,* nonnulli *contundere, compellere* etiam tres. sed nihil muto: magna enim in hoc verbo vis, et major, quam in *labefactare.* vide Manut. ad Cicer. v. ad Famil. 13. Burm.

113. *Fortuna tueri.*] Vel *natura* Puteaneus. quomodo et alii complures. Heins. Nihil muta. Horat. i. Sat. i. 1.

Qui fit, Mæcenas, ut nemo quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu sors objecerit, illâ
Contentus vivat.

Alias confundi *naturam* et *fortunam* vidimus ad Quinctil. Decl. ix. 16. et alibi. Burm.

119. *Cœlestia numina.*] Duo Vati-

Utque sit hoc verum; certe pars altera ficta est,
Judicii pretium quâ data dicor ego.
Non est tanta mihi fiducia corporis, ut me
Maxima, teste Deâ, dona fuisse putem.
Contenta est oculis hominum mea forma probari:
Laudatrix Venus est invidiosa mihi.
Sed nihil infirmo: faveo quoque laudibus istis:
Nam mea vox quare, quod cupit, esse neget?
Nec tu succense, nimium mihi creditus ægre.
Tarda solet magnis rebus inesse fides.
Prima mea est igitur Veneri placuisse voluptas:
Proxima, me visam præmia summa tibi:
Nec te Palladios, nec te Junonis honores
Auditis Helenæ præposuisse bonis.
Ergo ego sum virtus? ego sum tibi nobile regnum?
Ferrea sim, si non hoc ego pectus amem.

cani, *corpora*. Ciof. *Corpora* scripti plerique, et primæ editiones. Noster Met. xv. 662.

——— *Tantusque videbor,*
In quantum verti cælestia corpora debent. Heins.

121. *Utque sit hoc verum.*] Sic. i. Pont. vii. 19. *Utque sit id verum.* ubi male mutat Heinsius. Senec. Epist. lxx. *Ut sit hoc verum, non omni pretio vita emenda est.* Burm.

127. *Sed nihil infirmo.*] In altero eorundem librorum, *infirmor*; in margine vero, et in altero est, *inficior*. perplacet. Ciofanus. Glossa Puteanei libri, *id est, vitupero.* libri multi, *infirmor.* quomodo et Jureti Excerpta. *Insinuo* Palatinus. an, *insimulo* scribendum? ut Epist. vi.

Criminibus falsis insimulare virum.

Et Amor. lib. ii. El. vii.

Nunc temere insimulas.

Duo alii, *offendo.* forte pro *offendor.* Unus Lovaniensis et Vaticanus cum Hafniensi, *inficior.* etiam concinne. Heinsius. *Sed non irascor* Douzæ codex. Sed nihil immutari præstiterit. Cicer. Divin. cap. ix. *Nec ea dico, quæ si dicam, tamen infirmare non possis.* Vell. Paterc. lib. ii. cap. ii. *Tiberius Gracchus graviter ferens aliquid a se factum infirmari;* hoc est convelli, infringi. Burm.

136. *Ferrea sim.*] *Sum,* multi scripti et editi. sed male. ex Cicerone expressum videtur, qui lib. xv. ad Famil. Epist. ult. *Ferreus essem, si te non amarem.* Tibull. i. 1. 67.

Ferreus ille fuit, qui te cum possit habere,
Maluerit prædas stultus et arma sequi.

Amo habet Bernensis. Burm.

Ferrea, crede mihi, non sum: sed amare repugno
  Illum, quem fieri vix puto posse meum.
Quid bibulum curvo proscindere litus aratro,
  Spemque sequi coner, quam locus ipse neget?
Sum rudis ad Veneris furtum: nullâque fidelem
  (Dî mihi sint testes) lusimus arte virum.
Nunc quoque, quod tacito mando mea verba li-
  Fungitur officio litera nostra novo. [bello,
Felices, quibus usus adest! ego, nescia rerum,
  Difficilem culpæ suspicor esse viam.
Ipse malo metus est. jam nunc confundor, et om-
  In nostris oculos vultibus esse reor. [nes
Nec reor hoc falso. sensi mala murmura vulgi:
  Et quasdam voces retulit Æthra mihi.
At tu dissimula: nisi si desistere mavis.
  Sed cur desistas? dissimulare potes.
Lude, sed occulte. major, non maxima, nobis
  Est data libertas, quod Menelaus abest.
Ille quidem procul est, ita re cogente, profectus.
  Magna fuit subitæ justaque caussa viæ;

139. *Proscindere.*] MSS. Oxoniensis et plures alii, *profindere*, recte: sic Stat. Theb. x. 507. ex MSS. Behotii, qui *profundunt* habent:

Profindunt inarata diu Pangæa juvenci.

Ubi MSS. Tiliobr. *perfindunt*. vulgo, *perfringunt*.

151. *Nisi si desistere mavis.*] Libri veteres magna ex parte, *nisi tu*. alii, *nisi te*, *si non*, *nisi me*, *nisi jam*. et similia. At Puteaneus vulgatis accedit. recte. Vide Notas ad Epist. iv. vers. iii. HEINSIUS. Douza, *nisi te*, ex suo etiam codice antiquo dictum capiebat, ut *volo me amari a meis; Qui student se præstare*, &c.

154. *Est data libertas, quod Menelaus abest.*] Erat enim in Creta, cum Helena a Paride abrepta est. Coluthus sub finem de Raptu Helenæ:

Ἠερίαι ὄρνιθες εὔπτερα τέκνα γενέθλης
Ἕσπετε νοστήσαντες ἐπὶ Κρήτην Μενελάῳ.

Et ipse lib. ii. De remedio:

Quid Menelaë doles? ibas sine conjuge Creten,
Et poteras nupta lætus abesse tua?

CIOF.

156. *Caussa viæ.*] Joannes Antioch. inter excerpt. Valesii pag. 785. dicit eum ad sacra facienda profectum. HEINSIUS. Sed alii, ad Crethei hære-

Aut mihi sic visum est. ego,cum dubitaret, an iret,
Quamprimum, dixi, fac rediturus eas.
Omine lætatus dedit oscula : Resque, domusque,
Et tibi sit curæ Troïus hospes, ait.
Vix tenui risum. quem dum compescere luctor,
Nil illi potui dicere, præter, Erit.
Vela quidem Creten ventis dedit ille secundis.
Sed tu non ideo cuncta licere puta.
Sic meus hinc vir abest, ut me custodiat absens.
An nescis longas Regibus esse manus?
Fama quoque est oneri. nam quo constantius ore
Laudamur vestro, justius ille timet.

ditatem cernendam. vid. ad Vellej. Paterc. 1, 2.

157. *At mihi sic jussum est.*] *Visum* in omnibus, non *jussum* legitur. sed nos, cum his ex Paridis Epistola versibus respondeat Helena,

Exit, et Idæi mando tibi, dixit iturus,
Curam pro nobis, hospitis, uxor, agas, &c.

Jussum legendum credidimus. Naugerius. *At mihi sic visum est* plerique scripti. Puteaneus et Leidensis, *Aut mihi sic visum est*. vere, quod et Douzæ arridebat. Heinsius. Douza hic decorum observasse notabat. quia hoc dicit se corrigens Helena, sibi visam fuisse magnam caussam, ne videatur regiorum consiliorum conscia, et maritum futilem, qui consilia cum uxore communicat, quod principe viro indignum.

159. *Resque, domusque.*] Formula sollemnis. Tibul. i. Eleg. x.

Devoveat pro quo remque domumque tuam.

Ubi dubito, an recte hoc sollicitent viri docti. Burm.

166. *An nescis longas regibus esse manus?*] Expressum videtur ex Herodoto, apud quem lib. xii. pene extr. Alexander: Καὶ γὰρ δύναμις ὑπὲρ ἄνθρωπον ἡ βασιλῆος ἐστὶ, καὶ χεὶρ ὑπερμήκης. Ciofanus. Parœmium Græcum, Μακραὶ τυράννων χεῖρες. vide Apostolium. Heinsius. Hoc de ministris regiis quosdam interpretari ait Brunner. ad Palæphat. cap. 32. et ita *dextera Cæsaris* capienda in Elegia in obitum Mæcenatis 13. ubi miser et lexicis suis destitutus Gorallus, vellet quidem ita interpretari, si exemplum ex antiquitate proferri posset. succurramus pauperi et simul superbo Philosopho. Claud. ii. in Rufin. 261.

Spernisne tuas dux optime dextras?

Ubi Barthius videndus, et lib. xi. adv. 28. et ita *manus* etiam dicuntur, qui alios adjuvant, apud Comicos. sed hæc alias. hîc de vi et potestate, quam Reges etiam longius, quam imperii fines pertinent, extendere dicuntur. vid. ad Quinctil. Decl. xiii. 6. et simili ratione Lucianus in Mercede conductis dicit, *Regibus esse plures oculos*, quia et per ministros, qui apud Persas oculi et aures regis dicebantur, (vid. Brisson. ed Reg. Pers. lib. i. p. 125.) omnia illis explorata sunt. Burm.

167. *Fama quoque est oneri.*] Imitatus Claudianus Bello Getico. 225.

Jamque oneri creduntur opes.

Quæ juvat, ut nunc est, eadem mihi gloria damno est:
Et melius famæ verba dedisse foret.
Nec, quod abest, hîc me tecum mirare relictam:
Moribus et vitæ credidit ille meæ.
De facie metuit, vitæ confidit: et illum
Securum probitas, forma timere facit.
Tempora ne pereant ultro data præcipis; utque
Simplicis utamur commoditate viri.
Et libet, et timeo; nec adhuc exacta voluntas
Est satis; in dubio pectora nostra labant.
Et vir abest nobis; et tu sine conjuge dormis;
Inque vicem tua me, te mea forma, capit:

Et Plin. viii. Epist. 25. *Onerat te quæsturæ tuæ fama, quam ex Bithynia optimam revexisti.* Burm.

170. *Dedisse fuit.*] *Foret* nonnulli. Heinsius. Sensus est, impedimento est, et nocet mihi gloria; quæ obstat, ne victas tibi manus dem. et melius fuisset me jam olim furtivis amoribus operatam fuisse, et decepisse rumores, quos de mea pudicitia homines differebant, fidelemque virum lusisse. quare *foret* retineo. ita *seculo verba dare.* Senec. Ep. 88. Burmannus. *Verba dare,* primum quidem est *verba,* pro *rebus* dare; promissis fallere: deinde, universe *fallere,* tam *rebus* et factis, quam *verbis;* eximie latendo fallere. Lennep.

174. *Forma timere facit.*] Locutio a Poetis frequentissime usurpata: *Qui nati me coram cernere letum Fecisti.* Virg. lib. ii. In prosa diceretur, facit, ut timeat. Ciof.

177. *Exacta voluntas.*] Puteaneus et omnes fere scripti *voluptas.* sed *voluntas* legendum jam Hubertinus vidit. mens enim et voluntas Helenæ dubia erat, nec satis adhuc deliberata. Gratius. 259. *Tamen hac exacta voluntas.* nam *exacta* propria in hac re vox; quando quid perpenditur, ut exsequamur. Burm.

178. *In dubio pectora nostra labant.*] *In bivio* scripserat, ni fallor, Naso. Tò *bivium* frequenter corruptum est, apud scriptores antiquos, culpa librariorum, qui pro *bivio, vivium,* et *vivum* plerumque exararunt. Remed. Amoris:

Ut tuus in bivio distineatur Amor.

Videtur autem adagium hoc Ovidianum alludere ad bivium Herculis Prodici et ad bivium Pythagoricæ literæ vitam humanam complexum. quo et respexit Persius,

Furta paro belli convexo in tramite silvæ,
Ut bivias armato obsidam milite fauces.

In *trivio constitutus* dicitur, qui incertus est. vid. Suidam, 'Εν τριόδῳ εἰμί. Heinsius. Mihi contra libros nihil hic mutandum videtur. Epist. xix. 174.

Quid sequor in dubio est.

Et illud *bivium* quomodo cum *τῷ labant* consistere possit, non video. Terent. Andr. i. v. 3. *Dum animus in dubio est, paullo momento huc vel illuc impellitur.* ubi *impelli* idem, quod hic *labare.* Burm.

Et longæ noctes: et jam sermone coïmus:
  Et tu (me miseram!) blandus: et una domus.
Et peream, si non invitant omnia culpam.
  Nescio quo tardor, sed tamen ipsa, metu.
Quam male persuades, utinam bene cogere possis!
  Vi mea rusticitas excutienda fuit.
Utilis interdum est ipsis injuria passis.
  Sic certe felix esse coacta velim.
Dum novus est, potius cœpto pugnemus amori:
  Flamma recens parvâ sparsa resedit aquâ.
Certus in hospitibus non est amor. errat, ut ipsi:
  Cumque nihil speres firmius esse, fuit.
Hypsipyle testis, testis Minoïa virgo est;
  In non exhibitis utraque lusa toris.

185. *Quod male persuades.*] *Bene* Argentinus, non male. ut jam se quodammodo persuasam esse agnoscat. Heinsius. Douzæ codex, Regius unus, et Balliolensis a manu prima, *quam male persuades,* quod ab Ovidio ipso profectum existimo. vide quæ jam notavimus ad Petronii cap. xlvi. *male* autem non moverem, id est vix, ægre. ita enim decebat, sensim et pedetentim in crimen abeuntem mulierem, et quæ cogi velle præ se ferebat, loqui. Burm.

190. *Sparsa resedit aquâ.*] *Residit* puto. sic apud Lucanum libro ix. vers. 75. in veteri codice Rottendorphiano, *jam flamma residit.* apud Columellam quoque scribendum libro vi. cap. xv. *Cum jam ignis in favillam residit.* non ut circumfertur, *recidit. Considere ignis* etiam Nasoni dicitur Met. xiii. 408. Heinsius. Non visum sic Oudendorp. ad loc. Lucan. citat. qui, ut illic, ita apud Nostrum, *resedit* servandum esse statuit: dispar tamen utriusque loci ratio. Lectorem penes judicium. Amar.

191. *Certus in hospitibus.*] Hoc sentiebat etiam Medea apud Val. Flac. vii. 13.

Quid in hospite solo mens mihi?

Et apud Nostrum vii. Metam. 21.

——*Quid in hospite Regia virgo*
Ureris?———— Burm.

192. *Cumque nihil speres firmius esse, fugit.*] *Fuit* Puteaneus argute. ut *fuit τῷ esse* opponatur, præteritum præsenti. Plautus simili prorsus modo Captivis. iii. iii. i. *Nunc illud est, cum me fuisse, quam esse nimio mavelim.* Heins. Vide ad Vell. Paterc. i. 12.

194. *In non exhibitis utraque juncta toris.*] Excerpta Scaligeri et quatuor ex nostris, *utraque pacta:* nonnulli, *victa;* vel *juxta, lusa, jucta, pucta.* Puteaneus, Argentinus et quatuor alii; *utraque justa:* proxime ad verum. Scribendum nempe, *utraque questa.* Heinsius. Sed an latine satis dicatur, *questa in toris,* vehementer dubito: ergo *lusa* prætuli, ex optimis libris, quod obvium apud Nostrum est alibi, pro *decepta:* dicendum quoque esset, *de non exhibitis toris questa,* ut

Tu quoque, dilectam multos, infide, per annos,
Diceris Œnonen destituisse tuam.
Nec tamen ipse negas; et nobis omnia de te
Quærere, si nescis, maxima cura fuit.
Adde quod, ut cupias constans in amore manere;
Non potes. expediunt jam tua vela Phryges.
Dum loqueris mecum, dum nox sperata paratur,
Qui ferat in patriam, jam tibi ventus erit.
Cursibus in mediis novitatis plena relinques
Gaudia: cum ventis noster abibit amor.
An sequar, ut suades; laudataque Pergama visam;
Pronurus et magni Laomedontis ero?
Non ita contemno volucris præconia Famæ,
Ut probris terras impleat illa meis.
Quid de me Sparte poterit, quid Achaïa tota,
Quid gentes Asiæ, quid tua Troja loqui?
Quid Priamus de me, Priami quid sentiet uxor;
Totque tui fratres, Dardanidesque nurus?

Francius legere malebat. Sic Epist. iii. 5; et v. 4. Idem Francius, *explicitis toris* conjiciebat. Burm.

196. *Œnonen deseruisse tuam.*] *Destituisse* meliores libri. Œnone:

Nunc tibi conveniunt, quæ te per aperta sequantur
Æquora, legitimos destituantque viros. Heins.

198. *Quærere.*] Pro inquirere, ut solent amantes. Petron. 127. *Neque enim me piguit quærere.* Terent. Eun. i. 2. *Nihil: nam quæsivi.* infr. ii. Am. xi. 22. ut Puteaneus codex: *Quærenti nulla procella nocet.* et Epist. xx. 219. ubi male mutat Heinsius. Burm.

199. *Adde quod, ut cupias constans in amore manere; Non potes.*] Docet Aristoteles lib. ii. De Arte dicendi, juvenes natura esse omnes inconstantes. Ciof.

207. *Volucris famæ.*] Vid. ad Petron. cap. cxxxiii.

209. *Quid de me poterit loqui.*] Elegans hoc loquendi genus, pro *quid loquetur*, illustravit Guil. Canter. ii. Nov. Lect. cap. 2. ut recte notavit Bersmannus. vide et Gifan. Indic. Lucret. in *possum vertere.* et nos ad Phædr. i. 15. Non male etiam, *quid de me poterunt Sparta* Bernens. Burm.

211. *Priami quid sentiet uxor.*] *Sentiat* rectius sex libri. At Mentelianus cum excerptis Douzæ, *censeat.* vide Epist. v. vers. 95. Heins.

212. *Dardaniæque nurus.*] *Dardanidesque* meliores. Heins.

Tu quoque, quî poteris tibi me sperare fidelem,
Et non exemplis anxius esse tuis?
Quicumque Iliacos intraverit advena portus,
Is tibi solliciti caussa timoris erit.
Ipse mihi quoties iratus, Adultera, dices!
Oblitus nostro crimen inesse tuum.
Delicti fies idem reprehensor et auctor.
Terra, precor, vultus obruat ante meos.
At fruar Iliacis opibus cultuque beato:
Donaque promissis uberiora feram.
Purpura nempe mihi pretiosaque texta dabuntur:
Congestoque auri pondere dives ero.
Da veniam fassæ; non sunt tua munera tanti,
Nescio quo tellus me tenet ista modo.
Quis mihi, si lædar, Phrygiis succurrat in oris?
Unde petam fratris, unde parentis opem?
Omnia Medeæ fallax promisit Iäson;
Pulsa est Æsoniâ num minus illa domo?
Non erat Æëtes, ad quem despecta rediret:
Non Ipsêa parens, Chalciopeque soror.

224. *Congestoque auri pondere.*] Quatuor codices, *congesti.* male. est Virgiliana imitatio. i. 359. *Ignotum argenti pondus et auri.* ubi *ingens* alii codices. Burm.

226. *Me tenet ista modo.*] *Ipsa* Puteaneus, aliique haud pauci. Heinsius. *Hæc terra* dicendum fuisset, judice Francio, qui ideo legebat:

Nescio quo terræ tangor amore meæ.

Sed hoc est carmina sua pro Ovidianis obtrudere. *Ista* est, quam tu contemnis, et barbaram dicis. Burm.

228. *Unde petam fratris.*] *Fratres* meliora exemplaria. alterum tamen Latinius, et jam a Lyncæo interfectus erat Castor. sed offendit vocalis ultimam excipiens syllabam in *fratris,* quod alibi hac pentametri sede a Nasone factum non recordor. Heinsius. Vid. infr. 256. Dubitat nullus Cl. Lennep. quin Ovidio hic obversatus occurrerit nobilissimus Homeri locus, Iliad. Γ. 236. ubi inter Achivorum principes, quos notat et recenset e mœnibus Trojæ, fratres suos Helena desiderat.

Δοιὼ δ᾽ οὐ δύναμαι ἰδέειν κοσμήτορε λαῶν,
Κάστορά τ᾽ ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα,
Αὐτοκασιγνήτω, τώ μοι μία γείνατο μήτηρ. Amar.

231. *Despecta.*] *Depulsa* Lovaniensis. *Dejecta* Moreti. quod verum puto. ita supra tentabamus. Epist. v. 75.

Tale nihil timeo; sed nec Medea timebat.
Fallitur augurio spes bona sæpe suo.
Omnibus invenies, quæ nunc jactantur in alto,
Navibus a portu lene fuisse fretum.
Fax quoque me terret: quam se peperisse cruentam
Ante diem partûs est tua visa parens.
Et vatum timeo monitus: quos igne Pelasgo
Ilion arsuram præmonuisse ferunt.
Utque favet Cytherêa tibi, quia vicit, habetque
Parta per arbitrium bina tropæa tuum;
Sic illas vereor; quæ, si tua gloria vera est,
Judice te caussam non tenuere duæ.
Nec dubito, quin, te si prosequar, arma parentur.
Ibit per gladios (hei mihi!) noster amor.
An fera Centauris indicere bella coëgit
Atracis Hæmonios Hippodamia viros?

Sic Helene doleat, dejectaque conjuge ploret.

Ita Cicero et Livius sæpe utuntur de iis, qui dejiciuntur honoribus. vid. ad Ep. Sap. iii. 20. Burm.

232. *Non Ipsêa parens.*] Scaliger, *Non Hypsæa parens*, legebat. Dan. Heinsius. Nemo, quod sciam, veterum dat Ipseam Medeæ matrem. Hesiodus Theogonia:

Αἰήτης δ' υἱὸς φαεσιμβρότου Ἠελίοιο
Κούρην Ὠκεανοῖο τελήεντος ποταμοῖο
Γῆμε, Θεῶν βουλῆσιν, Ἰδυίαν καλλιπάρηον.

Ita Apollonius quoque Rhodius. Argonaut. iii. 241. ubi Absyrto Asterodiam dat matrem:

Τὸν μὲν Καυκασίη νύμφη τέκεν Ἀστερόδεια
Πρίν περ κουριδίην θέσθαι Ἰδυιὰν ἀκοίτιν
Τηθυός Ὠκεανοῦ τε πανοπλοτάτην γεγαυῖαν. Burm.

Adeas quoque Apollod. i. 9; Cic. de Nat. Deor. iii. 19; et Hygin. Fab. xxv. Ceterum alii aliam Medeæ matrem affingunt: *Hecaten* vocat, auctor Naupacticorum; *Eurylyten* Sophocles, vel *Neærano*; *Clytiam* Hygin, &c. Amar.

248. *Atracis Æmonios Hippodamia viros.*] *Atrax* et *Atracia*, urbs Thessaliæ, ejus partis, quæ Pelasgiotes dicta fuit, ab *Atrace*, filio Penei et Buræ, condita ac nominata, autore Stephano. Hinc *Atracis* Hippodamia, pro Thessalica, sive quod ex ea urbe nata fuerit, sive generaliter accepto nomine. Alii autem *Atracem*, fluvium Thessaliæ faciunt, ejusque filiam Hippodamiam: sed hactenus dissimulato autore. Micyl.

Tu fore tam justâ lentum Menelaon in irâ,
Et geminos fratres, Tyndareumque putas?
Quod bene te jactes, et fortia facta loquaris,
A verbis facies dissidet ista suis.
Apta magis Veneri, quam sint tua corpora Marti.
Bella gerant fortes: tu, Pari, semper ama.
Hectora, quem laudas, pro te pugnare jubeto;
Militia est operis altera digna tui.
His ego, si saperem, paulloque audacior essem,
Uterer. utetur, si qua puella sapit.
Aut ego, deposito, faciam fortasse, pudore;
Et dabo conjunctas tempore victa manus.
Quod petis, ut furtim præsentes plura loquamur;
Scimus quid captes, colloquiumque voces.
Sed nimium properas; et adhuc tua messis in herbâ est.
Hæc mora sit voto forsan amica tuo.

249. *Tu fore tam lentum justâ Menelaon in irâ.*] Puteaneus:

An fore tam justa lentum Menelaon in ulta.

Ubi *ulta* pro vindicta sumitur. quod alibi mihi non recordor esse lectum. Heinsius.

251. *Quod bene te jactes, et fortia facta loquaris.*] *Jactas* scripti fere omnes. deinde quidam etiam *recenses* pro *loquaris.* recte. Heinsius. Ego non puto veterem et vulgatam lectionem repudiandam, quam Puteaneus, et optimus quisque codex confirmat. et *loqui* proprium esse magniloquentiæ verbum ad Petron. ii. cap. 117. olim probavi; et ad Quinctil. Decl. xv. 3. Burm.

152. *A verbis facies dissidet illa tuis.*] *Suis*, non *tuis* Puteaneus, cum prima editione et aliis nonnullis scriptis. Epistola Hypermnestræ:

Hæc ego: dumque queror lacrymæ sua verba sequuntur. Heins.

256. *Operis digna tuis.*] *Tui* libentius legerim. Egnatius. Primæ editiones et Aldina, *tui.* quod et in triginta codicibus est. neque facile repudiarem, etsi syllabæ *is* productio videatur id vetare. nam et ita supra vers. 228. *Und petam fratris, unde parentis opem.* ut optimi codices. *Opus* enim hic magis accommodatum, quam *opera.* sic supr. Ep. viii. 52. *Non lecta est operi, sed data caussa tuo.* *Dignus* vero cum genitivo nostro frequenter construitur. Burm.

260. *Dabo conjunctas.*] Puto legendum, *aut dabo mox victas tempore victa manus.* in Trist. i. iii. 88. *Vixque dedit victas utilitate manus.* Burm.

261. *Præsentes ista loquamur.*] *Plura* prima editio cum tribus scriptis. Refer ad illa Paridis:

——*Sed coram ut plura loquamur,*
Excipe me lecto nocte silente tuo.
Heins.

263. *Et adhuc tua messis in herba*

Hactenus. arcanum furtivæ conscia mentis
Litera, jam lasso pollice, sistat opus.
Cetera per socias Clymenen Æthramque loquamur,
Quæ mihi sunt comites consiliumque duæ.

EPISTOLA XVIII.

LEANDER HERONI.

Mittit Abydenus, quam mallet ferre, salutem,
Si cadat ira maris, Sesta puella, tibi.

est.] Cæsar libro primo belli Civilis, cap. 48. *Tempus erat anni difficillimum, quo neque frumenta in herbis erant, neque multum a maturitate aberant.* ubi vid. notas Aldi Manutii. *herba* in segete est, priusquam in aristas surgit. Idque Proverbii vicem obtinet, de iis, qui vita et spe præcipitant. Persius Satyra sexta: *Quid metuas? occa, et seges altera in herba est.* In Oratione M. Catonis Censorii de Ædilibus vitio creatis, Noctibus Atticis A. Gellii libro xiii. cap. xvii. *Nunc ita ajunt, in segetibus, in herbis bona frumenta esse. nolite ibi nimiam spem habere. sæpe audivi inter os et offam multa intervenire posse. verum vero inter offam atque herbam ibi vero longum intervallum est.* iv. Fast. 645.

Sæpe Ceres primis dominum fallebat in herbis. Heins.

267. *Clymenen Æthramque.*] Priorem aliter vocat Hyginus cap. 92. de judicio Paridis. Alexander Veneris impulsu Helenam a Lacedæmone ab hospite Menelao Trojam abduxit, eamque in conjugio habuit cum ancillis duabus Æthra et Phisaide, quas Castor et Pollux captivas ei assignaverant, aliquando reginas. Ciof.

Hanc Epistolam Barthius ad Statii Theb. vi. 545. Ovidio adscribere vix audet, inductus vers. 247. et 248. quos ex Musæo versos esse putat; nisi Musæus sit antiquior, quam persuasi nunc sint docti homines. sed Lutatius ad eumdem Statii locum scribit, *Leandri fabula est, Ovidio referente, notissima*, quem ad hanc Epistolam respicere manifestum est, cum in Metamorphosi hæc fabula non legatur. Burm.

1. *Mittit Abydenus,* &c.] Leander, qui ex Abydo, oppido quod olim in extrema Asiæ parte, ad oram sinus Hellespontiaci, conditum erat a Milesiis, annuente et concedente Gyge, Lydorum rege, qui tunc regionem hanc omnem, sicut et Troada, sub imperio suo tenebat. Strab. xiii. cap. 1. Sesto Abydos objacebat, a quo mille passuum trajectu distabat: sed ibi fretum rapidum adeo et intractabile, ut si qui ex Asia in Europam essent transituri, oram, teste eodem Strabone, cix stad. spatio legere cogerentur, ne undarum vi præcipites auferrentur. Exstant adhuc Abydi vestigia, haud procul a loco, qui *Nagara* dicitur; supersunt quoque in adversa ora Sesti

Si mihi Dî faciles, et sunt in amore secundi;
Invitis oculis hæc mea verba leges.
Sed non sunt faciles: nam cur mea vota morentur,
Currere me notâ nec patiantur aquâ? 6
Ipsa vides cœlum pice nigrius; et freta ventis
Turbida, perque cavas vix obeunda rates.

ruinæ, quas *Zemenic* vocant. Gossel. ad Strabonem Gall. tom. iv. p. 138. AMAR.

2. *Si cadat ira maris.*] Sic legendum, id est, si mare non agitetur, non commoveatur, ut usque huc commotum est. CIOF.

Sesta puella tibi.] Inusitate dictum *Sesta*, pro *Sestia*, sive figuram malueris dicere, sive Poëtæ autoritati tribuere: cui, versus gratia, possessivum hoc ita incidere licuerit. MICYLLUS. Malim *Sesti*, si per libros antiquos liceat. sic in Epistola Sapphûs, *Lesbi puella*. *Sestias* certe Hero Statio vocatur. Theb. vi. 545.

——*Sedet anxia turre suprema*
Sestias in speculis.

Musæo quoque Σηστιὰς Ἡρώ. HEINSIUS. Σηστός. ὁ πολίτης, Σήστιος. Hinc feminina Σηστὶς, Σηστίας; ut a Λέσβος, Λέσβιος; Λεσβὶς, Λεσβιάς. Steph. in voc. Sed a *Sestos*, non magis patronymica formari possunt, masculinum *Sestus*, femininum *Sesta*, quam a *Lesbos*, *Lesbas* et *Lesba*. Missa igitur, quæ V. Cl. tenuit, verecundia, *Sesti* in textum recipere non dubitaverim. LENNEP. In Douzæ excerptis alterum distichon priori subjicitur:

Aptior illa quidem placido dat verbera ponto:
Est tamen et sensus apta ministra mei.

6. *Currere me notâ.*] *Mota aqua* pro *nota* Moreti codex. *dubiâ* prima editio. infra:

——*Quod dubia sæpe pependit aqua.* HEINS.

Mota aqua non facile quidem repudiandum; frequens enim illa vox Poëtis, et confusa cum *nota:* ut lib. vi. Metam. ult. iii. Fast. 347. et Valer. Flac. v. 44. sed cum mox 27. *Adsuetas aquas* vocet, quas hic *notas*, vulgatam lectionem servo. BURM.

7. *Ipsa vides cœlum pice nigrius;* &c.] Tempestatem sic Musæus describit, in qua periit Leander; 309, sqq:

Νὺξ ἦν, εὖτε μάλιστα βαρυπνείοντες ἀῆται,
Χειμερίῃς πνοιῇσιν ἀκοντίζοντες ἀῆται,
Ἀθρόον ἐμπίπτουσιν ἐπὶ ῥηγμῖνι θαλάσσης·
Δὴ τότε Λείανδρός περ, ἐθήμονος ἐλπίδι νύμφης,
Δυσκελάδων πεφόρητο θαλασσαίων ἐπὶ νώτων.
Ἤδη κύματι κῦμα κυλίνδετο, σύγχυτο δ' ὕδωρ,
Αἰθέρι μίσγετο πόντος, ἀνέργετο πάντοθεν ἠχὴ
Μαρναμένων ἀνέμων· Ζεφύρῳ δ' ἀντέπνεεν Εὖρος,
Καὶ Νότος ἐς Βορέην μεγάλας ἀφέηκεν ἀπειλάς·
Καὶ κτύπος ἦν ἀλίαστος ἐρισμαράγοιο θαλάσσης. AMAR.

Nonne vides Bernensis codex; non invenuste. sed vers. 70. *Ipsa vides.* Horat. i. Od. ix.

Vides, ut alta stet nive candidum Soracte. BURM.

8. *Perque cavas vix obeunda rates.*] *Abeunda* quinque scripti. tres *obeunda*. quod verum est. sic Epistola xvi. 175.

Sceptra parens Asiæ, qua nulla beatior ora est.
Finibus immensis vix obeunda tenet. HEINS.

Unus, et hic audax, a quo tibi litera nostra
Redditur, e portu navita movit iter.
Adscensurus eram: nisi quod, cum vincula proræ
Solveret, in speculis omnis Abydos erat.
Non poteram celare meos, velut ante, parentes:
Quemque tegi volumus, non latuisset, amor.
Protinus hæc scribens, Felix, i, litera, dixi:
Jam tibi formosam porriget illa manum.
Forsitan admotis dominæ tangêre labellis;
Rumpere dum niveo vincula dente volet.
Talibus exiguo dictis mihi murmure verbis,
Cetera cum chartâ dextra locuta mea est.
At quanto mallem, quam scriberet, illa nataret,
Meque per adsuetas sedula ferret equas!
Aptior illa quidem placido dare verbera ponto.
Est tamen et sensûs apta ministra mei.
Septima nox agitur, spatium mihi longius anno,
Sollicitum raucis ut mare fervet aquis.
His ego si vidi mulcentem pectora somnum
Noctibus, insani sit mora longa freti.

10. *A portu navita fecit iter.*] *E portu* potiores. ut et *movit iter.* quos secutus sum. quanquam Propertii ista succurrunt, i. Eleg. 17.

Primus et invito gurgite fecit iter.

HEINS.

Menteliani *solvit iter* posset firmari ex illis Flor. iii. 10. *Cum tertia vigilia Morino solvisset a portu.* et præterea his Ciceronis pro Murena. ii. *Quod si portu solventibus, si qui jam in portu ex alto invehuntur, præcipere solent.* ubi quidam legunt *e portu* ex Quinct. v. Instit. ii. sed hic *solvere vincula proræ* mox sequitur. *fecit iter*, non placet, quia cum Epistolam traderet, nauta *movebat*, id est incipiebat iter. ut *movere castra*, et simpliciter *movere* dici notum est. *facere* vero iter, plus notat. sic sæpe apud Nostrum *viam facere.* vide infr. vers. 158. xvi. 22. xix. 192. et millies. BURM.

13. *Non poteram celare meos—parentes.*] Fit aliquoties apud Musæum mentio parentum Herus; nulla Leandri. Unde non sine veri specie suspicetur aliquis hic quoque legendum esse *tuos.* LENNEP.

17. *Admotis etiam.*] Lege cum Moreti et Mentelii libris, *admotis dominæ*, ut τὸ *volet* habeat, quo referatur. Douza etiam malebat, *Forsan et admotis dominæ*, non male. BURM.

26. *Ut mare fervet aquis.*] Sic meliores libri. HEINS.

Rupe sedens aliqua specto tua litora tristis:
Et quo non possum corpore, mente feror.
Lumina quin etiam summâ vigilantia turre,
Aut videt, aut acies nostra videre putat.
Ter mihi deposita est in siccâ vestis arenâ.
Ter grave tentavi carpere nudus iter.
Obstitit inceptis tumidum juvenilibus æquor:
Mersit et adversis ora natantis aquis.
At tu de rapidis, immansuetissime, ventis,
Quid mecum certâ prœlia mente geris?
In me, si nescis, Borea, non æquora, sævis.
Quid faceres, esset ni tibi notus amor?
Tam gelidus cum sis, non te tamen, improbe, quondam
Ignibus Actæis incaluisse negas.
Gaudia rapturo si quis tibi claudere vellet
Aërios aditus, quo paterere modo?
Parce, precor; facilemque move moderatius auram.
Imperet Hippotades sic tibi triste nihil.

33. *Sicca arena.*] Barberin. *nuda.* ut Metam. iv. 741. ex MSS.

Anguiferumque caput nuda ne lædat arena.

Sed quia *nudus* sequitur, vulgatam retinendam puto. Virgilius i. Georg. 389.

Et secum in sicca solus spatiatur arena. HEINS.

39. *In me si nescis, Borea,* &c.] Musæus, 320:

Πολλάκι μὲν λιτάνευσε θαλασσαίην Ἀφροδίτην·
Πολλάκι δ' αὐτὸν ἄνακτα Ποσειδάωνα θαλάσσης·
Ἀτθίδος οὐ Βορέην ἀμνήμονα κάλλιπε νύμφης.
Ἀλλά οἱ οὔτις ἄρηγεν, Ἔρως δ' οὐκ ἤρκεσε μοίρας.

Nota fabula Orithyæ, Erechtei Athenarum regis antiquissimi filiæ, raptæ a Borea; ex Apollod. iii. 15. ubi vid. Heynii, Not. Part. ii. p. 334. AMAR.

42. *Actæis ignibus.*] Quia, ut modo diximus, ex Athenis Orithya. AMAR.

45. *Move moderantius auram.*] *Moderantius* Latinum vix est. quare emenda cum Puteaneo et sex aliis, *moderatius.* lib. i. Metam. 510.

———— *Moderatius oro*
Curre, fugamque inhibe: moderatius insequar ipse.

Ubi pari modo peccabatur. et etiam alibi. HEINS.

46. *Hippotades.*] Quando interpretes variant de Æolo, et ejus genere, libuit adjicere, quæ in Scholiis Græcorum in x. Odyss. leguntur: Δύο, inquiunt, Αἴολοι, οὗτος μὲν Ἱππότου τοῦ Μίμαντος, ἕτερος δὲ Ἕλληνος, ὃς ἦν Διός, οὗ καὶ Ἡσίοδος μέμνηται. Priorem ergo intellige eum, ad quem

Vana peto, precibusque meis obmurmurat ipse:
  Quasque quatit, nullâ parte coërcet aquas.
Nunc daret audaces utinam mihi Dædalus alas!
  Icarium quamvis hic prope litus adest.
Quidquid erat, patiar: liceat modo corpus in auras
  Tollere; quod dubiâ sæpe pependit aquâ.
Interea, dum cuncta negant ventique fretumque,
  Mente agito furti tempora prima mei.
Nox erat incipiens (namque est meminisse voluptas)
  Cum foribus patriis egrediebar amans.
Nec mora, deposito pariter cum veste timore,
  Jactabam liquido brachia lenta mari.
Luna fere tremulum præbebat lumen eunti,
  Ut comes in nostras officiosa vias.
Hanc ego suspiciens, Faveas, Dea candida, dixi;
  Et subeant animo Latmia saxa tuo.
Non sinat Endymion te pectoris esse severi.
  Flecte, precor, vultus ad mea furta tuos.

Ulysses venit inter navigandum, qui ventis imperabat. de quo eodem et hic dicitur. Alterum autem patrem Salmonei, Crethei, Sisyphi, Athamantis et ceterorum, de quibus passim in fabulis mentio fit. MICYL.

57. *Timore.*] *Pudore* Basileensis. Scriverii, *posito cum mente pudore.* vid. ad Epist. præced. 259. Librarii corruperunt hunc locum, quia vulgo jactabatur illud Pythagoricum (vid. Laert. viii. 43.) cum vestibus esse verecundiam ponendam, cumque illis resumendam; ad quæ et Noster respexit lib. iii. Amor. xiii. 18. et seqq. vid. et Schott. ad Aurel. Victor. Cæsar. cap. xxi. BURM.

59. *Luna mihi tremulum lumen præbebat eunti.*] *Luna fere* Puteaneus et alii multi; quomodo sæpe Ovidius. Infra Epistola Herus, *Annuit illa fere.* HEINSIUS. *Luna freto* Schott. ii. obs. 55.

60. *In nostras.*] Balliolensis, *in vastas*, non absurde. vid. ad iii. Amor. i. 40. ita Epist. seq. 164. *vastæ aquæ.* xiv. Metam. 438.

Ancipitesque vias et iter Titania vastum Dixerat. BURM.

62. *Animo.*] Lovaniensis et tres alii, *animos tuos.* quamvis enim utrumque recte dicatur; (vid. ad Ep. iv. 23.) usitatius tamen cum accusativo dicit Serv. ad Virg. viii. Æneid. 125. sic Virg. x. 824.

Mentem subiit pietatis imago.

"Latmium montem designat, Endymionis a Luna, ut ferunt, adamati, fabula nobilem." Met. i. 17.

Tu, Dea, mortalem cœlo delapsa petebas.
Vera loqui liceat; quam sequor, ipsa Dea est.
Neu referam mores cœlesti pectore dignos;
Forma nisi in veras non cadit illa Deas.
A Veneris facie non est prior ulla, tuâque.
Neve meis credas vocibus, ipsa vides.
Quanto, cum fulges radiis argentea puris,
Concedunt flammis sidera cuncta tuis;
Tanto formosis formosior omnibus illa est;
Si dubitas, cæcum, Cynthia, lumen habes.
Hæc ego, vel certe non his diversa, locutus
Per mihi cedentes nocte ferebar aquas.

66. *Quam sequor ipsa Dea est.*] Illam sic Musæus depingit, 55. sqq:

Ἡ δὲ Θεῆς ἀνὰ νηὸν ἐπῴχετο παρθένος Ἡρὼ,
Μαρμαρυγὴν χαρίεντος ἀπαστράπτουσα προσώπου.
Οἷά τε λευκοπάρῃος ἐπαντέλλουσα σελήνη.
Ἄκρα δὲ χιονέων φοινίσσετο κύκλα παρειῶν,
Ὡς ῥόδον ἐκ καλύκων διδυμόχροον· ἦ τάχα φαίης
Ἡροῦς ἐν μελέεσσι ῥόδων λειμῶνα φανῆναι.
Χροιὴν γὰρ μελέων ἐρυθαίνετο· νισσομένης δὲ
Καὶ ῥόδα λευκοχίτωνος ὑπὸ σφυρὰ λάμπετο κούρης·
Πολλαὶ δ᾽ ἐκ μελέων χάριτες ῥέον· οἱ δὲ παλαιοὶ
Τρεῖς χάριτας ψεύσαντο πεφυκέναι· εἷς δέ τις Ἡροῦς
Ὀφθαλμὸς γελόων ἑκατὸν χαρίτεσσι τεθήλει. Amar.

71. *Quantum cum radiis fulges argentea puris.*] Præstantiores *fulges radiis.* Præterea *Quanto* scribendum, quod Τὸ *Tanto* sequens requirit. atque ita Junianus liber cum Scriveriano altero. Est autem ea vox sæpius corrupta apud Nostrum. *argenteam* autem *lunam* et Sappho vocavit. Julianus Epistola xix. Σαπφὼ ἡ καλὴ τὴν σελήνην ἀργυρέαν φησί. Heinsius. Recte, *quanto.* *Quanto tu fulges radiis* Bernensis. vid. ad viii. Met. 749. sed licet ita fere semper loquantur veteres, aliter tamen Livius, qui lib. v. cap. 10. *Quantum* præmittit sequenti *tanto.* *Quantum autem augebatur militum numerus, tanto majore pecunia in stipendium opus erat.* sic et apud Lucan. ii. 517.

Heu quantum melius vel cæde peracta
Imperat.—— ———

Multi codices, pro *quanto.* quod tamen rectius puto, vid. ad Epist. xv. 191. sic et *multo* et *multum* in MSS. variant. vid. notata ad Quinct. ix. 2. quibus adde nostri locum v. Trist. xi. 7. ubi in codicibus quibusdam, *multum graviora tulisti.* Burm.

76. *Cedentes nocte.*] Quia sequenti disticho iterum *nocte* sequitur, Francius legebat *cedentes sponte,* ut opponantur *adversis aquis* vers. 36. et *invitis* 144.

Unda repercussæ radiabat imagine Lunæ,
Et nitor in tacitâ nocte diurnus erat:
Nullaque vox nostras, nullum veniebat, ad aures,
Præter dimotæ corpore, murmur, aquæ.
Alcyones solæ, memores Cëycis amati,
Nescio quid visæ sunt mihi dulce queri.
Jamque fatigatis humero sub utroque lacertis,
Fortiter in summas erigor altus aquas.
Ut procul adspexi lumen, Meus ignis in illo est;
Illa meum, dixi, litora numen habent.
Et subito lassis vires rediere lacertis:
Visaque, quam fuerat, mollior unda mihi.
Frigora ne possim gelidi sentire profundi,
Qui calet in cupido pectore, præstat amor.
Quo magis accedo, propioraque litora fiunt,
Quoque minus restat; plus libet ire mihi.
Cum vero possum cerni quoque; protinus addis
Spectatrix animos, ut valeamque facis.
Nunc etiam nando dominæ placuisse laboro,
Atque oculis jacto brachia nostra tuis.

82. *Dulce queri.*] Conjiciebat Francius, *triste queri*: nil opus. vid. Epist. xv. 152. *Dulce loqui* nonnulli codices.

84. *Fortiter.*] Duo libri *fortior.* vid. Epist. xvi. 267. sed quia *altus* sequitur, nihil mutandum est.

86. *Lumen habent.*] Meliores et plurimi, *numen;* ne bis idem dicat: *ignis* enim præcessit. et a numine rectius vires rediisse dicuntur. et ita duæ editiones quoque Venetæ. BURM.

89. *Frigora ne possim gelidi sentire profundi,* &c.] Sic quoque Leander, apud Musæum, 245:

Δεινὸς Ἔρως, καὶ πόντος ἀμείλιχος· ἀλλὰ θαλάσσης
Ἐστὶν ὕδωρ, τὸ δ' Ἔρωτος ἐμὲ φλέγει ἐνδόμυχον πῦρ. AMAR.

95. *Tunc etiam.*] *Nunc etiam* Puteaneus. HEINSIUS. Ita et duo alii codices. vid. Epist. xii. 53. et ita sæpe peccatum, quia librarii, non æque ut Poëtæ, tempus præteritum, sibi præsens fingere potuerunt. sic Remed. Amor. 605.

Sithoni, nunc certe vellem non sola fuisses. BURM.

Nando dominæ placuisse laboro.] Quo longius in recensenda hac Epistola procedo, eo magis Barthio adsentior, qui illam vix ausit Ovidio adscribere. Quamvis enim raro Noster vitium effugiat luxuriantis supra modum ingenii, numquam tamen eo venit licentiæ, ut totidem facetias et istius modi cavillationes in re solemni et

Te tua vix prohibet nutrix descendere in altum :
  Hoc quoque enim vidi : nec mihi verba dabas.
Nec tamen effecit, quamvis retinebat euntem,
  Ne fieret primâ pes tuus udus aquâ.
Excipis amplexu, feliciaque oscula jungis :
  Oscula (Dî magni!) trans mare digna peti.
Deque tuis demtos humeris mihi tradis amictus :
  Et madidam siccas æquoris imbre comam.
Cetera nox, et nos, et turris conscia novit,
  Quodque mihi lumen per vada monstrat iter.
Nec magis illius numerari gaudia noctis,
  Hellespontiaci quam maris alga potest.
Quo brevius spatium nobis ad furta dabatur,
  Hoc magis est cautum, ne foret illud iners.
Jamque, fugaturâ Tithoni conjuge noctem,
  Prævius Auroræ Lucifer ortus erat.
Oscula congerimus properata, sine ordine, raptim,
  Et querimur parvas noctibus esse moras.

fere tragica, excidere sibi patiatur. AMAR.

96. *Nostra.*] *Brachia lenta* Lovaniensis, ut Ep. seq. 48. quod jactationi melius convenire existimo, ut non videatur tam natare, ut cito contingat litora, quam artem spectatrici Dominæ ostentare. dicuntur vero *lenta* brachia, eadem ratione, qua *lenti remi* dicuntur. Brachia vero *remi corporis.* inf. vers. 215. BURM.

102. *Oscula Dîs magnis trans mare digna peti.*] Scribe cum Puteaneo et Sarraviano, *Dî magni.* Amor. lib. ii. Eleg. ult.

Oscula (Dî magni!) qualia quotque dabat!

Similiter *Di boni*, et *Dî immortales* apud Comicos et oratores. HEINS.

103. *Deque tuis demtos.*] *Eque tuis scripti.* HEINSIUS. Mihi *de* placet : geminare enim præpositiones magis amabant veteres. i. Am. iv. 50.

Conscia de gremio pallia deme meo.
BURM.

105. *Turris conscia.*] *Nutrix* Junianus, Bernensis et Douzæ excerpta. sed frustra. ita *ignis conscius* Statio vi. Theb. 547. alter Mentelianus quoque, *norunt.* BURM.

110. *Est cautum.*] *Captum* Sarravii, Lincoln. et Scriverii : forte non male. ut *captum tempus* sæpe apud Livium, Maronem et alios. de quo vide Gronov. ad Liv. xxvi. 12. BURM.

Atque ita cunctatus, monitu nutricis amaro
Frigida desertâ litora turre peto.
Digredimur flentes: repetoque ego Virginis æquor,
Respiciens dominam, dum licet, usque meam.
Si qua fides vero est; veniens huc esse natator;
Cum redeo, videor naufragus esse mihi.
Hoc quoque si credas; ad te via prona videtur:
A te cum redeo, clivus inertis aquæ.
Invitus repeto patriam: quis credere possit?
Invitus certe nunc moror urbe meâ.

115. *Atque ita cunctatus.*] Eleganter MSS. Palatinus:

Atque ita, contactus monitu nutricis amaro,
Frigida deserta littora turre peto.
Dan. Heinsius.

Cunctatus scripti plerique. *Cunctatus monitum* Puteaneus; quidam *amaræ*. Scribo, *cunctatus monitus nutricis amaros.* Heinsius. Nos ex codicibus veteribus, *cunctatus, monitu nutricis amaro,* &c. retinuimus, sed distinctione sensum adjuvimus. ut sit sensus; *amaro monitu* nutricis, post longam cunctationem, litora peto. solent enim amantes cunctari diu, antequam ab amata discedere possint. Burm.

118. *Dominam.*] *Animam* Lovaniensis. venuste, ut sæpe Poëtæ.

119. *Si qua fides vero est,* &c.] Sanus est locus, quem perverse prius acceptum, et frustra inde, tanquam vitiosum, ut sua, ita Cuperi conjectura sollicitatum dedit, atque interpretatus est Burmannus: *Si qua fides* mihi verum, sed cui *fidem* multi non habeant, dicenti. Versum 121 et sequentem imitatus videtur Claudian. de vi consul. Honor. 143:

——*Et quæ venientibus ante*
Prona fuit, jam difficilis, jam dura reversis. Lennep.

120. *Naufragus esse mihi.*] Robertus Titius lib. v. Locor. Controvers. cap. 4. hæc explicat, quasi Leander rediens natasset supinus, more naufragorum, cum Hero petens, pronus nataret, unde et in præcedentibus dixit, *respiciens dominam, dum licet usque meam.* quod alia ratione consequi non poterat, quam si supinus nataret. sed nos nihil hic tam arguti latere credimus, et simplicem esse sensum, se videri natatorem, id est voluptatis caussa se exercere, ostentare artem dominæ, et aquam esse pronam et facilem; sed dum redit, se laborare et difficulter natare, tamquam contra clivum aquæ, quæ nihil adjuvat natantem, sed ut in tempestatibus solet, cum naufragium factum est, se luctari cum aqua, ut naufragis evenire consuevit. qui quocumque modo *natare* dicuntur. vid. Epist. xix. 185. et hoc *respicere* docet, quod est versa cervice videre: quod non opus erat, si supinus nataret, tunc enim recte *adspicere* dominam potuisset. in animo hæc Ovidii habuisse videtur Claudianus vi. Cons. Honor. 143.

————*Et quæ venientibus ante*
Prona fuit, jam difficilis, jam dura reversis. Burm.

Hei mihi! cur animo juncti secernimur undis?
Unaque mens, tellus non habet una duos?
Vel tua me Sestos, vel te mea sumat Abydos:
Tam tua terra mihi, quam tibi nostra placet.
Cur ego confundor, quoties confunditur æquor?
Cur mihi caussa levis, ventus, obesse potest?
Jam nostros curvi norunt delphines amores:
Ignotum nec me piscibus esse reor.
Jam patet attritus solitarum limes aquarum;
Non aliter, multâ quam via pressa rotâ,
Quod mihi non esset, nisi sic iterare, querebar:
At nunc per ventos hoc quoque deesse queror.
Fluctibus immodicis Athamantidos æquora canent,
Vixque manet portu tuta carina suo.
Hoc mare, cum primum de Virgine nomina mersâ,
Quæ tenet, est nactum, tale fuisse puto.
Et satis amissâ locus hic infamis ab Helle est:
Utque mihi parcat, crimine nomen habet.
Invidio Phryxo; quem per freta tristia tutum
Aurea lanigero vellere vexit ovis.
Nec tamen officium pecoris navisve requiro:
Dummodo, quas findam corpore, dentur aquæ.

126. *Unaque mens.*] Elegans locutio, ubi compendioso sermone defunguntur, pro una mens habet duos; sed non una tellus habet. vide egregie J. Fr. Gronov. iv. Obs. 2. Burm.

135. *Quod mihi non esset, nisi sic, iterare querebar.*] *Itera* vetus liber Puteaneus, reliquis ejus verbi literis deletis, et recentiori manu superscriptum, *re. iter ante* prius fuisse suspicor. quomodo codex Moreti. idque verum esse existimo. Posset et legi, *iter ire.* ut Art. Amat. iii. 37.

Quære novem cur una vices iter irit, et audi.

Si sana illa scriptura. vide Notas ad Ep. vii. vers. 40. Heinsius. Illud tamen *iterare,* quod in optimis codicibus exstat, vix ausim rejicere, propter illud Horatii i. Od. 7. *Cras ingens iterabimus æquor.* Burm.

141. *Est satis amissa.*] *At satis* in uno Mediceo. ut Ep. xiv. 87. videtur autem respicere ad *τάφος* Ἕλληνος, ut dictus fuit Hellespontus. vid. Herodot. vii. 58. Burm.

Arte egeo nullâ: fiat modo copia nandi,
Idem, navigium, navita, vector, ero.
Nec sequar aut Helicen, aut, quâ Tyros utitur,
Publica non curat sidera noster amor. [Arcton:
Andromedan alius spectet, claramve Coronam,
Quæque micat gelido Parrhasis Ursa polo.
At mihi, quod Perseus et cum Jove Liber amarunt,
Indicium dubiæ non placet esse viæ.
Est aliud lumen, multo mihi certius istis;
Non erit in tenebris quo duce noster amor.

147. *Arte egeo nulla.*] Forte, *Pace egeo nulla.* Noster ii. Pont. 9.

Si pacem nullam pontus mihi præstet eunti,
Irrita Neptuno cur ego dona feram? Heins.

Illud *pace* huc quadrare non videtur, et obstant sequentia; cum Leander maxime pacem maris, ut copia nandi fiat, precetur. mihi non displicet, *parte querar nulla.* Burmannus. Mihi cæteris præferenda videtur vulgata, *arte egeo nulla.* Nautæ artem hic significari satis manifestum e sequentibus. Hoc vult Leander: si navigio uterer, etiam *arte* nautæ indigerem; jam vero, *modo nandi fiat copia, arte nulla egeo,* quum,

Idem navigium, navita, vector, ero. Lennep.

148. *Idem navigium.*] Similia habes apud Musæum v. 255.

Αὐτὸς ἐὼν ἐρέτης, αὐτόστολος, αὐτομάτος νηῦς.

149. *Helicen.*] Ursam majorem dicit, quam fabulæ ferunt, ex Callistone a Jove compressa, postquam Arcadia filium peperit, factam. nam ex puella formosissima a Junone in ursam est conversa. Ad harum observationem nautæ navigare solent. Sed Græci observant, *Helicen;* Phœnices vero *Cynosuram,* quam dicimus minorem ursam: de quibus ipse Ovidius in Trist. *Hub. Tyrus.*] Phœnix nauta. *Arcton.*] Minorem ursam, quam Cynosuram appellant. Ant.

Magna, minorque feræ quarum regis altera Grajas,
Altera Sidonias utraque sicca rates.

151. *Andromedan.*] Hanc Cephei filiam fuisse tradunt, et in cœlum relatam Persei gratia, quam secuta est. *Alius.*] Ad Ægyptios respicit, qui navigantes Andromedan observant. *Claramve coronam.*] Ariadnæ coronam in cœlum translatam diximus: quam Cretenses velut sidus peculiare sequuntur.

152. *Quæque micat gelido Parrhasis ursa polo.*] Patronymica non tantum ab hominibus, sed ab aliis quoque rebus deducuntur, ut *Cypris, Calydonis, Pegasis, Asis,* de quibus alibi. Ciof.

Parrhasis ursa.] Majorem ursam, quæ fuit Arcadia, intelligit, Callisto nominatam, Lycaonis filiam. *Polo gelido.*] Septentrionem intelligit, in quo hæc fulgent sidera circa axem.

155. *Est aliud lumen.*] *Alium* Aldus. *Numen* etiam quidam codices, ut supra 86. sed hic alia ratio est. nam τὸ *certius* exigit, ut legatur *lumen,* ut ita *sidera,* ad quæ navigatio instituitur, *certa* nautis dicuntur ful-

Hoc ego dum spectem, Colchos, et in ultima Ponti,
Quâque viam fecit Thessala pinus, eam:
Et juvenem possim superare Palæmona nando,
Miraque quem subito reddidit herba Deum.
Sæpe per adsiduos languent mihi brachia motus,
Vixque per immensas fessa trahuntur aquas.
His ego cum dixi, Pretium non vile laboris,
Jam dominæ vobis colla tenenda dabo:
Protinus illa valent, atque ad sua præmia tendunt;
Ut celer Elêo carcere missus equus.
Ipse meos igitur servo, quibus uror, amores:
Teque, magis cœlo digna puella, sequor.
Digna quidem cœlo, sed adhuc tellure morare:
Aut dic, ad Superos et mihi quâ sit iter.

gere Horatio et aliis. vid. ad Valer. Flac. i. 18. ubi plura dicemus. Burmannus.

158. *Thessala puppis.*] Puteaneus et alii meliores magno numero, *Thessala pinus.* bene, Statius Theb. iii.

——— *Primâ cum pube virentem*
Semideos inter pinus me Thessala reges
Duceret. ————

Alii tamen Argo fagineam faciunt. Præsertim Græci Poëtæ. Heinsius. Horat. Epod. xvi. 57.

Non huc Argoo contendit remige pinus.

Sed non tam ad materiem, unde Argo fuerit fabricata, respicere Poetas putem, cum *pinum* vocent, quam quod omnes naves *pinus* vocare soleant. quamquam et Valer. Flac. i. Arg. 123. *Pineam* fuisse indicet. solemnis vero vocum *puppis* et *pinus* confusio. vid. infr. ii. Am. xi. 43. et ii. Fast. 101. et alibi. Burm.

160. *Quem herba mira reddidit Deum.*] Glaucum significat, qui cum piscator esset apud Anthedonem Euboicam, et pisces in littore positos gustata quadam herba in mare resiliisse vidisset, et ipse ejus herbæ vim experiri decrevit: qua gustata, statim in mare se præcipitavit, et Deus factus est. vide Ovid. 7. Metam. Dicit igitur Leander, dummodo spectet amicam suam, se posse superare nando Palæmona et Glaucum, deos maris.

168. *Teque magis.*] Forte:

Teque mari, cœlo digna puella, sequor. Heins.

Perperam: te magis dignam inter stellas recipi et Deam fieri, quam Andromeda, Ariadna et aliæ.

169. *Tellure morare.*] Ita in Aldinis habetur, itaque legendum potius existimo; ut sit imperativi modi, quam *morari* infinitivo, aut *moraris* indicativo modo. Nam et sequens verbum ejusdem modi est; cum ait:

Aut dic, ad superos hinc mihi qua sit iter. Micyl.

Moraris Puteaneus et alii multi. tres, *moreris*: unus *morari*. Heins.

Hic es, et exiguum misero contingis amanti:
  Cumque meâ fiunt turbida mente freta.
Quid mihi, quod lato non separor æquore, prodest?
  Num minus hoc nobis tam brevis obstat aqua?
An malim, dubito, toto procul orbe remotus
  Cum dominâ longe spem quoque habere meâ.
Quo propius nunc es, flammâ propiore calesco:
  Et res non semper, spes mihi semper adest.
Pene manu, quod amo, (tanta est vicinia) tango:
  Sæpe sed (heu!) lacrimas hoc mihi pene movet.
Velle quid est aliud fugientia prendere poma,
  Spemque suo refugi fluminis ore sequi?
Ergo ego te numquam, nisi cum volet unda, tenebo?
  Et me felicem nulla videbit hiems?
Cumque minus firmum nil sit quam ventus et unda,
  In ventis et aquâ spes mea semper erit?

171. *Hinc est quod raro misero contingis amanti.*] Sic in quibusdam legitur. Estque illatio absque antecedente. cui enim inferas, *Hinc est quod raro?* an ei quod proxime antecedit, *Aut dic, ad superos,* &c. At interrogationi huic non potest, et ulterioribus inconveniens est. Lego ergo cum Aldinis: *Hic es, et exiguum misero contingis amanti.* quod est: Non es in cœlis, aut tam longe remota, et tamen exiguum contingis: hoc est, raro ac modice. posito adjectivo neutri generis pro adverbio. MICYLLUS. *Et exiguum misero contingis amanti,* omnino legendum e bonis exemplaribus, et ratione. Id est, et perraro eam capimus voluptatem, quam frequentissime capere deberemus. CIOFANUS. *Hic est exigue* Puteaneus, pro *Hic es, et exigue:* sed *exiguum* rectius. *Hic es, et exiguo* sex libri. *Exigue* alter Mentelianus. HEINSIUS. Alii codices aliter. sed nihil in iis, quod ad bonitatem lectionis vulgatæ accedat. nisi legas, *Hic es, at exiguum.* vel, *scilicet exiguum.*

178. *Et res non semper.*] *Ut res* Lovaniensis: Familiaris vero illa agnominatio scriptoribus. Auson. Parent. xi.

Pastor chare nepos, spes cujus certa
  fuit res. BURM.

180. *Sæpe sed (heu!) lachrymas hoc mihi Pene facit.*] Hoc *Pene*, inquit, facit mihi sæpe lachrymas: id est, quod pene manu nos tangimus, et tamen contingere non possumus. Allusio autem est ad priorem versum, in quo idem adverbium, *pene*, ponitur. MICYL.

Æstus adhuc tamen est. quid cum mihi læserit æquor
  Plias, et Arctophylax, Oleniumque pecus!
Aut ego non novi, quam sit temerarius; aut me
  In freta non cautum tunc quoque mittit Amor.
Neve putes id me, quod abest, promittere tempus:
  Pignora polliciti non tibi tarda dabo.
Sit tumidum paucis etiam nunc noctibus æquor;
  Ire per invitas experiemur aquas.
Aut mihi continget felix audacia salvo:
  Aut mors solliciti finis amoris erit.
Optabo tamen, ut partes expellar in illas;
  Et teneant portus naufraga membra tuos.
Flebis enim, tactuque meum dignabere corpus:
  Et, Mortis, dices, huic ego caussa fui.
Scilicet interitûs offenderis omine nostri:
  Literaque invisa est hac mea parte tibi.
Desino; parce queri. sed et ut mare finiat iram,
  Accedant, quæso, fac tua vota meis.

187. *Cum mihi læserit.*] *Cum modo læserit* volebat Francius: illud, *mihi læserit æquor*, mihi suspectum est. forte *cluserit*, pro *clauserit*. *Clausum æquor* quid sit notum. apposite Manil. i. 365.

Tunc subeunt hædi, claudentes sidere pontum
Nubibus. ———— BURM.

189. *Aut ego non novi, quam sim temerarius.*] *Quam sit* cum Scriveriano et uno Farnesii legendum. de Amore sermo est. Amor. lib. i. El. ii. ad Cupidinem:

Tum quoque non paucos, si te bene novimus, ures.

Sequenti etiam versu, *non cautum* tres libri. bene. HEINSIUS. Legerem etiam, *non cautum tunc*, vel quia in Juniano est, *captus jam, non cautum jam*. infr. 210.

Tunc piger ad nandum, tunc ego cautus ero.

In Moreti erat, *In freta non cautum turbida mittet amor*. eleganter. BURM.

199. *Tactuque.*] Francius conjiciebat *jactuque*, scil. arenæ, qua cadavera ejecta tegere solebant. sed ita *jactu* absolute ponere durum est et insolens.

200. *Mortis.*] *Morti* Moreti, quod mollius ob sequens *dices*. vid. ii. Amor. vi. 31. et i. Pont. ii. 17.

Pace brevi nobis opus est; dum transferor isto:
Cum tua contigero litora, perstet hiems.
Illic est aptum nostræ navale carinæ:
Et melius nullâ stat mea puppis aquâ.
Illic me claudat Boreas; ubi dulce morari;
Tunc piger ad nandum, tunc ego cautus ero.
Nec faciam surdis convicia fluctibus ulla:
Triste nataturo nec querar esse fretum.
Me pariter venti teneant, pariterque lacerti;
Per caussas istic impediarque duas.
Cum patietur hiems, remis ego corporis utar.
Lumen in adspectu tu modo semper habe.
Interea pro me pernoctet epistola tecum;
Quam, precor, ut minimâ prosequar ipse morâ.

205. *Dum transferor istuc.*] In quibusdam, dum *transfretor istuc.* mihi *transferor* magis placet. Naugerius. *Transfretor* ne recipiam facit auctoritas Aul. Gellii. lib. x. 26. qui *transfretasse* dixisse veteres docuit. deberet ergo hic *transfreto* dixisse. sed seculo Ovidii non admodum usitatum verbum hoc existimo. Burm.

206. *Perstet.*] In uno Heinsiano erat, *perflet.* sed nihil temere mutem. Epist. xvi. 25.

Perstet, et ut pelagi sic pectoris adjuvet æstum.

Perflare aliam habet significationem, ut in illo Virgilii i. Æneid. 813.

——— *Et terras turbine perflant.*
Burm.

207. *Illic est.*] *Istic* Puteaneus, ut et alii multi. quomodo iidem mox denuo. Heins.

211. *Fluctibus.*] Novi multos esse Poëtas in illa locutione, *surdior mari,* vel *freto,* sed hic bis idem diceret, si vera est lectio, *fluctibus. triste* enim *fretum* est idem, ac fluctibus agitatum et tumidum. quare mallem hic, *flatibus* legere, quibus jam sequentia optime respondent: *Me pariter venti teneant.* vid. ad vii. Met. 532. Burm.

216. *Lumen in aspectu,* &c.] Apud Musæum idem, 216.:

Ἀλλὰ, φιλὴ, πεφύλαξο βαρυπνείοντας ἀήτας,
Μή μιν (λύχνον) ἀποσβέσσωσι.
Amar.

'Tis woman's whole existence; man may range
The court, camp, church, the vessel, & the mart,
Sword, gown, gain, glory, offer in exchange

EPISTOLA XIX.

HERO LEANDRO.

Quam mihi misisti verbis, Leandre, salutem,
  Ut possim missam rebus habere; veni.
Longa mora est nobis omnis, quæ gaudia differt.
  Da veniam fassæ; non patienter amo.
Urimur igne pari: sed sum tibi viribus impar.
  Fortius ingenium suspicor esse viris.
Ut corpus, teneris ita mens infirma puellis.
  Deficiam; parvi temporis adde moram.
Vos, modo venando, modo rus geniale colendo,
  Ponitis in variâ tempora longa morâ.
Aut fora vos retinent, aut unctæ dona palæstræ:
  Flectitis aut freno colla sequacis equi.

1. *Leandre.*] Dubitat Egnatius an non, prima syllaba producta, Græcorum more *Leiandre* sit scribendum. Non puto: nam nec *Cythereia* scribitur, aut *Medeia* aut *Æneias.* Græcis porro tam Λήανδρος in usu, quam Λέανδρος, aut Λείανδρος fuisse, probat Alex. Severi nummus. apud Morellium in specimine Rei nummariæ, p. 188. Lennep.

11. *Aut fora vos retinent, aut unctæ dona palæstræ.*] E Romanorum consuetudine dictum est, qui caussis agendis in foro se exercebant, et palæstra ludebant. Martialis lib. iv. Epigram. 8. quo aliquot illorum mores prosecutus est:

Prima salutantes atque altera continet hora;
Exercet raucos tertia causidicos.
In quintam varios extendit Roma labores,
Sexta quies lassis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palæstris,
Imperat extructos frangere nona toros.
Hora libellorum decima est, Eupheme, meorum,
Temperat ambrosias cum tua cura dapes. Ciof.

Aut unctæ dona palæstræ.] Τὸ *dona* non satisfacit. quod ex officina interpolatorum censeo prodiisse: cum in exemplaribus esset, *unctæ palæstræ*, omissa videlicet unica voce, quam cognatio literarum τοῦ *unctæ* absorpserat, cujusmodi mendas propemodum infinitas, cum in Nasone, tum in aliis scriptoribus deprehendimus. videtur ergo a Nasonis manu fuisse:

——— *Aut unctæ lucta palæstræ.* Heins.

12. *Fugacis equi.*] In laudem ponitur, id est, celeris, velocis. Sic Horat. Ode i. lib. ii. carm.

And few there are whom these cannot estrange;
Men have all these resources, we but one,
To love again, or be again undone.
Don Juan.

Nunc volucrem laqueo, nunc piscem ducitis hamo.
Diluitur posito serior hora mero.
His mihi submotæ, vel si minus acriter urar,
Quod faciam, superest, præter amare, nihil.
Quod superest, facio: teque, ô mea sola voluptas,
Plus quoque, quam reddi quod mihi possit, amo.
Aut ego cum carâ de te nutrice susurro;
Quæque tuum, miror, caussa moretur iter:
Aut mare prospiciens, odioso concita vento
Corripio verbis æquora pene tuis:
Aut ubi sævitiæ paullum gravis unda remisit:
Posse quidem, sed te nolle venire, queror:
Dumque queror, lacrimæ per amantia lumina manant,
Pollice quas tremulo conscia siccat anus.
Sæpe tui, specto, si sint in litore passus:
Impositas tamquam servet arena notas.

Jam fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitumque vultus.
Vide quæ etiam notavi in Observat. in Metamorph. Ciofanus. *Sequacis equi* Puteaneus et alii non pauci. dictum ad Epist. iv. vers. 46. Heins.

14. *Diluitur posito serior hora mero.*] Hoc carmen eam, quam modo exposui, opinionem confirmat: cum hoc quoque e Romanorum more perspicue dicatur, qui octava noctis hora (idque Martialis, quæ supra posui, carmina aperte declarant) cœnabant. Hinc igitur a Poëta nostro *hora serior* appellatur. Ciof.

15. *His mihi submotis.*] *Submotæ* Putean. et Arg. recte, nihi malis, *semotæ*. Heins.

17. *Mea sola voluptas.*] Prima editio et tres scripti, *mi sola*. ἀρχαϊκῶς. pro *mea*. aut pro *mihi*, ut sit Græcismus. Sic apud Tragicos, ὦ τέκνον μοι, ὦ γύναι μοι, et similia. Heinsius.

Illud *mi sola* non placet, et Apulejo convenire magis rancidam antiquitatem credo, quam Ovidio, neque Tibullo decoram credidit Broukhusius ad laudata ejus Poëtæ verba. vide et Pincier. Parerg. lib. ii. cap. 2. Burm.

18. *Plus quoque quam credi.*] *Quam reddi* Puteaneus et Basileensis. Venuste. Burm.

26. *Conscia siccat anus.*] Hafniensis et Lovaniensis, *Cretica;* cum Glossa, *id est de Creta.* Sed legendum puto, *Trecia.* sic lib. ii. Art. Amat. pro *Mars Trecen occupat*, male *Creten* scribebatur ante. apud Horatium lib. iii. Od. ix. quæ in vulgatis codicibus, *Chloë Cressa* est, hanc vetusta exemplaria *Thressam* faciunt. apud Maronem, pro *Cressa genus Phœbe*, Scholiastes Horatii antiquus agnoscit *Thressam*. Heinsius.

Utque rogem de te, et scribam tibi, si quis Abydo
  Venerit, aut, quæro, si quis Abydon eat.
Quid referam, quoties dem vestibus oscula, quas tu
  Hellespontiacâ ponis iturus aquâ?
Sic ubi lux acta est, et noctis amicior hora
  Exhibuit pulso sidera clara die;
Protinus in summâ vigilantia lumina turre
  Ponimus, adsuetæ signa notamque viæ.
Tortaque versato ducentes stamina fuso,
  Femineâ tardas fallimus arte moras.
Quid loquar interea tam longo tempore, quæris?
  Nil, nisi Leandri nomen, in ore meo est.
Jamne putes exisse domo mea gaudia, nutrix?
  An vigilant omnes? et timet ille suos?
Jamne suas humeris illum deponere vestes;
  Pallade jam pingui tinguere membra putes?

29. *Utque rogem de te et scribam tibi.*] Versus paulo durior. Libri sex *τὸ et* non agnoscunt. unus Ambrosianus, *ut scribam*. Puto legendum hoc modo totum distichon:

Utque rogem de te quæramque, huc si quis Abydo
Venerit: aut scribam, si quis Abydon eat.

Deinde sequens distichon huic est præponendum. Heinsius. Nihil puto movendum, sed sensus et ordo ita constituendus; ut rogem de te, et scribam tibi, quæro, *si* (id est *an*) quis Abydo venerit, aut si quis Abydon eat. illud *aut* male cum *quæro* conjunctum confudit sensum. Burm.

35. *In summa turre.*] *In summo tecto* Puteaneus et Moreti codex. Heinsius. Non probo. *Turris* enim etiam in præcedenti Epistola meminit.

41. *Jamne putas.*] *Putes* complures scripti. ut et tribus ab hinc versibus:

Pallade jam pingui tingere membra putes.

Ubi, vel contra codicum fidem, *fingere* reponendum contendo. Heinsius. Non puto hic locum posse habere *fingere*, ut alibi. et tamen offendit ille soni ejusdem iteratio, *pingui tinguere*. quare ego mallem, *Ungere jam pingui pallade membra putes.* nam in antiquis omnibus editis est, *Tingere jam pingui pallade membra putes*, voces autem *tinguere* et *unguere*, ubique fere commutatæ a librariis. vid. i. Amor. xiv. 2. et i. Art. 288. *Tangere* erat in uno Moreti, et excerptis Douzæ: etiam eleganter: nam *oleo tangere* Catonem et Varronem dixisse docuit Scriver. ad Martial. lib. vi. Epigr. 74. Burm.

44. *Pallade.*] Olivo, cujus tutelam habet Pallas. Natatores oleo imbuuntur, ne aquarum frigiditate læsi nervi rigescant.

Adnuit illa fere: non nostra quod oscula curet;
Sed movet obrepens somnus anile caput.
Postque moræ minimum, Jam certe navigat, in-
Lentaque dimotis brachia jactat aquis. [quam;
Paucaque cum tactâ perfeci stamina telâ,
An medio possis, quærimus, esse freto.
Et modo prospicimus: timidâ modo voce preca-
Ut tibi det faciles utilis aura vias. [mur,
Auribus interdum voces captamus, et omnem
Adventûs strepitum credimus esse tui.
Sic ubi deceptæ pars est mihi maxima noctis
Acta; subit furtim lumina fessa sopor.
Forsitan invitus, mecum tamen, improbe, dormis:
Et, quamquam non vis ipse venire, venis.
Nam modo te videor prope me spectare natantem:
Brachia nunc humeris humida ferre meis.
Nunc dare, quæ soleo, madidis velamina membris:
Pectora nunc juncto vestra fovere sinu.
Multaque præterea, linguæ reticenda modestæ;
Quæ fecisse juvat, facta referre pudet.

47. *Moræ minimum.*] *Nimium* Puteaneus et alii plurimi codices. et Bersmanni editio, quod accommodatius non patienter amanti. notandum vero *navigat* hic dici, pro natat. vid. infr. vers. 155. Burm.

49. *Paucaque cum tacta perfeci stamina terra.*] Quid *tacta terra* hic sibi velit, non satis assequor. Jureti Excerpta, unus Ambrosianus et Gottorphianus, *tela*. egregie. Sed et *tracta*, pro *tacta* videtur reponendum. hinc et *tractum* neutro, et *tracta* fœminino genere, voces substantivæ, de quibus Scaliger ad lib. i. Eleg. vii. Tibulli. *vos lanam trahitis*, apud Juvenalem Sat. ii. 54. *Trahere telam*, ut *trahere lanam*, et *trahere pensa*. posset et *facta tela*. ut *facere stamen* Juvenal. Sat. ii. vers. 57. Heinsius. Ego *tacta* retinui, id est, leviter, negligenter tacta, quia mens, alibi occupata, non attendebat lanificio. inepte exponunt, *tacta terra*, fila producendo, ut terram tangant, quod sequitur Crispinus, scrinia compilans aliorum. Burm.

62. *Pectora nunc juncto nostra fovere sinu.*] *Vestra* malim cum Scriveriano et Juniano. Heinsius. *Noto vestra* Excerpta Douzæ. *nunc madido* Moreti, *vestra* recepi. nam frigida et humentia Leandri pectora fovere videbatur Hero.

Me miseram! brevis est hæc, et non vera voluptas:
Nam tu cum somno semper abire soles.
Firmius ô cupidi tandem cœamus amantes:
Nec careant verâ gaudia nostra fide.
Cur ego tot viduas exegi frigida noctes?
Cur toties a me, lente natator, abes?
Est mare (confiteor) nondum tractabile nanti:
Nocte sed hesternâ lenior aura fuit.
Cur ea præterita est? cur non ventura timebas?
Tam bona cur periit, nec tibi rapta, via est?
Protinus ut similis detur tibi copia cursûs;
Hoc melior certe, quo prior, illa fuit.
At cito mutata est jactati forma profundi:
Tempore, cum properas, sæpe minore venis.

65. *Me miseram.*] Distichon hoc suspectum est: legerem etiam:

Me miserum! brevis hæc, et non sincera voluptas.

Ut lib. viii. Metam. 455.

Usque adeo nulla est sincera voluptas. Heins.

Probæ notæ distichon. et *vera voluptas*, opponitur isti vanæ et imaginariæ, quæ in somnis capi videtur.

70. *Lente natator.*] *Morator*, vel *natator* Puteaneus. Moreti codex, *viator*. *toties abes*, ut apud Propertium, iv. iii. 2.

Cum toties absis, si potes esse meus. Heins.

71. *Tractabile.*] *Tranabile* Lovaniensis. sed *non tractabile cœlum* Virgil. iv. Æneid. 53. *Penetrabile* Basileensis: etiam non invenuste. ita *penetrabile tempus* Claud. Bell. Get. 278. Burm.

74. *Nec tibi capta via est.*] *Rapta* Puteaneus et undecim alii cum prima editione. Optime. Seneca Agamemnone 154.

Rapienda rebus in malis præceps via est.

Rapere tempus Lucano et Silio, de quibus vide Rittershusium notis in Gunther. pag. 29. *Rapere fortunam* Statio Theb. v. 131. apud Pers. Sat. v.

—— *Nihil obstat, quin trabe vasta Ægæum rupias.*

Virgil. Æneid. x. 372.

—— *Ferro rapienda per hostes Est via.* ——

Ita illic inveni in vetusto codice, non *rumpenda*. Sic *rapere arva* apud Stat. Theb. xii. 210. et ita Græci suo ἁρπάζειν utuntur. *Corripere viam* et *iter* est magis obvium, et *arripere*. sic quoque *rapere vestes* pro festinanter parare eidem Val. Flacco lib. iii. 340. Heins.

75. *Copia cursûs.*] Navigandi facultas. Ciofanus. *Nandi* liber Leidensis et Excerpta Douzæ. ex Epist. præced. vers. 147. Heins.

77. *Mutata est.*] Non negligendum quod in Leidensi codice erat, *mutarit*. Solebant enim hac forma uti veteres hoc verbo, ut Liv. iii. 10. Burm.

Hîc, puto, deprensus nil, quod querereris, haberes;
Meque tibi amplexo nulla noceret hiems.
Certe ego tum ventos audirem lenta tonantes,
Et numquam placidas esse precarer aquas.
Quid tamen evenit, cur sis metuentior undæ?
Contemtumque prius, nunc vereare, fretum?
Nam memini, cum te sævum veniente minaxque
Non minus, aut multo non minus, æquor erat.
Cum tibi clamabam, Sic tu temerarius esto,
Ne miseræ virtus sit tua flenda mihi.
Unde novus timor hic? quoque illa audacia fugit?
Magnus ubi est spretis ille natator aquis?
Sis tamen hoc potius, quam quod prius esse sole-
Et facias placidum per mare tutus iter. [bas:
Dum modo sis idem: dum sic, ut scribis, amemur:
Flammaque non fiat frigidus illa cinis.

81. *Ventos audirem læta sonantes.*] Puteaneus et Leidensis, *lenta*. recte. HEINSIUS. Vide Cl. Drakenh. ad Sil. xii. 567.

Sonantes.] Scriverii codex, *tonantes:* quod verum puto. mox mallem, *placidas ire precarer aquas. Ire* enim proprie aquas dici docuit egregie Broukhusius noster ad Tibul. i. Eleg. x. 38. ubi simile mendum sustulit. adde et quæ Barthius ad Statii lib. iv. Theb. 778. adnotavit. BURMANNUS. Minus recte ut opinor: nam quod *ire* proprie dici *aquas* scribit Burman. idque egregie docuisse Broukh. ad Tibull. verum est quidem de aquis fluminum, ab editis locis versus inferiora semper decurrentibus; at non verum est de aquis modo huc modo illuc agitati maris. LENNEP.

83. *Cur sis metuentior.*] Ita Tacitus xiii. Ann. 25. *Nero metuentior in posterum;* quod cur in *metu intentior* mutandum censeant viri eruditi, ipsi viderint. ipse Ovidius i. Metam. 323.

Aut illâ metuentior ulla Deorum.
HEINS.

Eodem fere sensu Terent. Phorm. ii. i. *Vereor ne isthæc fortitudo in nervum erumpat.* ubi *fortitudo* etiam in malam partem, pro confidentia, audacia, ut hic *virtus*. BURM.

89. *Unde novus timor hic.*] In Scriverii codice erat, *Unde timor nothus hic:* quæ lectio, si vera, pro degeneri sumenda est. eo verbo et utitur in Epistola iv. 122.

Scilicet ut caperes regna paterna nothus. HEINS.

Ex Virgilio posset illustrari, qui libro iv. 13.

Degeneres animos timor arguit.

Sed non puto Ovidium *timorem nothum,* dixisse, quamvis *nothum lumen Lunæ* Catullus et Lucretius tribuant. BURM.

90. *Spretis aquis.*] Quæ vi ventorum commotæ erant. CIOF.

Non ego tam ventos timeo, mea vota morantes,
Quam, similis vento ne tuus erret amor:
Ne non sim tanti, superentque pericula caussam:
Et videar merces esse labore minor.
Interdum metuo, patriâ ne lædar, et impar
Ducar Abydeno Thressa puella toro.
Ferre tamen possum patientius omnia; quam si
Otia, nescio quâ pellice captus, agas:
In tua si veniant alieni colla lacerti:
Sitque novus nostri finis amoris amor.

100. *Dicar Abydeno Sesta puella viro.*] Puteaneus, *Thressa.* optime. Diximus supra. Certe Thressæ despectæ, ut ex Græcorum patet commentariis. Atque ita Themistocli objectum quod e Thressa prognatus esset. ut liquet ex Æmilio Probo. Anthisteni etiam Philosopho, ut videre est apud Diogenem Laërtium in ejus vita, et in vita Socratis. Timothei quoque ducis celeberrimi matrem Thressam fuisse, et quidem meretricem, notat Athenæus lib. iii. ac propterea illum fuisse irrisum. Citantur ab Athenæo in Deipnosophisticis, et ab aliis Grammaticis Θράτται Comœdia Cratini, in qua Thressas fœminas fuisse exagitatas nullum mihi dubium fit. Hinc et apud Valerium Flaccum libro iii. 706. Zethes et Calaïs, *Thracia proles* per contemptum ab Jasone vocantur, quod ex Borea nati essent:

Nunc Parthaonides, nunc dux mihi Thracia proles:
Aspera nunc pavidos contra ruit agna leones.

Thraces enim pro barbaris habiti, quomodo et Scythæ. sic Demostheni etiam narrant exprobratum fuisse, quod matre Scytha prognatus esset. De iis, qui Thressa matre prognati essent, locus est insignis apud Theophrastum charactere περὶ κακολογίας. ubi pro insigni contumelia notat hanc exprobrationem, ἡ μὲν τοὶ μήτηρ εὐγενὴς Θράττα ἐστί. τὰς δὲ τοιαύτας ἐν τῇ πατρίδι εὐγενεῖς εἶναι φασίν. Ancillæ namque ac meretrices apud Athenienses magnam partem domo Thressæ erant. sed videtur illic scribendum esse, ἐν Ἀτθίδι, pro, ἐν τῇ πατρίδι. nam Thraces ut Græcis omnibus despecti, ita Atheniensibus maxime. Herodes Atticus apud A. Gellium Noct. Attic. libro xix. cap. 12. *Ne id accidat, quod cuipiam Thraco insipienti et rudi vertisse usu fabula est. Homo Thracus, inquit, ex ultima barbaria, ruris colendi insolens, cum in terras cultiores humanioris vitæ cupidine commigrasset, fundum mercatus est oleo atque vino constitutum.* pro *Dicar* excerpta Vossii, *Ducar.* quod etiam arridet. de eo plura in notis in Metamorphoses. Heinsius. Thressas despectas fuisse docet Petit, Miscell. lib. ii. cap. 4. imo ipsos Abydenos contemptui habitos docent proverbia in illos jactata. vid. proverbia Græca Schotti. p. 1. p. 294. et 331. et Pantini notas in Apostolium pag. 248. Burm.

Ah potius peream, quam crimine vulnerer isto:
Fataque sint culpâ nostra priora tuâ!
Nec quia venturi dederis mihi signa doloris,
Hæc loquor; aut famâ sollicitata novâ.
Omnia sed vereor: (quis enim securus amavit?)
Cogit et absentes plura timere locus.
Felices illas, sua quas præsentia nosse
Crimina vera jubet, falsa timere vetat!
Nos tam vana movet, quam facta injuria fallit:
Incitat et morsus error uterque pares.
O utinam venias! aut ut ventusve paterve,
Caussaque sit certæ femina nulla moræ!
Quod si quam sciero; moriar (mihi crede) dolendo.
Jamdudum peccas, si mea fata petis.
Sed neque peccabis, frustraque ego terreor istis:
Quoque minus venias, invida pugnat hiems.
Me miseram! quanto planguntur litora fluctu!
Et latet obscurâ condita nube dies!
Forsitan ad pontum mater pia venerit Helles,
Mersaque roratis nata fleatur aquis:
An mare, ab inviso privignæ nomine dictum,
Vexat in æquoream versa noverca Deam?

113. *Vana movet.*] Admodum variant scripti. multi, *vera movet.* alii, *falsa movet, quam ficta.* sed vulgata proba est. *vana* enim injuria est, quæ incertis et levibus auctoribus, et rumore ad nos perfertur. vide Donat. ad Terent. Eunuch. i. 2. et ita recte opponitur *factæ* injuriæ, vana enim temere jactatur, nec umquam admissa est. sic mox, 132.

Criminis est Tyro fabula vana tui.
Burm.

123. *Pontum.*] Sex scripti codices *portum* habent. forte non male; nisi malis *Porthmum* legere, nam hoc fretum Πορθμὸς dictum fuit. vid. notas Maussaci in Plutarch. de Fluminibus. pag. 286. Luctat. in Stat. pag. 14. eadem varietas in manuscriptis est Metam. xi. 195.

Ultus abit Tmolo, liquidumque per aëra vectus
Angustum circa pontum Nepheleidos Helles.

Ubi quidam *portum* exhibent. Heinsius.

126. *Vexat.*] *Vexet* scribendum postulant superiora. nisi pro *Aut* præce-

Non favet, ut nunc est, teneris locus iste puellis.
Hac Helle periit; hac ego lædor aquâ.
At tibi flammarum memori, Neptune, tuarum
Nullus erat ventis impediendus amor:
Si neque Amymone, nec laudatissima formâ
Criminis est Tyro fabula vana tui;
Lucidaque Alcyone, Circeque et Alymone nata,
Et nondum nexis angue Medusa comis;
Flavaque Laodice, cœloque recepta Celæno,
Et quarum memini nomina lecta mihi.

denti versu, *An* legas cum Puteaneo. idque præstat. HEINS.

127. *Non favet, ut nunc est,* &c.] Similiter Thessaloniensis Antipater, Epig. 52. Anal. Brunck, t. ii. p. 102.

Αἰεὶ θηλυτέρῃσιν ὕδωρ κακὸν Ἑλλήσποντος. AMAR.

131. *Laudatissima formâ.*] Tyro, ut Homerus scribit, Salmonei filia fuit quæ Enypeum fluvium amavit: in cujus ripis Neptunus in Enypeum versus, compressit eam, Neleumque et Peliam ex illa filios uno partu suscepit. ANT. *Si.*] Pro siquidem. *Tui criminis.*] Tui amoris et concubitus. Amymone una fuit ex filiabus Danai, fratris Ægypti: quam cum pater ejus aquatum misisset, et Satyrus visam insequeretur, et illa auxilium Neptuni imploraret, Neptunus, fugato Satyro, eam compressit: ex qua genuit Nauplium, patrem Palamedis.

133. *Alcyone.*] Hæc fuit una ex Pleiadibus, filia Atlantis: ex qua Neptunus suscepit Lycaona, et Hyrieum, patrem Orionis. *Lucida.*] Quia in stellam conversa est. HUB. *Circe et Alymone nata.*] Iphimediam significat, Circes et Alymonis filiam, quæ Aloeo nupsit, ut in Odyssea scribit Homerus: jactavitque se cum Neptuno miscuisse, et ex eo prolem inclytam Otum et Ephialtem suscepisse. ANT. *Circeque et Alymone nata.*] Scribo, *Calyceque Ecatheone nata.* Hyginus Fab. clvii. ubi Neptuni filios recenset, *Cygnus ex Culyce Hecatonis filia.* ubi *Hecatæonis* videtur rescribendum. Scholiastes Theocriti Idyll. xvi. *Κύκνον λέγει τὸν Ποσειδῶνος καὶ Κήϋκος.* Vel ut aliæ editiones habent, Καΰκος. Lego Καλύκης. addit autem, *Hecatæone nata*, ut ab altera Calyce Endymionis matre, filia Æoli, distinguat. sic lib. viii. Metam. 307.

—— *Et cretus Amyntore Phœnix.*

Ne Agenoris filius intelligatur. Certe Cycni matrem, quocunque tandem appellatam nomine, hic intelligi ab Ovidio non est dubium. Si quis meliora protulerit, is Musas singulari beneficio demerebitur. HEINSIUS. *Amitone* Bernensis.

135. *Laodice.*] Duæ fuerunt hoc nomine dictæ: una, filia Agamemnonis et Clytemnestræ: altera, filia Priami: quam nunc puta poëtam intelligere, quod a Neptuno amata sit. *Cœloque recepta Celæno.*] Atlantis filia Alcyones soror, una fuit ex Pleiadibus. *Recepta cœlo.*] Diximus, has sorores in cœlum translatas, sidus effecisse, quod

Has certe pluresque canunt, Neptune, poëtæ
 Molle latus lateri composuisse tuo.
Cur igitur, toties vires expertus amoris,
 Adsuetum nobis turbine claudis iter?
Parce ferox; latoque mari tua prœlia misce.
 Seducit terras hæc brevis unda duas.
Te decet aut magnas magnum jactare carinas;
 Aut etiam totis classibus esse trucem.
Turpe Deo pelagi, juvenem terrere natantem:
 Gloriaque est stagno quolibet ista minor.
Nobilis ille quidem est, et clarus origine: sed non
 A tibi suspecto ducit Ulixe genus.
Da veniam, servaque duos. natat ille: sed îsdem
 Corpus Leandri, spes mea, pendet aquis.
Sternuit et lumen: (posito nam scribimus illo.)
 Sternuit; et nobis prospera signa dedit.

navigationis initium ortu suo ostendere solet. Has Latini appellant Vergilias.

140. *Turbine claudis iter.*] *Turbide* duo scripti. Sed rectum est *turbine:* si enim *tempestate præcludere maria* potuerit dixisse Florus iii. 6. cur non iter possit turbine claudi? *Turbo* autem Poëtis vox familiaris pro procella. Burm.

141. *Tua prœlia.*] Francius volebat, *fera prœlia.*

142. *Seducit terras hæc brevis unda duas.*] Septem stadia, quæ interfluit Hellespontus, Abydus a Sesto distat. Plinius lib. iv. cap. xi.

148. *A tibi suspecto.*] Ad Polyphemum referenda sunt hæc, cujus gratia Neptunus Ulyssi infensus erat. Excæcaverat enim illum Ulysses, cum exprobratione ea, ut diceret, neque patrem Neptunum auxiliaturum illi esse, aut oculum restituturum: ut est in Odyss. Homeri i. 525. Micyl.

148. *Ducit Ulixe genus.*] Quum multis e locis, in ipsa hac Epistola, tum ex hac potissimum Ulixis mentione, patet Hero Leandrumque, opinione certe Ovidii, Trojanis temporibus longe recentiores exstitisse. Statius tamen Thebano bello facit antiquiores, quum illorum meminerit, in pallio, quo donatur Admete victor in ludis ad tumulum Archemori celebratis. Theb. vi. 541. Amar.

151. *Sternuit et lumen,* &c.] Sternutationem sive crepitum lucernæ faustum in amoribus omen præbuisse docet Anthol. Græc. vii. Epigr. 177.

Ἤδη, φίλτατε λύχνε, τρὶς ἔπταρες· ἦ τάχα τερπνὴν
Ἐς θαλάμους ἥξειν Ἀντιγόνην προλέγεις;
Εἰ γὰρ ἄναξ εἴη τόδ' ἐτήτυμον, οἷος Ἀπόλλων,
Θνητοῖς μάντις ἔσῃ καὶ σὺ παρὰ τρίποδι. Amar.

Ecce merum nutrix faustos instillat in ignes:
Crasque erimus plures, inquit, et ipsa bibit.
Effice nos plures, evicta per æquora lapsus,
O penitus toto corde recepte mihi.
In tua castra redi, socii desertor Amoris.
Ponuntur medio cur mea membra toro?
Quod timeas, non est. auso Venus ipsa favebit:
Sternet et æquoreas, æquore nata, vias.
Ire libet tumidas ipsi mihi sæpe per undas:
Sed solet hoc maribus tutius esse fretum.
Nam cur, hoc vectis Phryxo Phryxique sorore,
Sola dedit vastis femina nomen aquis?
Forsitan ad reditum metuas ne tempora desint,
Aut gemini nequeas ferre laboris onus.
At nos diversi medium coëamus in æquor:
Obviaque in summis oscula demus aquis:

153. *Instillat.*] Ita meliores codices.

155. *Evicta per æquora.*] *Evicta* est, natando superata. xv. Metam. 706.

Evincitque fretum.

Horat. iii. Od. 40.

———— *Horrida callidi*
Vincunt æquora navitæ.

Plura ad Valer. Flac. iii. 481. et v. 512. dabimus. ita mox 181. *Victor aquarum.* *Lapsus* autem hic pro *natans* ponitur, cum aliter navigare notet. ut supr. v. 47. *navigare* dixit; sed cum idem navigium, navita, vector erat Leander, eleganter hoc vocabulum elegit. vid. Ep. x. 65. unde Farnesiani codicis lectio est efficta. et ad Epist. xxi. 84. Burm.

158. *Ponuntur medio cur mea membra toro?*] Execrabile erat hoc amantibus: itaque Ovidius ipse lib. ii. Amor. Eleg. x. cum malum hostibus imprecatur, optat eum dormire in vacuo lecto, et in medio toro membra ponere. ejus versus sunt:

Hostibus eveniat vacuo dormire cubili,
Et medio late ponere membra toro.

Ciof.

164. *Sola dedit vastis femina nomen aquis.*] Ab Helle, quod in hoc mari cecidit, *Hellespontus* appellatus est. Ciof.

165. *Forsitan ad reditum metuis ne robora desint.*] *Metuas* bene Puteaneus et Regius. Deinde *tempora desint* idem Puteaneus cum multis aliis. Heinsius. *Metuas ut tempora desint* Regius codex. quod si mox *queas* posset legi, vel pro eo, *possis*, placeret: majorem enim in complexibus amicæ moram trahere coactus, metuere poterat non ardens amator, sibi tempus defuturum ad redeundum; et sarcasmus elegantior inesset. *Metuas* tamen recte. vid. Epist. i. 77. et iv. 53. Burm.

Atque ita quisque suas iterum redeamus ad urbes.
Exiguum, sed plus, quam nihil, illud erit.
Vel pudor hic utinam, qui nos clam cogit amare,
Vel timidus famæ cedere vellet amor!
Nunc male res junctæ, calor et reverentia, pugnant.
Quid sequar in dubio est. hæc decet; ille juvat.
Ut semel intravit Colchos Pagasæus Iäson;
Impositam celeri Phasida puppe tulit.
Ut semel Idæus Lacedæmona venit adulter;
Cum prædâ rediit protinus ille suâ.
Tu, quam sæpe petis quod amas, tam sæpe relin-
Et quoties grave fit puppibus ire, natas. [quis:
Sic tamen, ô juvenis, tumidarum victor aquarum,
Sic facito spernas, ut vereare, fretum.
Arte laboratæ vincuntur ab æquore puppes:
Tu tua plus remis brachia posse putes?
Quod cupis, hoc nautæ metuunt, Leandre, natare.
Exitus hic fractis puppibus esse solet.
Me miseram! cupio non persuadere; quod hortor:
Sisque, precor, monitis fortior ipse meis.

169. *Atque ita quisque suas iterum redeamus ad urbes.*] Notandum hic verbum *quisque*, de duobus dici. CIOFANUS. Ita et Sueton. Aug. 26. *Ut Cajum et Lucium filios, suo quemque Tyrocinio deduceret in forum.* Quinctil. iii. Instit. Orat. 6. *Sed in hoc propria quisque eorum quæstione nitetur.* BURM.

175. *Pegaseus Iäson.*] *Pagareos* Puteaneus. quod est *Pagaseos* Græca enuntiatione. ut sæpe alibi. HEINSIUS. Vid. ad Epist. xvi. 345.

183. *Arte laboratæ vincuntur ab æquore puppes.*] Melior lectio: in aliis, *arte laboratæ merguntur ab æquore puppes.* CIOF. Sed ego illud *merguntur*, glossam esse librarii adfirmare ausim: ut et *franguntur*, quod in Menteliano erat: elegantius enim, et a vulgi usu remotius *vincuntur.* Virgil. ix. 91.

Ne cursu quassatæ ullo, neu turbine venti
Vincantur. ——— BURM.

Adludere hic poetam ad tutelam navis, sive affabre *laboratam* numinis imaginem in puppi, minus recte censuit Burmannus. LENNEP.

186. *Puppibus.*] *Navibus* Regius. quod placet, quia *puppes* præcedit. Douza hic *natare* pro navigare positum accipit. et legit, *exitus hic*, id est, hoc loco solet venire exitus, id est submersio et perditio navigii. Verum

Dummodo pervenias, excussaque sæpe per undas
Injicias humeris brachia lassa meis.
Sed mihi, cæruleas quoties obvertor ad undas,
Nescio quæ pavidum frigora pectus habent.
Nec minus hesternæ confundor imagine noctis,
Quamvis est sacris illa piata meis.
Namque sub Aurora, jam dormitante lucerna,
(Somnia quo cerni tempore vera solent)
Stamina de digitis cecidere, sopore remissis:
Collaque pulvino nostra ferenda dedi.

quidem est *natare* poni pro navigare, ut docuit Cerda ad Virg. iv. Æneid. 398. et ita Noster viii. Met. 104. sed *natare* hic de naufragis capiendum, qui fracta nave natant. vid. superiori Epist. 120. Petron. cxv., *En homo quomodo natat.* et sæpe alibi. Burm.

187. *Quod hortor.*] *Opto* alii. Heinsius. Nihil muta, nam æque Latine dici, *hortor aliquid*, atque *ad aliquid*, docuit, hoc etiam loco producto, summus Gronovius ad Senec. Epist. 121. et Tacit. xi. Annal. 3. et Grævius ad Cicer. vii. ad Att. 14. Burm.

191. *Sed mihi cæruleas quoties obvertor ad undas.*] Recte viri docti rejiciunt, *obversor*. ii. Metam. 470.

Quo simul obvertit sævam cum lumine mentem. Burm.

195. *Sub Aurora.*] Paullo ante quam *lucescat.* Ciofanus. Ita editi priores, et scripti omnes. malebat tamen Heinsius, *sub Auroram.* ut *sub noctem.* iv. Met. 79. *Sub prima crepuscula* v. Fast. 455. et alibi. sed cum utrumque recte dicatur, (vide ad Vellej. Paterc. ii. 24.) hic *Aurora*, ob sequentem voculam similis soni *jam*, est præferendum. eadem varietas lib. ii. Art. 315. ubi *sub autumnum* et *autumno*, varie in MSS. exhibetur. Burm.

Jam dormitante lucerna.] Durior certe metaphora, et cujus exemplum an alibi exstet, ignoro. sed quia non inelegans, licet audacior, videtur, et Amplissimo Cupero se probet, eam loco movere non ausi sumus. Burm. Eleganter dictum, pro *deficiente.* Similiter prorsus Meleager, Analect. tom. i. Epigr. cii.

Εἴ τις ὑπὸ χλαίνῃ βεβλημένος Ἡλιοδώρας
Θάλπεται ὑπναπάτῃ χρωτὶ χλιαινόμενος,
Κοιμάσθω μὲν ὁ λύχνος· ὁ δ' ἐν κόλποισιν ἐκείνης
Ῥιπτασθεὶς κείσθω δεύτερος Ἐνδυμίων.

196. *Quo cerni somnia vera solent.*] Post mediam noctem somnia vera esse dicuntur. Seneca, apud quem Andromacha loquitur, cum ei Hector, qui moneret Astyanacta a Græcis, ut eum præcipitarent, quæsitum iri, in somnis sibi apparuisset, jubens illum abscondere, ita ait in Troadibus:

Partes fere nox alma transierat duas,
Clarumque septem verterant stellæ jugum.

Et Horatius lib. i. Serm. Satyra x.

—— *Vetuit tali me voce Quirinus,*
Post mediam noctem visus, cum somnia vera.

Adfirmat et Theocritus: qui cum dixisset:

Hîc ego ventosas nantem delphina per undas
Cernere non dubiâ sum mihi visa fide.
Quem, postquam bibulis illisit fluctus arenis;
Unda simul miserum vitaque deseruit.
Quidquid id est, timeo. nec tu mea somnia ride:
Nec nisi tranquillo brachia crede mari.
Si tibi non parcis, dilectæ parce puellæ:
Quæ numquam, nisi te sospite, sospes erit.
Spes tamen est fractis vicinæ pacis in undis.
Tum placidas tuto pectore finde vias.
Interea, nanti quoniam freta pervia non sunt,
Leniat invisas litera missa moras.

EPISTOLA XX.

ACONTIUS CYDIPPÆ.

Pone metum: nihil hic iterum jurabis amanti.
Promissam satis est te semel esse mihi.
Perlege: discedat sic corpore languor ab isto,
Qui meus est, ullâ parte dolente, dolor.

Νυκτὸς ὅτε τρίτατον λάχος ἵσταται, ἐγγὺς δ' ἠώς.
Addit paulo post:
Εὖ τε καὶ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων.

Acontius.] Amores Cydippes et Acontii lepide et eleganter narrat Aristænetus lib. i. Epist. 10. et peculiari Poëmate descripserat Callimachus, cujus meminerunt Grammatici, et quo respicit Noster Remed. 381. vide Celeber. Bentleji Fragmentum Callimachi ci. similem vero huic fabulam de Ctesylla et Hermochari refert Antoninus Liberalis. Metam. cap. i. Burm.

1. *Pone metum, nihil hic iterum jurabis amanti.*] Priscæ editiones et codices nonnulli manu exarati hoc distichon in fronte hujus Epistolæ exhibent:

Accipe, Cydippe, despecti nomen Aconti,
Illius in pomo qui tibi verba dedit.

Est autem hæc Epistola fœde depravata plurimis in locis. Heins. Hæ duæ Epistolæ mihi ab Ovidiana vena non fluxisse videntur. Burm.

Quid pudor ora subit? nam, sicut in æde Dianæ,
Suspicor ingenuas erubuisse genas.
Conjugium pactamque fidem, non crimina, posco:
Debitus ut conjux, non ut adulter, amo.
Verba licet repetas, quæ demtus ab arbore fœtus
Pertulit ad castas, me jaciente, manus;
Invenies illic id te spondere, quod opto,
Te potius, virgo, quam meminisse Deam.
Nunc quoque idem timeo: sed idem tamen acrius illud
Adsumsit vires; auctaque flamma morâ est.
Quique fuit numquam parvus; nunc tempore longo,
Et spe, quam dederas tu mihi, crevit amor.
Spem mihi tu dederas: meus hic tibi credidit ardor.
Non potes hoc factum teste negare Deâ.
Adfuit, et præsens, ut erant, tua verba notavit:
Et visa est motâ dicta probasse comâ.
Deceptam dicas nostrâ te fraude licebit:
Dum fraudis nostræ caussa feratur amor.
Fraus mea quid petiit, nisi quo tibi jungerer uni?
Id me, quod quereris, conciliare potest.

11. *Invenies illic id te spondere, quod opto!* &c.] Acontius ad Cydippen, apud Aristenæt. dicta Epist.: Εἴθε μὲν οὖν, ὡς ἀρτίως ηὐχόμην, εὔορκος εἴης· εἴθε γὰρ εἰ δὲ ἀποβαίη, ὅπερ μηδὲ λέγειν καλὸν, ἡ Ἄρτεμις ἔσται σοι παρθένος πραεῖα. *Invenies illic id te spondisse.* Libentius lego, ut est in aliis lib. *jurasse.* Infra: *Hæc adjuravit amanti:* et, *sed hæc metuit perjura vocari:* et initio, *iterum jurabis amanti.* Amar.

18. *Non potes hoc factum teste negare Deâ.*] Hoc quoque loco sequuntur duo versus, qui haud dubie a curioso aliquo interpositi sunt. Neque enim cum toto loco quicquam consentiunt: et per se tales sunt, ut ab Ovidiana phrasi plane abhorreant. Sunt autem hi:

Me tibi nupturam, fœlix erat omen, Aconti,
Juro, quam colimus, numina magna Deæ. Micyl.

Forte *pactum.* ut et paulo post:

Sit fraus huic nomen pacto. Heins.

20. *Mota dicta tulisse coma.*] *Notasse* multi ex scriptis. Gronovianus, Oxoniensis et Leidensis, *probasse.* quod verum est. Heins.

23. *Nisi uti tibi jungerer uni.*] Forte totum distichon ita constituendum:

Non ego naturâ, nec sum tam callidus usu:
  Sollertem tu me, (crede) puella, facis.
Te mihi compositis (si quid tamen egimus) a me
  Adstrinxit verbis ingeniosus Amor.
Dictatis ab eo feci sponsalia verbis:
  Consultoque fui juris Amore vafer.
Sit fraus huic nomen facto, dicarque dolosus:
  (Si tamen est, quod ames velle tenere, dolus.)
En iterum scribo, mittoque rogantia verba.
  Altera fraus hæc est: quodque queraris, habes.
Si noceo quod amo; fateor, sine fine nocebo;
  Teque petam: caveas tu licet ipsa peti.
Per gladios alii placitas rapuere puellas:
  Scripta mihi caute litera crimen erit?
Dî faciant, possim plures imponere nodos!
  Ut tua sit nullâ libera parte fides.
Mille doli restant: clivo sudamus in imo.
  Ardor inexpertum nil sinet esse meus.

Fraus mea quid petiit, nisi quo tibi jungerer? unum
Id me, quod quereris, conciliare potest.

Hoc unicum, *quod quereris* (ita enim veteres locuti, pro de *quo quereris*, ut mox versu 34. vid. ad Petron. cap. xci.) meriti locum habet, et me tibi conciliare potest. de illo *quo* pro ut, vid. ad Epist. xviii. 203. et Remed. 517. Burm.

30. *Consultoque.*] Douza tmesim vult esse, *consulto juris*, pro *Jurisconsulto*, amore. sed ego puto sensum esse, *consulto amore fui vafer juris.* nam et *vafer* proprie de Jurisconsulto, et in bonam partem sumitur. vid. Acron. ad Horat. i. Sat. iii. 130. vid. ad Epist. xvi. 314. Burm.

41. *Clivo sudamus in imo.*] Proverbii speciem hæc verba præferre apparet ex Petronio cap. xlvii. *Nec adhuc sciebamus, nos in medio lautitiarum, quod ajunt, clivo laborare.* ubi vide quæ notavimus. alludunt ad hanc sententiam illa Propertii lib. i. Eleg. xiii. 9.

Perditus in quadam tardis pallescere curis
Incipis, et primo lapsus abire gradu.

Ubi cum Heinsio malim, *lassus*. *Imo clivo* vero recte vindicat Heinsius. ita Flor. lib. ii. cap. 3. *Ligures imis Alpium jugis adhærentes.* et iii. 20. *Ad imas Vesuvii descendere radices.* Livius ix. 35. *Imi montes.* xl. 22. *Imi colles Æmi.* Noster xv. Met. 548. *Montisque jacens radicibus imis.* Valer. Flacc. i. 25. *Imus Olympus.* ubi male alii *unum*, quæ voces et facile et frequenter permutatæ. vid. Cl. Drakenb. ad Sil. iv. 312. v. 112. Burm.

Sit dubium, possisne capi; captabere certe.
  Exitus in Dîs est: sed capiere tamen.
Ut partem effugias, non omnia retia falles:
  Quæ tibi, quam credis, plura tetendit Amor.
Si non proficiant artes, veniemus ad arma;
  Inque tui cupido rapta ferere sinu.
Non sum, qui soleam Paridis reprehendere factum:
  Nec quemquam, qui, vir possit ut esse, fuit.
Nos quoque: sed taceo. mors hujus pœna rapinæ
  Ut sit, erat quam te non habuisse, minor.
Aut esses formosa minus, peterere modeste.
  Audaces facie cogimur esse tuâ.
Tu facis hoc, oculique tui; quibus ignea cedunt
  Sidera; qui flammæ caussa fuere meæ.
Hoc flavi faciunt crines, et eburnea cervix;
  Quæque, precor, veniant in mea colla manus:

44. *Exitus in dis.*] *In dubio est* Gottorphianus. nil muta. Pindarus:

Νῦν δ' ἔλπομαι μὲν, ἐν θεῷ γε μὰν τέλος. HEINS.

48. *Cupido sinu.*] Respexisse puto ad juvenum ingenium, qui, ut ait Aristoteles lib. ii. Rhetor. *cupidi sunt.* Qualia sunt illa:

A juvene et cupido credatur reddita virgo?

Et:

Cum primum cupido Venus est deducta marito. CIOF.

49. *Non sum qui soleam.*] Plena locutio esset, *non is sum, qui soleam.* lib. i. Amor. xii. 29. *Non est, qui debeat uri.* plenam locutionem habes, apud Ciceronem iv. ad Fam. 2. *Si ii essemus, qui debemus.* et Lucan. i. 171. *Non erat is populus, quem pax tranquilla juvaret.* et ita alii. hanc elegantiam Latini sermonis egregie illustravit Vorstius de Latinitate falso suspecta. cap. v. BURM.

57. *Hoc faciunt flavi crines.*] Flavus capillus, ut niger, commendatur in puellis. sic de Lucretia ext. lib. ii. Fast.

Forma placet, niveusque color, flavique capilli,
Quodque aderat nulla factus ab arte color.

Virg. lib. iv. Æneid. 698.

Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem Abstulerat.

Fallitur ibi doctiss. interpres, Servius, qui hæc scribit: *Abscondente galero. Huic ergo dat, quasi turpi.* Virg. enim lib. i. dixerat Didonem esse pulcherrimam, ubi ita est:

Regina ad templum forma pulcherrima Dido Incessit. CIOF.

Verum tamen est, quod Servius observat, *flavos* crines tribui semper Feminis, si non omnino turpibus, cultis tamen et a Venere non abhorrentibus: et hoc docet Menandri præceptum apud Clement. lib. iii. Pædag.

Et decor, et vultus sine rusticitate pudentes;
Et, Thetidi quales vix rear esse, pedes.
Cetera si possem laudare, beatior essem:
Nec dubito, totum quin sibi par sit opus.
Hac ego compulsus, non est mirabile, formâ,
Si pignus volui vocis habere tuæ.
Denique, dum captam tu te cogare fateri,
Insidiis esto capta puella meis.
Invidiam patiar: passo sua præmia dentur.
Cur suus a tanto crimine fructus abest?
Hesionen Telamon, Briseïda cepit Achilles:
Utraque victorem victa secuta suum.
Quamlibet accuses, et sis irata licebit;
Iratâ liceat dum mihi posse frui.
Idem, qui facimus, factam tenuabimus iram:
Copia placandæ sit modo parva tui.

——— *Τὴν γυναῖκα γὰρ*
Τὴν σώφρον' οὐ δεῖ τὰς τρίχας
ξανθὰς ποιεῖν.

Ubi æternum Græcæ Poëtices opprobrium, Clericus, rutilasse crines mulieres notat, ne rufæ videantur. quod egregie falsum ostendit, qui exempla dabit plena manu, Broukh. ad Tibul. i. Eleg. vi. 8. quod vero etiam Lucretiæ tribuat Noster ii. Fast. 763. aliter locum illum esse legendum ibi notabimus. et ita delicati pueri finguntur, ut *Flavus Ganymedes* Horat. iv. Od. 4. deseruit vero sua eruditio Cruquium, qui *Flavam Chloen* apud Horat. iii. Od. 9. a bile flava dici contendit. ita enim et *Phyllis flava* ii. Od. 4. *Flavam* tamen etiam a colore cutis dicit Noster ii. Amor. iv. 39. et ab oculorum colore *Flavam* Minervam dicit Noster i. Amor. i. 7. et ii. Art. 659. ubi tamen *rava* mavult Heinsius. sed et ii. Met. 749. *Flava* dicitur. Burm.

60. *Et Thetidi quales.*] Ἀργυρόπεζαν Thetin ex Homeri Rhapsodia innuit. Egnatius. Pertinet hoc ad Homericum epitheton, quo Thetis *ἀργυρόπεζα* ab Homero dicitur, hoc est, pedes argenteos habens. quod ad candorem Deæ pertinet, quem cum argento Poëta comparat. Micyl.

69. *Hesionem Telamon.*] Hercules cum Laomedonta interfecisset, Telamoni, quod primus Ilium intrasset, Hesionam præmii loco dedit. Apollodorus lib. ii. Τελαμῶνι Ἀριστεῖον Ἡσιόνην τὴν Λαομέδοντος θυγατέρα δίδωσι ἐξ ἧς ὕστερον Τελαμὼν τὸν Τεῦκρον γεννᾷ. Ciof.

Briseïda cepit Achilles.] Cum Lyrnessum expugnasset. Ciof.

70. *Utraque victorem victa secuta suum.*] Sic legendum, non *virum:* quamvis Telamon Hesionen postea uxorem duxerit; at non Achilles Briseïda. Ciof.

74. *Placandæ tui.*] Meliores cum

Ante tuos flentem liceat consistere vultus :
  Et liceat lacrimis addere verba suis.
Utque solent famuli, cum verbera sæva verentur,
  Tendere submissas ad tua crura manus.
Ignoras tua jura ; voca ; cur arguor absens?
  Jamdudum dominæ more venire jube.
Ipsa meos scindas licet imperiosa capillos,
  Oraque sint digitis livida facta tuis :
Omnia perpetiar : tantum fortasse timebo,
  Corpore lædatur ne manus ista meo.
Sed neque compedibus, nec me compesce catenis :
  Servabor firmo vinctus amore tui.
Cum bene se, quantumque volet, satiaverit ira ;
  Ipsa tibi dices, Quam patienter amat !
Ipsa tibi dices, ubi videris omnia ferre ;
  Tam bene qui servit, serviat iste mihi.
Nunc reus infelix absens agor : et mea, cum sit
  Optima, non ullo caussa tuente perit.
Hoc quoque, quod jus est, sit scriptum injuria nostrum :
  Quod de me solo nempe queraris, habes.
Non meruit falli mecum quoque Delia. si non
  Vis mihi promissum reddere, redde Deæ.
Adfuit, et vidit, cum tu decepta rubebas :
  Et vocem memori condidit aure tuam.
Omina re careant. nihil est violentius illâ,
  Cum sua, quod nolim, numina læsa videt.
[Testis erit Calydonis aper. nam scimus, ut illo
  Sit magis in natum sæva reperta parens.]

Puteaneo *placandi*. recte. Alterum Latine vix dicitur. Heinsius. Sanctius lib. iii. Miner. cap. 8. *Placandi tui* defendit. sed Cl. Periz. n. 18. utrumque dici posse docet et ad lib. i. cap. 2. n. 7. præfert *placandæ*.

78. *Tendere submissas in tua crura manus.*] *Ad tua* meliores. quidam etiam, *sub tua jura*. Heins.

101. *Testis erit Calydonis aper. nam scimus ut illo.*] Mihi et hoc distichon adulterinum videtur. Scholiastes ali-

Testis et Actæon, quondam fera creditus illis,
Ipse dedit leto cum quibus ante feras.
Quæque superba parens, saxo per corpus oborto,
Nunc quoque Mygdoniâ flebilis exstat humo.
Hei mihi, Cydippe! timeo tibi dicere verum;
Ne videar caussâ falsa monere meâ:
Dicendum tamen est: hoc est, (mihi crede) quod
Ipso nubendi tempore sæpe jaces. [ægra
Consulit ipsa tibi; neu sis perjura laborat:
Et salvam salva te cupit esse fide.
Inde fit, ut, quoties existere perfida tentas,
Peccatum toties corrigat illa tuum.
Parce movere feros animosæ Virginis arcus;
Mitis adhuc fieri, si patiare, potest.
Parce, precor, teneros corrumpere febribus artus;
Servetur facies ista fruenda mihi.
Serventur vultus ad nostra incendia nati:
Quique subest niveo lætus in ore rubor.
Hostibus e si quis, ne fias nostra, repugnat;
Sic sit, ut, invalidâ te, solet esse mihi.
Torqueor ex æquo, vel te nubente, vel ægrâ:
Dicere nec possum, quid minus ipse velim.

quis exemplum apri Calydonii reliquis duobus de Actæone et Niobe addiderat. ex eo Scholio distichon postea est conflatum, barbarum sane et insulsum. Heins. Quamvis variare circa lectionem hujus distichi codices videam, non ideo minus optimam hic vulgatam habeam. Locus enim, qualis circum fertur, egregie facit ad ostendendam læsæ Dianæ violentiam, quæ, non contenta immisso in agrum Calydonis apro sævissimo, ipsam quoque domum Œnei furiali ista ac superante belluæ sævitiam matris in filium immanitate misere funestari voluisset, Meleagri demum et sororum ejus pœnis satianda. Lennep.

106. *Adstat.*] Oxon. Lovaniensis et Excerpta Douzæ, *exstat.* quod verum puto: nam Pausanias lib. i. Attic. cap. 21. dicit, marmor in monte Sipylo prominere, quod procul intuentibus præbet speciem mulieris lugentis. Burm.

110. *Sæpe jaces.*] Mallem, *nempe*, qua vocula Noster delectatur. Burmannus.

Maceror interdum, quod sim tibi caussa dolendi:
Teque meâ lædi calliditate puto.
In caput hæc nostrum dominæ perjuria, quæso,
Eveniant: pœnâ tuta sit illa meâ.
Ne tamen ignorem, quid agas; ad limina crebro
Anxius, huc illuc, dissimulanter eo.
Subsequor ancillam furtim famulumve, requirens
Profuerint somni quid tibi, quidve cibi.
Me miserum! quod non medicorum jussa ministro,
Effingoque manus, insideoque toro.
Et rursus miserum! quod, me procul inde remoto,
Quem minime vellem, forsitan alter adest.
Ille manus istas effingit, et adsidet ægræ,
Invisus Superis, cum Superisque mihi.
Dumque suo tentat salientem pollice venam;
Candida per caussam brachia sæpe tenet:

125. *Maceror interdum.*] Hunc, ut Horatii versum, citant membranæ apud Barth. xxxvii. adv. 13. nisi duplex ibi exemplum adtulerit glossator: primum ex Horatio i. Od. 13. unde collegit ille produci primam. deinde alterum ex Ovidio produxerit, unde corripi probavit:

Interdum maceror quod sim tibi caussa doloris. BURM.

Et hic Noster Callimachum sequitur, cujus fragm. inter Bentleian. ccxxix:

Λῖρος ἐγὼ, τὶ δὲ σοι τόνδ᾽ ἐπέθηκα φόβον;

Quem verbatim expressit Aristenætus: *Ὦ δυστυχὴς ἐγώ· τὶ δὲ σοι τοῦτον ἐπῆγον τὸν φόβον;* AMAR.

127. *Inque caput nostrum.*] Græca imprecatio, apud quos frequenter occurrit, Aristophanem præsertim, *εἰς κεφαλὴν σοι.* sic, *Transferre pericula in caput suum.* apud Valer. Maximum lib. ii. cap. iv. posset et restitui, *Di capiti nostro.* quod malo. HEINS.

130. *Dissimulanter.*] Ita et i. Art. Am. 488.

Lecticam dominæ dissimulanter adi.

Huc illuc vero notat deambulationem, quæ non ad certum locum instituitur, sed cum sæpe eadem spatia facimus, et animi caussa tantum ambulamus, ut ambulemus. ut apud Terent. Heaut. iii. 111. *Abi deambulatum sane istac, istorsum, quovis.* BURM.

134. *Astringoque manus.*] *Effingoque* Puteaneus et alii magno numero, cum prima editione, eleganter. et sic paullo post, *Ille manus istas effingit.* cum iisdem codicibus est autem *effingere*, demulcere, leviter tergere. ut apud Catonem de R. R. clxvii. HEINS.

140. *Candida per caussam brachia sæpe tenet.*] Trist. i. vii.

Per caussam meminit se tetigisse manum. HEINS.

Illustrarunt bellam hanc et optimis scriptoribus perfamiliarem locutionem Broukhus. ad d. l. Tibulli, et Tennul.

Contrectatque sinus, et forsitan oscula jungit.
  Officio merces plenior ista suo est.
Quis tibi permisit nostras præcerpere messes?
  Ad sepem alterius quis tibi fecit iter?
Iste sinus meus est: mea turpiter oscula sumis.
  A mihi promisso corpore tolle manus.
Improbe, tolle manus. quam tangis, nostra futura est.
  Postmodo si facias istud, adulter eris.
Elige de vacuis, quam non sibi vindicet alter.
  Si nescis, dominum res habet ista suum.
Nec mihi credideris: recitetur formula pacti.
  Neu falsam dicas esse; face ipsa legat.
Alterius thalamo, tibi nos, tibi dicimus, exi.
  Quid facis hic? exi; non vacat iste torus.
Nam quod habes et tu humani verba altera pacti;
  Non erit idcirco par tua caussa meæ.

ad Fronton. lib. iii. Strateg. cap. iii. sect. 6. Burm.

142. *Plenior illa suo est.*] *Ista* scripti. Heinsius. *Plenior* hic est major, amplior: proprium de divitiis vocabulum. ita Martial. vii. 45.

Divitibus poteras musas elegosque sonantes
Mittere, pauperibus munera plena dato.

Ut legendum recte Vossius ad Catulli carm. xiii. esse censet, et explicat. ita apud Horat. ii. Od. 12. *Plenas Arabum domos.* Scholiastes *divites* reddit. Cicer. vii. ad Fam. 9. *Serius potius ad nos, dum plenior.* Vid. Græv. ad Cicer. pro Ros. Amer. 2. et sic v. Verr. 56. *Pleniores* pro ditioribus. Burm.

144. *Ad spes alterius quis tibi fecit iter?*] *Ad sepem alterius* codex unus Medicêus cum prima editione. optime: persistit enim in metaphora. et *sepem* dixit pro agro sepibus munito. sic lib. iii. Art. 562.

Te semper norit, tibi semper inhæreat uni:
Cingenda est altis sepibus ista seges.

Hinc et apud Virgil. in Georgicis, lib. i. 270. *Segeti prætendere sepem.* *Et sepire segetem* Columell. lib. ii. cap. xxii. *Ad spem alterius* Patavinus et Arondelianus, proxime ad verum. Heins.

145. *Turpiter.*] Cum dedecore et infamia. Ciof.

153. *Tibi nos, tibi dicimus.*] Elegans et solemnis increpationis gravissime formula. ix. Met. 122.

————Tibi, Nesse biformis,
Dicimus, exaudi, nec res intercipe nostras.

Vide ad Phædri lib. iv. Fab. 19. male hic Junianus; *vel nos tibi dicimus exi.* sequenti versu multi editi et scripti, *quid facis? hinc exi.* Burm.

Hæc mihi se pepigit: pater hanc tibi, primus ab illâ:
Sed propior certe, quam pater, ipsa sibi est.
Promisit pater hanc: hæc adjuravit amanti.
Ille homines, hæc est testificata Deam.
Hic metuit mendax, timet hæc perjura vocari.
Num dubites, hic sit major, an ille metus?
Denique, ut amborum conferre pericula possis,
Respice ad eventus: hæc cubat, ille valet.
Nos quoque dissimili certamina mente subimus;
Nec spes par nobis, nec timor æquus adest.
Tu petis ex tuto: gravior mihi morte repulsa est:
Idque ego jam, quod tu forsan amabis, amo.
Si tibi justitiæ, si recti cura fuisset;
Cedere debueras ignibus ipse meis.
Nunc quoniam ferus hic pro caussâ pugnat iniquâ;
Ad quid, Cydippe, litera nostra redit?
Hic facit ut jaceas, et sis suspecta Dianæ.
Hunc tu, si sapias, limen adire vetes.
Hoc faciente, subis tam sæva pericula vitæ.
Atque utinam pro te, qui movet illa, cadat!
Quem si repuleris, nec, quem Dea damnat, amaris;
Et tu continuo, certe ego salvus ero.

159. *Hæc et juravit amanti.*] Regius, *sed et hæc.* præstat tamen, quod editiones nonnullas occupat, *adjuravit.* Servius ad illa Virgilii lib. xii. 816.

Adjuro Stygii caput implacabile fontis.

Pro, juro. nam prothesis est. Quidam tamen volunt juro dici tunc debere, cum confirmamus aliquid, aut promittimus. ut, juro me facturum. Adjuro vero cum negamus. Potest tamen et ad valde *significare, ut sit, Adjuro, valde juro.* sic et apud Statium Theb. vii. *Hostesque propinquos Adjurat.* pro jurat esse propinquos. Heins.

164. *Hæc cubat.*] Nempe in morbo: pro decumbere enim hac voce veteres usos eleganter Douza in Succid. Append. ad Horat. cap. iv. ostendit. Burm.

172. *Ad quid.*] In quem usum. Bersmannus. Ex notis Hubertini patet legisse eum, *ad quod*; sed non satis capio hæc verba, *ad te Cydippe* editio princeps.

Siste metum, virgo, stabili potiere salute.
  Fac modo polliciti conscia templa colas.
Nec bove mactato cœlestia numina gaudent;
  Sed, quæ præstanda est et sine teste, fide.
Ut valeant aliæ, ferrum patiantur et ignes:
  Fert aliis tristem succus amarus opem.
Nil opus est istis; tantum perjuria vita:
  Teque simul serva, meque, datamque fidem.
Præteritæ veniam dabit ignorantia culpæ:
  Exciderint animo fœdera lecta tuo.
Admonita es modo voce meâ, modo cassibus istis;
  Quos, quoties tentas fallere, ferre soles.
His quoque vitatis, in partu nempe rogabis,
  Ut tibi luciferas adferat illa manus.
Audiet; et, repetens quæ sint audita, requiret
  Ipsa, tibi de quo conjuge partus eat.
Promittes votum; scit te promittere falso.
  Jurabis; scit te fallere posse Deos.
Non agitur de me: curâ majore laboro.
  Anxia sunt vitæ pectora nostra tuæ.

185. *Perjuria vita.*] Cave ne perjura sis. CIOF.

189. *Modo casibus istis.*] Morbo quo nunc laboras. CIOFANUS. *Cassibus* scribendum. quod Regius et Moretanus meliores confirmant. *Tendere retia* hoc vocabit Cydippe paullo post. HEINSIUS. Veterem lectionem *Casibus* reduxit Lennep. ægre ferens *Cassibus* prætulisse Heinsium ac Burmannum; et intelligit de morbis, quibus tentabatur Cydippe, quoties *perfida exsistere tentabat.* Quod lucide satis illustrat, quod sequitur, *quoties tentas fallere.* Quid rursus *casses, retia,* aut *nodos ferre? Casus* autem *ferre* Latinorum usu tritum est. Recte Ciofanus intellexerat: morbo quo *nunc laboras.* AMAR.

191. *In partu nempe vocabis.*] *Rogabis* cum scriptis. HEINSIUS. Quod præstat: proprium enim, de iis, qui implorant auxilium Deorum. eadem diversitas. lib. x. Metam. 300.

192. *Luciferas afferat illa manus.*] *Luciferas manus* hic dixit, ut *equos luciferos* Epistola Canaces:

Puraque luciferos luna movebat equos.

Nummus apud me argenteus Juliæ Piæ, DIANÆ LUCIFERÆ inscriptum habet, cum Emblemate Dianæ tædam gerentis. Item alius ejusdem Juliæ, LUNA LUCIFERA. Luna biga boum vecta. Sic et Diana φώσφορος apud Græcos dicta. HEINS.

198. *Anxia sunt vitæ.*] Francius

Cur modo te dubiam pavidi flevere parentes,
  Ignaros culpæ quos facis esse tuæ?
Et cur ignorent? matri licet omnia narres;
  Nil tua, Cydippe, facta ruboris habent.
Ordine fac referas, ut sis mihi cognita primum,
  Sacra pharetratæ dum facis ipsa Deæ.
Ut, te conspectâ, subito (si forte notasti)
  Restiterim fixis in tua membra genis:
Ut, te dum nimium miror, (nota certa furoris)
  Deciderint humero pallia lapsa meo.
Postmodo nescio quà venisse volubile malum,
  Verba ferens doctis insidiosa notis.

corrigebat, *Anxia pro vita pectora nostra tua. Sunt vita pectora nostra tua* Leidensis et Bernensis. sed *anxia vitæ* eleganter dicitur. ita Plinius lib. xv. 18. Burm.

199. *Te dubiam.*] *Te dubii* editiones priscæ. et Regius cum novem codicibus. male tamen. *dubius* æger dicitur, quia ejus salus in dubio est. ut Epist. seq. 31. *incerta salutis.* iii. Pont. iv. 8.

Ad medicam dubius confugit æger opem.

Et ita *dubiæ rates* Nostro. ii. Art. 514. Burm.

204. *Sacra pharetratæ dum facis ipsa Deæ.*] Tò *ipsa* otiosum cum sit hoc loco, vix dubitem Ovidium scripsisse, *æde Deæ.* cognatio nimirum literarum in utraque voce effecit, ut alterutram oscitantes librarii omiserint, quod et alibi factum. Heinsius. Conjectura hæc dubia mihi videtur. mallem, *dum facit ipsa:* dum mater sacra facit, conspexit Cydippen Acontius, &c. confer Epist. seq. vers. 93. unde apparet Cydippen, dum mater sacrificat, cum nutrice obambulasse loca sacra, et tunc visam ab Acontio; postmodo demum cum reversa fuisset in ædem Dianæ, venisse pomum. Burm.

208. *Deciderint humero pallia lapsa meo.*] *Deciderint* mihi præferendum videtur, ad pedes enim decidisse docet vox addita *lapsa*, pro quo male quidam codices *laxa*. sic Sueton. Aug. xciv. *Tunica laticlavia resuta ex utraque parte ad pedes decidit. Recidere* puto vestem, cum in tergum retro cadit, *decidere* cum ad pedes labitur. eadem differentia inter *dejicere vestes* et *rejicere*, quæ verba confuderunt sæpe librarii, observanda est. Burm.

210. *Verba ferens doctis insidiosa notis.*] Sic et membranæ, quotquot a me inspectæ sunt. Scribe nihilominus, *ductis notis.* Heinsius. Mihi *doctæ notæ* movendæ non videntur: nullis enim notis Epistola scribi potest, nisi ductis. vide ad Quinct. i. Instit. i. qui *ductus* literarum dicit. sed *doctas notas* amor dictaverat Acontio, id est callidas, quibus peritus et vafer amator deciperet puellam. sic *docta* illa *vox* Cæsaris apud Flor. iv. 2. *Feri faciem*, est petita ex interiori arte militari, et callidissima. et ita *doctus dolus.* Plaut. Mil. Glor. ii. 11. 93. et

Quod quia sit lectum sanctâ præsente Dianâ,
  Esse tuam vinctam, numine teste, fidem.
Ne tamen ignoret quæ sit sententia scripto;
  Lecta tibi quondam nunc quoque verba refer.
Nube, precor, dicet, cui te bona numina jungunt:
  Quem fore jurasti, sit gener ille mihi.
Quisquis is est, placeat; quoniam placet ante [Dianæ.
  Talis erit mater, si modo mater erit.
Sic tamen et quærat, qui sim quantusque, jubeto:
  Inveniet vobis consuluisse Deam.
Insula, Coryciis quondam celeberrima Nymphis,
  Cingitur Ægeo, nomine Cea, mari.
Illa mihi patria est. nec, si generosa probâris
  Nomina, despectis arguor ortus avis.

Pseud. i. vers. 70. et passim ille *doctus* et *docte*, pro astuto, callido utitur. Burm.

219. *Si tamen et quærat quis sim qualisque, videto.*] *Quærat* ne muta. vide ad Epist. xvii. 198. deinde *sic tamen* prætulimus, xiii. Metam. 243.

Sic tamen et spreto noctisque hostisque periclo.

Eadem elegantia, qua *sic quoque* sæpe occurrit, de qua ad iii. Art. Am. 265. et Valer. Flac. iv. 598. Burm.

222. *Nomine Cæa.*] *Cæa* non est adjectivum hoc loco, ut E. Hubertinus putat: sed proprium. Nam et Plinius lib. 4. cap. 12. *Ceos*, inquit, *quam nostri quidem Ceam, Græci Hydrusam vocant.* Et Virgil. i. Georg. 15.

Et cultor nemorum, cui pinguia Ceæ
Ter centum nivei tondent dumeta juvenci.

Nymphas autem, quas hic *Corycias* dicit, idem Poëta Metam. 10. simpliciter *Nymphas Carthæas* vocat, a *Carthæa*, una ex quatuor urbibus Ceæ. Sed utrum a Corycio, quod in Parnasso fuit: an a Corycio Ciliciæ appellentur, hactenus incertum. Micyllus. Lege, *Cea*; tam hic, quam Met. x. Κεῖος enim est Græcis, vel Κεός. Insula *Cea* etiam Columellæ dicta lib. ix. cap. ii. *Ceam* simpliciter Virgilius i. Georg. 14. ubi, teste Servio, regnavit Aristæus Cyrenes filius. pro *Coryciis Nymphis* male, et invito metro *Carystiis* reponit Ortelius Thesauro Geographico in *Ceos*. sunt enim, quas Noster *Corycidas* lib. i. Metam. vocat. et Parnassi incolas facit Apollonius libro ii. ubi de Parnasso agit et Apolline:

Πολλὰ δὲ Κωρύκιαι Νύμφαι πλείστοιο θυγάτρες
Θαρσύνεσκον ἔπεσσιν ἰήϊε κεληγυῖαι.

Ubi videndus Scholiastes. Heinsius. Scholiastes Horatii ad lib. ii. Od. i. citat hunc versum mendose:

Cingitur Ægæo insula Cæa mari.

223. *Si generosa probaris.*] Sunt qui *probatis* malint. ac si dicat, Tu, tuique omnes probatis stemmata in conjuge. Egnatius.

Sunt et opes nobis: sunt et sine crimine mores:
 Amplius utque nihil, me tibi jungit amor.
Adpeteres talem vel non jurata maritum:
 Juratæ vel non talis habendus erat.
Hæc tibi me in somnis jaculatrix scribere Phœbe,
 Hæc tibi me vigilem scribere jussit Amor.
E quibus alterius mihi jam nocuere sagittæ:
 Alterius noceant ne tibi tela, cave.
Juncta salus nostra est: miserere meique tuique.
 Quid dubitas unam ferre duobus opem?
Quod si contigerit, cum jam data signa sonabunt,
 Tinctaque votivo sanguine Delos erit;
Aurea ponetur mali felicis imago,
 Caussaque versiculis scripta duobus erit:
Effigie pomi testatur Acontius hujus,
 Quæ fuerint in eo scripta, fuisse rata.
Longior infirmum ne lasset Epistola corpus,
 Clausaque consueto sit sibi fine; vale.

EPISTOLA XXI.

CYDIPPE ACONTIO.

Pertimui, scriptumque tuum sine murmure legi,
 Juraret ne quos inscia lingua Deos.

230. *Me vigilans.*] *Me vigilem* Chartaceus Scriverii et alter Mentelianus a manu prima, quod præcedentia confirmant. Diana somniantem, Cupido vigilem et forma tua captum, cum te vidissem, jussit scribere. Horat. iii. Od. 27.

——*Vigilans ne ploro*
Turpe commissum, an vitiis carentem
Ludit imago? BURM.

EP. XXI.] Quædam exemplaria hic denuo munifica sunt de alieno, dum initium nobis hujus Epistolæ hoc modo obtrudunt:

Littera pervenit tua, quo consuevit, Aconti,
Et pœne est oculis insidiata meis. HEINS.

Vide Schott. ii. Observ. cap. liii. In prima editione adscriptum erat, *Cy-*

Et, puto, captasses iterum: nisi, ut ipse fateris,
Promissam scires me satis esse semel.
Nec lectura fui: sed, si tibi dura fuissem,
Aucta foret sævæ forsitan ira Deæ.
Omnia cum faciam, cum dem pia tura Dianæ;
Illa tamen justâ plus tibi parte favet.
Utque cupis credi, memori te vindicat irâ.
Talis in Hippolyto vix fuit illa suo.
At melius Virgo favisset virginis annis;
Quos vereor paucos ne velit esse mihi.
Languor enim, caussis non adparentibus, hæret,
Adjuvor et nullâ fessa medentis ope.
Quam tibi nunc gracilem vix hæc rescribere, quam-
Pallida vix cubito membra levare putas? [que
Huc timor accedit, ne quis, nisi conscia nutrix,
Colloquii nobis sentiat esse vices.
Ante fores sedet hæc: quid agamque rogantibus
Ut possim tuto scribere, Dormit, ait. [intus,

dippe Acontio; Heroïdum Ovidii ultima, recens reperta; mirum autem in posterioribus editionibus, ut Parmensi, Venetisque duabus hæc non apparere.

10. *In Hippolyto.*] Risum debet hic lectoribus concinnator notarum variarum, qui Hubertini explicationem, *in Hippolyto* per Archaismum pro *in Hippolytum* dici, refutat, nec *in* pro erga sumi, sed ablativum requirere confidenter notat. Tu vide, quæ nos ad Quinctil. xv. Decl. 6. notavimus. Burm.

11. *Virginis.*] Male de Hippolyto capit Douza. quia Nonius etiam *virgines* dici pueros investes notat. ad ipsam Cydippen referenda.

19. *Quid agamque rogantibus inter.*] Hic versus præcipue ex iis unus est, unde colligitur, hos non esse Poëtæ proprios ac γνησίους. Neque enim hanc figuram apud Ovidium facile alibi reperias. Est enim *Rogantibus inter*, dictum, pro interrogantibus; quod haud scio, an apud ullum alium Poëtam reperias: nedum apud Ovidium, qui ubique orationi æquabili ac planæ studuit. Sed tamen fieri potest, ut vel insititius versus hic idem sit, vel alias corruptus. Poteratque nullo incommodo legi:

——*Quid agamque rogantibus, ipsa,*
Ut possim tuto scribere, dormit, ait.

Nisi quod nobis nihil immutare, quod ab aliis intactum hactenus manserit, constitutum est. Micyllus. Scribo, *intus*. Columella Præfatione Rei Rusticæ, *Neque enim roganti quid agatur intus, servi respondere dignantur.* H. Male Douza et alii capiebant *rogantibus inter*, pro *interrogantibus*: certa Heinsii est emendatio. Burm.

Mox ubi, secreti longi caussa optima, somnus
Credibilis tardâ desinit esse morâ,
Jamque venire videt, quos non admittere durum [est;
Exscreat; et fictâ dat mihi signa notâ.
Sicut eram, properans verba imperfecta relinquo:
Et tegitur trepido litera cauta sinu.
Inde meos digitos iterum repetita fatigat.
Quantus sit nobis, adspicis ipse, labor.
Quâ, peream, si dignus eras, ut vera loquamur:
Sed melior justo, quamque mereris, ego.
Ergo te propter toties incerta salutis
Commentis pœnas doque dedique tuis?
Hæc nobis formæ te laudatore superbæ
Contingit merces? et placuisse nocet?
Si tibi deformis, quod mallem, visa fuissem;
Culpatum nullâ corpus egeret ope.
Nunc laudata gemo: nunc me certamine vestro
Proditis; et proprio vulneror ipsa bono.
Dum neque tu cedis, nec se putat ille secundum;
Tu votis obstas illius, ille tuis.
Ipsa, velut navis, jactor; quam certus in altum
Propellit Boreas, æstus et unda refert.

30. *Quamque mereris ero.*] Legendum arbitror, *quamque mereris ego.* Naugerius. Imo, *ego.* atque ita Naugerius. sic Amor. lib. i. El. vii.

Ille Deam primus perculit, alter ego. Heins.

Mox vers. 54. *plector ego.* *Melior* vero hic est mitior, benignior. ego sum mitior *justo*, id est quam æquum est, et tu mereris. ita infr. v. 170. *gravius justo.* vid. ad Vell. Paterc. ii. 25. Douza exponebat, Quæ, (scil. præcedentia, quæ a me indicata sunt) ut vere tibi prædicem, peream si dignus eram. Ego tamen, non quia tu dignus, sed quia ego verax tibi mendacia obtrudere nolui: quæ longe absunt a mente Poëtæ. Burm.

39. *Tu cedis.*] *Credis* unus Medicêus. forte, *te credis.* Heins.

42. *Æstus et unda.*] Id est, recursus undæ. is enim *æstus* dicitur. Videturque usus figura Poëta, quam Græci vocant ἓν διὰ δύο. Qua de Virgilii illud quoque est, *Chalybem frenosque momordit:* pro frenum ferreum, sive ex Chalybe factum. Micyllus.

Cumque dies caris optata parentibus instat,
  Immodicus pariter corporis ardor inest:
Et mihi conjugii tempus crudelis ad ipsum
  Persephone nostras pulsat acerba fores.
Jam pudet: et timeo, quamvis mihi conscia non [sim,
  Offensos videar ne meruisse Deos.
Accidere hoc aliquis casu contendit: et alter
  Acceptum Superis hunc negat esse virum.
Neve nihil credas in te quoque dicere famam,
  Facta veneficiis pars putat ista tuis.
Caussa latet: mala nostra patent. vos pace movetis
  Aspera submotâ prœlia: plector ego.
Dicam nunc, solitoque tibi me decipe more:
  Quid facies odio, sic ubi amore noces?
Si lædis, quod amas, hostem sapienter amabis.
  Me, precor, ut serves, perdere velle velis.

45. *Et mihi conjugii tempus, crudelis,* &c.] Ordo est: Et crudelis Persephone ad ipsum tempus conjugii pulsat mihi nostras fores acerba: pro, ipsa mors in foribus, sive in limine tunc maxime est, quando nuptias celebrare debeo. MICYLLUS. Imitatio est Horatiana i. Od. 4.

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas.

55. *Dicam nunc, solitoque tibi ne despice more.*] *Dic jam nunc* Crispinus corrigebat, quod si admittimus, ita distinguendum esset:

Dic jam, (nunc solitoque tibi me decipe more)
Quid facias odio, sic ubi amore noces?

Sed Douza notavit Petronium sic quoque initium sententiæ et periodi auspicatum esse cap. 129. *Dicam; vel, narrabo tibi Adolescens paralysim cave.* et in Declamationibus, quas non male hæ ultimæ Epistolæ referunt, sæpe illa formula occurrit. sic Quinctil. Declam. 329. *Dicam nunc ego; Qui pulsaverit aliquem injuriarum teneatur.* Decl. 338. *Dicam nunc ego illa, quæ leviora sunt.* et passim. BURM.

58. *Me precor ut serves: perdere velle, velis.*] Hoc est, quando noces iis, quos amas, diversosque affectus et effectus habes, quæso ut me oderis, et perdere cupias: et per consequens servabis. MICYLLUS. Locus manifeste corruptus. Tò *velle* perperam ex *velis* proxime sequenti inculcatum, cum ultimas duas syllabas in *perdere* librarius geminare neglexisset:

Me, precor; ut serves, perdere, dure, velis.

Christianus Daumius opinabatur dictum vulgatum, ut *negat negare* apud Catullum. HEINS. Posset vulgata defendi ex illis, in Amor. lib. iii. xi. 50.

Me quoque velle velis, anne coactus amem.

Sed ibi sensus est manifestior. sic et

Aut tibi jam nulla est speratæ cura puellæ,
Quam ferus indignâ tabe perire sinis;
Aut Dea si frustra pro me tibi sæva rogatur,
Quid mihi te jactas? gratia nulla tua est.
Elige quid fingas. non vis placare Dianam;
Immemor es nostri: non potes; illa tui est.
Vel numquam mallem, vel non mihi tempore in [illo
Esset in Ægæis cognita Delos aquis.
Tunc mea difficili deducta est æquore navis,
Et fuit ad cœptas hora sinistra vias.
Quo pede processi! quo me pede limine movi!
Picta citæ tetigi quo pede texta ratis!
Bis tamen adverso redierunt carbasa vento.
Mentior ah demens! ille secundus erat.
Ille secundus erat, qui me referebat euntem;
Quique parum felix impediebat iter.
Atque utinam constans contra mea vela fuisset!
Sed stultum est venti de levitate queri.
Mota loci famâ properabam visere Delon;
Et facere ignavâ puppe videbar iter.
Quam sæpe, ut tardis, feci convicia remis;
Questaque sum vento lintea parca dari!

apud Claudianum lib. ii. de Laud. Stil. 331. *posse queas* MSS. et quædam editiones. vide Claver. ad Pers. Sat. vi. pag. 274. Burm.

67. *Tunc mea difficili.*] Et hæc locutio durior. deducuntur litore naves in æquor. sed subducuntur ex æquore in litus. si mei res arbitrii esset, legerem, *difficili deducta est litore puppis. Litus difficile*, quod mala omina daret, et ægre quasi dimitteret navem subductam. potest tamen et *difficili æquore* absolute positum intelligi, pro cum æquor esset difficile, id est turbatum. Burm.

71. *His tamen.*] Vide, ne legendum sit, *bis.* ut significet Cydippe, non semel ventum adversum fuisse. Egnatius. *Bis* legendum doctiores contendunt: ut intelligamus bis retroactam navem Cydippes adverso vento, dum Delum navigare contendit. Micyl.

76. *Sed stultum est.*] Versus suspectus. Heins.

79. *Quam sæpe ut tardis.*] *Heu tardis*, malo. Heinsius. *Ut* est hic tanquam, licet celerrime navis progrederetur.

80. *Dare.*] Imo *dari.* Heins.

Et jam transieram Myconon, jam Tenon, et Andron:
Inque meis oculis candida Delos erat.
Quam procul ut vidi, Quid me fugis, insula, dixi?
Laberis in magno numquid, ut ante, mari?
Institeram terræ, cum jam, prope luce peractâ,
Demere purpureis Sol juga vellet equis:
Quos idem solitos postquam revocavit ad ortus,
Comuntur nostræ, matre jubente, comæ.
Ipsa dedit gemmas digitis, et crinibus aurum:
Et vestes humeris induit ipsa meis.

81. *Et jam transieram Myconen.*] Scribe *Myconon* cum prima editione, *Myconos* enim, non *Mycone* dicta hæc insula. Statius Achilleide manifeste i. 205.

> ———*Placet ire per altas*
> *Cycladas. hinc spretæ Myconos humilisque Seriphos.*

Ab hac insula Adagium natum, Πάντα ὑπὸ μίαν Μύκονον. Heins.

82. *Candida Delos.*] In prima editione et Mediceo et Herculan. codice erat, *candida Phosphor erat.* forte aliquid latet. Alludi vero ad Etymon Deli, ut Micyllus et alii credunt, potest quidem statui, sed simul illam facile nautis conspici, aut etiam præclaram et nobilem notari hoc epitheto. ut Horat. i. Od. 14. *Nitentes Cyclades,* non ut Cerda ad Virgil. iii. Æneid. 126. a marmore. et lib. iii. 28. *fulgentes* dixit. ut ita vocem λιπαρὸς apud veteres Poëtas Græcos occurrere docuit Spanhem. ad Callim. Hym. in Del. 155. Burm.

84. *Laberis in magno numquid, ut ante, mari.*] Delos, quæ ab ipso Ovidio, et a quibusdam aliis auctoribus Ortygia vocatur, insula instabilis fuit in mari Ægæo, lib. xv. Metamorph.

> *Tempusque fuit, quo navit in undis.*
> *Nunc sedet Ortygie.* Ciof.

Magno proprie, ut solent Ægeum sæpe Poetæ vocare. Stat. iii. Theb. 433.

> ———*Magnoque volantes*
> *Injicit Ægæo.*

Plura ad Valer. Flac. ii. vers. 365. *Laberis* vero est natas, ut insula *natans* proprie dicitur. ita xiv. Met. 8. *Tyrrhena per æquora lapsus.* et ita, quemadmodum et *labi* pro navigare, poni vidimus ad Epist. x. 65. sic et *nare* pro navigare, et labi, et *navigare* pro natare. vid. ad Epist. xix. 155. ita ut omnia hæc verba promiscue a Poëtis usurpentur. sic etiam Callimach. Hym. in Del. 36. de Delo, Ἄφετος πελάγεσσιν ἐπέπλεεν. ubi vide Commentatores. Burm.

89. *Et crinibus aurum.*] Novi satis, crines puellarum auro ornatas. ut iii. Am. xiii. 25. *Virginei crines auro gemmaque premuntur.* sed Mediceus et Sarravianus et Langermannianus, *cruribus,* cum quibus editiones Venetæ consentiunt: nisi quod in una operarum errore sit, *auribus.* et de crinibus comendis jam præcesserat; intelligit ergo periscelidas, quas *genualia* vocat. x. Metam. 593.

> *Poplitibus suberant picto genualia limbo.* Burm.

Protinus egressæ Superis, quibus insula sacra est,
Flava salutatis tura merumque damus.
Dumque parens aras votivo sanguine tinguit,
Festaque fumosis ingerit exta focis;
Sedula me nutrix alias quoque ducit in ædes,
Erramusque vago per loca sacra pede.
Et modo porticibus spatior, modo munera regum
Miror: et in cunctis stantia signa locis.
Miror et innumeris structam de cornibus aram,
Et de quâ pariens arbore nixa Dea est.
Et quæ præterea (neque enim meminive, libetve,
Quidquid ibi vidi, dicere) Delos habet.
Forsitan hæc spectans, a te spectabar, Aconti;
Visaque simplicitas est mea posse capi.
In templum redeo, gradibus sublime, Dianæ.
Tutior hoc ecquis debuit esse locus?
Mittitur ante pedes malum, cum carmine tali.
Hei mihi! juravi nunc quoque pene tibi.

99. *De cornibus.*] Non ego hoc loco plura, quam quæ Politianus de ara Delii Apollinus ex cornibus facta frequentibus, addam, ad illum diligentem lectorem relegamus. Egnatius. Vid. Callimach. Hym. Apol. 68. et seq. et in Del. 319. et ibi interpretes. Hesych. in Δῆλον κακὸς βωμός. Ælian. Var. Hist. v. 14. Hygin. Fab. 140. et Politian. Miscel. 52. Anonymus de incredibilibus ab Allatio editus. pag. 28. ex dextris ferarum cornibus, quæ uno die cæsæ fuerant, exstructam narrat.

100. *Arbore.*] Olivæ palmæque arborem, cui Latona pariens innixa est, innuit ipse. lib. vi. Metam. 335.

Illic incumbens cum Palladis arbore palmæ.

Sed Plutarchus fontium facit hæc nomina, objectaque Latone Draconis specie præcipitasse sese de saxo territam. Græcis hæc autoribus decantatissima sunt. Egnat.

107. *Cum carmine tali.*] Græcum fuisse apparet carmen illud: sed quale, hactenus nemo tradidit, quia ipsa fabula alias nusquam clare aut plene tractata extat. Latini interpretes, ut vides, variant. Volscus distichon quoddam incomptum allegat:

(Me tibi nupturam felix eat omen Aconti
Testor quam colimus nomina magna Deæ.)

Quod et ipsi Epistolæ Acontii insertum quidam habent. Hubertinus etiam putidius quoddam recitat:

Juro tibi sane per mystica sacra Dianæ,
Me tibi venturam comitem sponsamque futuram.

Sustulit hoc nutrix, mirataque, Perlege, dixit.
  Insidias legi, magne poëta, tuas.
Nomine conjugii dicto, confusa pudore
  Sensi me totis erubuisse genis:
Luminaque in gremio, veluti defixa, tenebam;
  Lumina propositi facta ministra tui.
Improbe, quid gaudes? aut quæ tibi gloria parta est?
  Quidve vir elusâ virgine laudis habes?
Non ego constiteram sumtâ peltata securi;
  Qualis in Iliaco Penthesilea solo.
Nullus Amazonio cælatus balteus auro,
  Sicut ab Hippolyte, præda relata tibi est.
Verba, quid exsultas, tua si mihi verba dederunt;
  Sumque parum prudens capta puella dolis?
Cydippen pomum, pomum Schœneïda cepit.
  Tu nunc Hippomenes, scilicet, alter eris.
At fuerat melius, (si te puer iste tenebat,
  Quem tu nescio quas dicis habere faces,)
More bonis solito spem non corrumpere fraude.
  Exoranda tibi, non capienda fui.
Cur, me cum peteres, ea non profitenda putabas,
  Propter quæ nobis ipse petendus eras?

velut supra videre est in eorum argumentis. MICYL.

117. *Secure.*] *Securi* veteres. HEINSIUS. *Constiteram* vero eleganter, ut miles paratus ad pugnam proprie dicitur. vid. ad Petronii cap. xix. Valer. Flacc. viii. 133. *Rapta victor consistit in hasta.* BURM.

121. *Si verba tua dederunt mihi verba.*] Schema est, ἀντίστασιν vocant, cum idem nomen repetitur diversa significatione. Priore enim loco, *Verba* proprie sumuntur: altero, pro deceptione. MICYLLUS. Putidum hoc et minime Nasonianum.

123. *Pomum Schœneïda cepit.*] Vide lib. x. Metamorph. et Apollodorum lib. iii. Bibliothecæ. CIOF.

Pomum Schœneida cepit.] Atalantam Schœnei filiam: quæ cum procos suos certamine cursus provocaret, ab Hippomene victa est, objectu pomorum aureorum, quæ a Venere acceperat: ut idem poëta in Metamorph. lib. 10. tradit.

Cogere cur potius, quam persuadere, volebas,
  Si poteram auditâ conditione capi?
Quid tibi nunc prodest jurandi formula juris,
  Linguaque præsentem testificata Deum?
Quæ jurat, mens est: nil conjuravimus illâ;
  Illa fidem dictis addere sola potest.
Consilium prudensque animi sententia jurat,
  Et nisi judicii vincula nulla valent.
Si tibi conjugium volui promittere nostrum;
  Exige polliciti debita jura tori:
Sed si nil dedimus, præter sine pectore vocem;
  Verba suis frustra viribus orba tenes.
Non ego juravi: legi jurantia verba.
  Vir mihi non isto more legendus eras.
Decipe sic alias: succedat epistola pomo.
  Si valet hoc; magnas divitis aufer opes.
Fac, jurent Reges sua se tibi regna daturos;
  Sitque tuum, toto quidquid in orbe placet.
Major es hac ipsâ multo (mihi crede) Dianâ,
  Si tua tam præsens litera numen habet.
Cum tamen hæc dixi, cum me tibi firma negavi,
  Cum bene promissi caussa peracta mei est;
Confiteor, timeo sævæ Latoïdos iram:
  Et corpus lædi suspicor inde meum.
Nam quare, quoties socialia sacra parantur,
  Nupturæ toties languida membra cadunt?

135. *Quæ jurat, mens est.*] Alludit ad vulgatum versum Euripidis Hippol. 612. Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος. MICYLLUS. Vide ibi Barnesii notas.

137. *Prudens animi sententia.*] Alludit ad formulam, *ex animi sententia.* de qua vide ad Petron. cap. cix.

141. *Sine pectore vocem.*] Sic Virgilius dixit x. Æneid. 640. *Dat sine mente sonum.* id est verba absque judicio et certa voluntate prolata. MICYL.

Ter mihi jam veniens positas Hymenæus ad aras
Fugit; et e thalami limine terga dedit.
Vixque manu pigrâ toties infusa resurgunt
Lumina: vix moto corripit igne faces.
Sæpe coronatis stillant unguenta capillis,
Et trahitur multo splendida palla croco.
Cum tetigit limen, lacrimas mortisque timorem
Cernit; et a cultu multa remota suo.
Projicit ipse suas deductâ fronte coronas,
Spissaque de nitidis tergit amoma comis.
Et pudet in tristi lætum consurgere turbâ:
Quique erat in pallâ, transit in ora rubor
At mihi (væ miseræ!) torrentur febribus artus:
Et gravius justo pallia pondus habent.
Nostraque plorantes video super ora parentes:
Et, face pro thalami, fax mihi mortis adest.
Parce laboranti, pictâ Dea læta pharetrâ;
Daque salutiferam jam mihi fratris opem.

157. *Positas Hymenæus ad aures.*] *Ad aras* cum Slichtenhorstio legendum. Heinsius. Certe hoc melius, quam cum aliis interpretari ad aures dormientis, sive ægræ, id est *positæ* Cydippes. Francius malebat, *positis Hymenæus ab aris.* Douza etiam *auras* faciebat.

159. *Infusa.*] Vix Latinum est. et loqui de facibus videtur. forte, *incussa.* Heinsius. Forte, *totiens incensa resumit lumina;* ut ad Hymenæum referantur. sic i. Amor. i. 8.

Ventilet accensas flava Minerva faces.

Francius volebat, *perfusa.* si *infusa* esset retinendum, subintelligi debet *oleo.* ut dicimus *perfundi vino* de ebrio; sed *infundi vino* labentis jam Latinitatis et corrupti sermonis esse locutionem censuit Janus Broukhusius ad Tibul. i. ii. 3. Burm.

162. *Splendida palla croco.*] Puto flammeum intelligi, quod novæ nuptæ gerebant: id enim crocei coloris erat. Lucanus *luteum* vocat: ut lib. ii. 261.

Lutea demissos velarunt flammea vultus. Micyl.

Vid. ad Petron. cap. xxvi.

172. *Et, face pro thalami,* &c.] Verbatim fere Aristenætus: Καὶ πρὸς ἐκφορὰν, ἀντὶ νυμφαγωγίας, οἱ τεκόντες ἑώρων. Amar.

174. *Fratris.*] Apollinis. qui apud hunc Nostrum lib. i. Metamorph. ait:

Inventum medicina meum est, Opiferque per orbem

Turpe tibi est, illum caussas depellere leti;
Te contra titulum mortis habere meæ.
Numquid, in umbroso cum velles fonte lavari,
Imprudens vultus ad tua labra tuli?
Præteriine tuas de tot cœlestibus aras?
Atque tua est nostrâ spreta parente parens?
Nil ego peccavi, nisi quod perjuria legi;
Inque parum fausto carmine docta fui.
Tu quoque pro nobis, si non mentiris amorem,
Tura feras. prosint, quæ nocuere, manus.
Cur, quæ succenset, quod adhuc tibi pacta puella
Non tua fit, fieri ne tua possit, agit?
Omnia de vivâ tibi sunt speranda. quid aufert
Sæva mihi vitam, spem tibi Diva mei?
Nec tu credideris illum, cui destinor uxor,
Ægra superpositâ membra fovere manu.
Adsidet ille quidem, quantum permittitur ipsi;
Sed meminit nostrum virginis esse torum.
Jam quoque nescio quid de me sensisse videtur:
Nam lacrimæ caussâ sæpe latente cadunt.
Et minus audacter blanditur, et oscula rara
Accipit, et timido me vocat ore suam.
Nec miror sensisse, notis cum prodar apertis:
In dextrum versor, cum venit ille, latus.

Dicor, et herbarum commissa potentia nobis. Ciof.

182. *Inque parum fausto carmine docta fui.*] *Capta fui* videtur restituendum, ut hæc ipsa Cydippe paulo ante 104.

Visaque simplicitas est mea posse capi.

Et 122.

Sumque parum prudens capta puella dolis.

186. *Non tua sit.*] Scribe *fit.* quod τὸ *fieri* proxime subsequens requirit. ea repetitio arguta prorsus καὶ ἑλκυστικῇ. Heins.

198. *In dextrum.*] Jam quis non videat legendum, *in lævum*, non *dextrum?* cum decumbentes, dum aversantur eos qui invisunt, in lævum reclinent latus necesse est. Egnatius. Imo contra, ut dextram medico porri-

Nec loquor, et tecto simulatur lumine somnus;
Captantem tactus rejicioque manum.
Ingemit, et tacito suspirat pectore: meque
Offensam, quamvis non mereatur, habet.
Hei mihi, quod gaudes, et te juvat ista voluptas!
Hei mihi, quod sensus sum tibi fassa meos!
Si mihi lingua foret; tu nostrâ justius irâ,
Qui mihi tendebas retia, dignus eras.
Scribis, ut invalidum liceat tibi visere corpus.
Es procul a nobis: et tamen inde noces.
Mirabar, quare tibi nomen Acontius esset:
Quod faciat longe vulnus, acumen habes.

gere possint ægri in lævum inclinatos esse decet, et cum aversantur, in dextrum. quamquam, ut recte Micyllus adnotavit, hic status pro positu lectorum diversus esse potest. et ideo nihil mutarem absque scriptis codicibus. *vertor* malebat Francius. *avertor* olim correxerat Heinsius. BURM.

203. *Si mihi, quod gaudes: Si mihi, quod sensus,* &c. *Si mihi lingua foret.*] Repetitio quidem hæc, Schema Rhetoricum est. Sed ipsa oratio obscura, sive defectuosa, et Ovidianæ dissimilis. Quid enim referamus ad priora duo commata, *Si mihi?* nisi si id, quod in tertio versu sequitur, *Lingua foret,* illis iisdem applicabimus: ut sit sensus, *Si mihi lingua foret:* pro, si mihi dicendum sit, quod gaudes, &c. *Si mihi lingua foret,* sive dicendum sit, quod sensus sum tibi *fassa,* &c. Si mihi dicendum sit inquam, tu justius nostra ira dignus eras, &c. Ita quidem qualicunque modo exponi hæc poterunt: sed quam apte ad hæc ipsa verba respondeant, aut quadrent, quivis non omnino indoctus videre potest. Quare hæc ita in medio relinquamus, sive a Poëta ita scripta, sive aliunde inserta, ac vitiata. MICYLLUS. Locus corruptus. *Si me digna forem* argute idem elegantissimus Gronovius. Parmensis editio, *At mihi lingua foret.* HEINS.

209. *Nomen Acontius esset.*] Ego hæc duo disticha inepta et Ovidiana elegantia et judicio plane indigna, et sine ullo acumine esse judico. Sanctioresque et integriores Poëtas religiose ab inficetis illis adlusionibus ad nomina propria abstinuisse egregie docet Barth. ad Claud. iii. Cons. Honor. principio. et xlvii. adv. cap. ii. et multa in hanc rem collegit Menagius in Antibailleto suo tom. i. cap. xlviii. ubi excusat allusionem, quam ipse epigrammati cuidam incluserat. exempla quorundam Græcorum et Latinorum adduxit etiam Columna ad Ennii Andromachen. pag. 240. sed aut ridiculi, aut opprobrii caussa fere usurpata videbis: in gravi enim et serio poëmate nullus his ineptiis locus esse debet. in Anthologia Græca quædam occurrunt hujus notæ. ut lib. ii. cap. 5.

Χείλων, καὶ λείχων, ἴσα γράμματα,
ἐς τι δὲ τοῦτο;

Certe ego convalui nondum de vulnere tali;
  Ut jaculo, scriptis eminus icta tuis.
Quid tamen huc venias? sane ut miserabile corpus,
  Ingenii videas bina tropæa tui.
Concidimus macie; color est sine sanguine: qualem
  In pomo refero mente fuisse tuo.
Candida nec mixto sublucent ora rubore;
  Forma novi talis marmoris esse solet.
Argenti color est inter convivia talis,
  Quod tactum gelidæ frigore pallet aquæ.
Si me nunc videas, visam prius esse negabis:
  Arte nec est, dices, ista petenda meâ:
Promissique fidem, ne sim tibi juncta, remittes;
  Et cupies illud non meminisse Deam.
Forsitan et facies, jurem ut contraria rursus;
  Quæque legam, mittes altera verba mihi.
Sed tamen adspiceres vellem, prout ipse rogabas,
  Et discas sponsæ languida membra tuæ.

Λείχει γὰρ Χείλων κᾷν ἴσα κᾷν ἄνισα.
Apud Martialem quoque, et similis ordinis Poëtastros, obviæ hæ nugæ. Burm.

213. *Sane miserabile corpus.*] Scribe, *Anne ut miserabile corpus.* Sic apud Martialem lib. v. Epigr. ult. *Sane* pro *At ne* nunc legitur. qui nævus totum ferme epigrammati acumen interverterat. Heinsius. Francius legebat, *ut me et miserabile corpus.* sed vix audeo illud *Sane* movere, cum eleganter inserviat Ironiæ, vel sit concedentis quasi et permittentis. vid. ad Phædr. iii. Fab. 15. ubi etiam Heinsius pro *sane, an* reponebat.

227. *Prout ipse rogabas.*] Celeberrimus Bentlejus ad Horat. ii. Sat. vi. 67. apud nullum Poëtam, ne comicum quidem, hoc verbum se legisse meminit, nec in Horatio patitur in unam syllabam coalescere. ex Plauto in Bacch. iv. ix. 5, Lexicographi laudant, sed ibi *praeut* emendatiores editiones recte exhibent. et sane vix tolerari hic posse videtur, cum nulla sit ratio, quæ suadeat, aut primam syllabam corripi, aut duas in unam coire. Francius *velut* supposuit, sed hoc est pro arbitrio emendare. ideoque malo Poëtæ ignobili hanc stribliginem adscribere. *discas* etiam *membra* durius dictum videtur. si *noscas* legi posset, mollius esset. Burm.

Durius et ferro cum sit tibi pectus, Aconti;
Tu veniam nostris vocibus ipse petas.
Ne tamen ignores, ope quâ revalescere possim:
Quæritur a Delphis fata canente Deo.
Is quoque nescio quam, nunc ut vaga fama susur-
Neglectam queritur testis habere fidem. [rat,
Hoc Deus et vates, hoc et mea carmina dicunt:
At desunt voto carmina nulla tuo.
Unde tibi favor hic? nisi quod nova forte reperta
Quæ capiat magnos litera lecta Deos. [est,
Teque tenente Deos, numen sequor ipsa Deorum:
Doque libens victas in tua vota manus.

234. *Neglectam queritur testis habere fidem.*] Jure inexplicabilia hæc, ut nunc leguntur, pronuntiat Micyllus, sed ut aliquis sensus appareat, ita constituerem:

Is quoque nescio quam, nunc ut vaga fama susurrat,
Neglectam queritur, testis, habere fidem.
Et Deus hoc vates, hoc et mihi carmina dicunt.
(*Ah! desunt voto carmina nulla tuo.*)

Is Deus, testis et arbiter jurisjurandi mei, queritur nescio quam, (nominatim enim oraculum non solere aliquem designare apparet etiam ex Epist. xiii. 93.

Sors quoque nescio quem fato designat iniquo.)

habere neglectam fidem. *testis* est ipse Deus. ut superiori Epistola 212.

Esse tuam vinctam numine teste fidem.

Nam millies ita in hac re dicitur. *Neglectam fidem habere* recte Crispinus explicat pro negligere, ut Terent. Eun. ii. 3. *Despicatam adolescentiam habere.* Cicero, *domitas habere libidines* et similia. si legamus vero *Deus et vates,* intelligendus sacerdos et antistes templi. sed malim, *Et Deus hoc vates,* ut Apollo ipse intelligatur, quem *vatem* dici videbimus ad i. Amor. viii. 59. deinde *mea carmina* possent quidem explicari mihi per oraculum edita, sed cum *mea* et *mihi, tua* et *tibi* centies apud Ovidium a librariis commutari soleant, malim *mihi dicunt.* ut quod antea famam, quæ mendax esse potest, susurrare dixerit, nunc sibi quoque constare ex ipso Dei responso, carminibus edito, affirmet. hæc omnia suspirio quodam concludit. *Ah!* (ita recte etiam Crispinus conjecit) nulla carmina, neque tua, quibus me decepisti, neque Apollinis, tibi desunt, ut voto potiaris tuo. Qui meliora attulerit, libentes ei assurgemus. Burm.

238. *Capiat.*] Male Micyllus, delectet, moveat explicat: est enim eludat, fallat, ut supr. vers. 104, 115, 122. ut ergo me litera decepit, ita forte nova Deos decipiat. Burm.

Fassaque sum matri deceptæ fœdera linguæ,
 Lumina fixa tenens, plena pudoris, humo.
Cetera cura tua est. plus hoc quoque virgine fac-
 Non timuit tecum quod mea charta loqui. [tum,
Jam satis invalidos calamo lassavimus artus,
 Et manus officium longius ægra negat.
Quid, nisi quod cupio me jam conjungere tecum,
 Restat, ut adscribat litera nostra? Vale.

Tuesday Nov. 7th 1843. C.H.L.
Monday April 4. 1881. H.L.J. & L.

EPIGRAMMA NASONIS

IN

AMORES SUOS.

Qui modo Nasonis fueramus quinque libelli,
  Tres sumus: hoc illi prætulit auctor opus.
Ut jam nulla tibi nos sit legisse voluptas;
  At levior demtis pœna duobus erit.

1. *Qui modo Nasonis,* &c.] Scripserunt ex antiquis apud Romanos elegias Tibullus, Propertius, Ovidius, et Gallus, ut ait Quinctilianus lib. x. cap. 1. Cujus hæc verba sunt: *Elegiâ Græcos quoque provocamus: cujus mihi tersus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus. Sunt qui Propertium malint. Ovidius utroque lascivior: sicut durior Gallus.* Ciofanus. Duo hæc priora disticha non ad Elegiam primam, cui perperam hactenus adnectuntur, sunt referenda, sed Epigramma per se conficiunt: quod secundæ Amorum editioni Naso duxerat præfigendum. Heins.

3. *Ut jam nulla tibi.*] Tenebras offuderunt non intellectæ particulæ *Ut jam,* quæ pro *quamvis* debent sumi, ut sæpe. Burm.

Saturday 22nd April. 1842. C. H. L.

P. OVIDII NASONIS
AMORUM
LIBER PRIMUS.

ELEGIA I.

Arma gravi numero, violentaque bella, parabam
  Edere, materiâ conveniente modis.
Par erat inferior versus: risisse Cupido
  Dicitur, atque unum subripuisse pedem.
Quis tibi, sæve puer, dedit hoc in carmina juris?
  Pïëridum vates, non tua turba, sumus.
Quid? si præripiat flavæ Venus arma Minervæ,
  Ventilet accensas flava Minerva faces?
Quis probet in silvis Cererem regnare jugosis?
  Lege pharetratæ Virginis arva coli?

1. *Arma*, &c.] Etsi quæcunque bella intelligi possint, tamen melius est, ut Gigantomachiam, seu Titanographiam intelligamus: quam se scribere cœpisse, ostendit Naso El. i. lib. ii.

5. *Dedit hoc in carmine juris.*] *In carmina* optime fragmentum Regium. ut i. Fast. 17. dixit, *dederis in carmina vires*, ut ibi legendum. *Habere jus in aliquem* dicimur. *in aliquo* minus Latinum est. HEINS.

6. *Tua turba sumus.*] Codex Regius *turma*. unus Palatinus et Vaticanus *membra*. etiam probe. HEINS.

7. *Præripiat.*] In Palatino tertio est, *præcipiat*. et id probavit Gebhardus lib. i. Crepund. cap. i. sed inconsiderate. *Præcipere* est enim rem ante alium capere; ut Ep. xvii. 107. *Præcepta gaudia*. *Præripere* vero rem, in quam alius jus habet, auferre per vim, ut passim Latini scriptores. Noster v. Metam. 10.

Præreptæ conjugis ultor.

Et ita sæpe Cicero et alii. BURM.

8. *Ventilet.*] Moveat ut ventum faciat, quo magis accendantur. MARIUS.

Crinibus insignem quis acutâ cuspide Phœbum
Instruat, Aöniam Marte movente lyram?
Sunt tibi magna, puer, nimiumque potentia regna,
Cur opus adfectas, ambitiose, novum?
An, quod ubique, tuum? tua sunt Heliconia Tempe?
Vix etiam Phœbo jam lyra tuta sua est?
Cum bene surrexit versu nova pagina primo;
Adtenuat nervos protinus ille meos.
Nec mihi materia est numeris levioribus apta,
Aut puer, aut longas comta puella comas.
Questus eram; pharetrâ cum protinus ille solutâ
Legit in exitium spicula facta meum:
Lunavitque genu sinuosum fortiter arcum:
Quodque canas, Vates, accipe, dixit, opus.
Me miserum! certas habuit puer ille sagittas.
Uror; et in vacuo pectore regnat Amor.
Sex mihi surgat opus numeris; in quinque residat.
Ferrea cum vestris bella valete modis.
Cingere litoreâ flaventia tempora myrto,
Musa, per undenos emodulanda pedes.

13. *Magna, puer.*] Utpote qui in Deos ipsos jus habere dicaris. CIOFANUS. Moreti unus, *Sat tibi magna puer,* non invenuste.

20. *Aut puer.*] *Quam puer* Sarravianus a manu prima. ut subintelligatur, *alia;* nec mihi alia materia est, quam puer. sed hoc repugnat versui 26. BURM.

21. *Soluta.*] Expeditam explicat Crispinus, ex duabus Marii interpretationibus pessimam eligens. est vero aperta, nam clausas gerebant pharetras. Noster v. Metam. 379.

———Ille pharetram
Solvit et arbitrio matris de mille sagittis
Unam deposuit. BURM.

23. *Lunavitque.*] Unus Maffeian. *Curvavitque.* quod fortassis glossema est. CIOFANUS. Explicuit optime hunc Sagittatorum habitum Columna ad Ennii Alcmæona pag. 285.

29. *Litorea myrto.*] Propterea quod myrtus, ut plurimum non longe a mari propter cœli calorem nasci et esse consuescit. CIOF. Martial. iv. 13.
Lotos aquas, litora myrtus amat.

ELEGIA II.

Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura viden-
Strata, neque in lecto pallia nostra sedent? [tur
Et vacuus somno noctem, quam longa, peregi;
Lassaque versati corporis ossa dolent?
Nam puto sentirem, si quo tentarer amore.
An subit, et tacitâ callidus arte nocet?
Sic erat. hæserunt tenues in corde sagittæ:
Et possessa ferus pectora versat Amor.
Cedimus? an subitum luctando accendimus ignem?
Cedamus. leve fit, quod bene fertur, onus.
Vidi ego jactatas motâ face crescere flammas;
Et vidi nullo concutiente mori.
Verbera plura ferunt, quam quos juvat usus aratri,
Detrectant pressi dum juga prima boves.
Asper equus duris contunditur ora lupatis.
Frena minus sentit, quisquis ad arma facit:

2. *Pallia nostra sedent.*] Intelligit illa, quibus et in toris tricliniaribus, et nocturnis tegi solebant. inf. El. iv. 50.

Conscia de gremio pallia deme tuo.

Pro *sedent* vero *jacent*, vel *manent* est in Francof. et aliis quibusdam. sed *sedent* est hærent, ita ut vestigia corporis mei in uno tantum loco appareant, neque corpus versem aut jactem, per omnem lectum, ut solent ægri. Burm.

5. *Tentarer.*] In Palatino et Francofurt. erat, *tractarer;* forte, pro *jactarer* librarius id supposuit. quamvis ego *tentarer* non esse sollicitandum arbitrer. est enim verbum in amore proprium. vid. i. Art. Am. 365. et Lambin. ad Horat. i. Od. 28. Burm.

7. *Sic erat.*] *Erit* Fragmentum Regium. Terent. Eun. iv. 5. *Hoc verum erit, sine Cerere et Baccho, friget Venus.* Metam. ii. 703.

———" Sub illis
" Montibus, inquit, erunt:" Et erant sub montibus illis.

Ita quippe scribendum, ut suo loco monebitur. Heinsius. Ego nihil muto. elegans enim formula, et post dubitationem usitata. inf. iii. Am. xii. 8.

Sic erat. ingenio prostitit illa meo.

Vicina huic formulæ altera, *hoc erat.* Claud. Bel. Gild. 236.

Hoc erat. in fratres medio discordia Mauro
Nascitur.———

Vid. ad Petron. cap. xciii. *Sic est* Francofurtensis. Burm.

13. *Quos juvat usus.*] Numquam puto *juvare*, id est delectare, usum rei gravis et molestæ. forte, *levat.* nisi *juvat* capias pro levat, id est, facit levius aratrum. Burm.

Acrius invitos, multoque ferocius urguet,
Quam qui servitium ferre fatentur, Amor.
En ego confiteor: tua sum nova præda, Cupido.
Porrigimus victas ad tua jura manus.
Nil opus est bello: pacem veniamque rogamus.
Nec tibi laus, armis victus inermis, ero.
Necte comam myrto: maternas junge columbas;
Qui deceat, currum Vitricus ipse dabit.
Inque dato curru, populo clamante triumphum,
Stabis; et adjunctas arte movebis aves.
Ducentur juvenes capti, captæque puellæ.
Hæc tibi magnificus pompa triumphus erit.
Ipse ego, præda recens, factum modo vulnus ha-
Et nova captivâ vincula mente feram. [bebo:
Mens Bona ducetur manibus post terga retortis,
Et Pudor, et castris quidquid Amoris obest.
Omnia te metuent: ad te sua brachia tendens
Vulgus, Iö, magnâ voce, Triumphe, canet.
Blanditiæ comites tibi erunt, Errorque, Furorque,
Adsidue partes turba secuta tuas.
His tu militibus superas hominesque Deosque:
Hæc tibi si demas commoda, nudus eris.

24. *Qui deceat currus.*] *Qui deceat, currum.* scripti. Heinsius. Lactantius lib. i. de falsa religione cap. ii. mentionem facit Poëmatis, quod *Triumphus Cupidinis* sit inscriptum, sine Auctoris nomine. hujus triumphi pompam, Jovem cum ceteris Diis fuisse ait.

Vitricus ipse dabit.] A Marte currum accipies. Ut militum animos Cupidini deditos monstraret. Unde non temere antiqui fabulati sunt, Venerem Marti fuisse conjunctam.

25. *Populo clamante triumphum.*] Francius malebat, *spectante triumphum,* ut est in uno Heinsii. et defendi posset ex iv. Trist ii. 19.

Ergo omnis populus poterit spectare triumphum.

Alius, *clamante triumphe;* ut sit pro *Iö triumphe,* quod mox vers. 34. sequitur. et ita Horat. iv. Od. 2. Burm.

33. *Omnia te metuent.*] Plus dixit genere neutro, quam si masculino *omnes* dixisset. Marius. Vide ad Quinctil. Decl. i. 6.

37. *His tu militibus.*] In uno Moreti, *militiis.* Forte, *his commilitiis,* vel *commilitibus.* Heinsius. Male: Dux est Cupido, milites et satellites

Læta triumphanti de summo Mater Olympo
Plaudet; et adpositas sparget in ora rosas.
Tu, pennas gemmâ, gemmâ variante capillos,
Ibis in auratis aureus ipse rotis.
Tum quoque non paucos (si te bene novimus) ures:
Tum quoque præteriens vulnera multa dabis.
Non possunt (licet ipse velis) cessare sagittæ.
Fervida vicino flamma vapore nocet.
Talis erat domitâ Bacchus Gangetide terrâ.
Tu gravis alitibus; tigribus ille fuit.
Ergo, ego cum possim sacri pars esse triumphi,
Parce tuas in me perdere, victor, opes.

ejus, *Error* et *Furor* &c. ut Martis *Pavor* et *Metus* &c. illud *militiis*, sequioris ævi est, quo *militiam* pro exercitu et militibus dicebant. de quo alias. BURM.

38. *Commoda.*] Incommoda certe vox, quæ de præmiis militum passim occurrit, sed huic loco minime convenit. Francius conjecerat *agmina*, quod si MSS. addicerent multo aptius esset. sed forte Ironice intelligendum, ut castris Cupidinis militantes pro commodis, errorem et furorem consequantur. Idem Francius adscripserat etiam male alios legere, *nullus eris*. BURM.

41. *Gemma*] Fragmentum Regium et Neapolitanus codex cum excerptis Scaligeri:

Tu pennas gemma, gemma variante capillos.

Quam veram esse scripturam ne dubita. Remed. Amor. 39.

Hæc ego. movit Amor gemmatas aureus alas,
Et mihi, Propositum perfice, dixit, opus.

Ubi *aureum* vocat *Amorem*, quomodo et hic versu proximo. ita ἔρως χρυσοχαίτας Anacreonti dictus. quo alludit Lucianus in Hercule Gallico sub finem. *gemmatum temonem* Amori dat Statius Sylv. lib. i. Sylv. ii. 145. *alas* autem *aureas* Moschus in Poëmatis de Helena et Paride, ubi describit Cupidinem ad Paridem venientem:

Βῆ δ' ἐπὶ χρυσειῇσιν ἀποπτάμενος πτερύγεσσιν.

Et ita Aristophanes in Avibus. Noster autem Remedio Amor. 701. *purpureas* ipsi *alas* dat. posset et *variate* legi, non insolenti Græcismo. HEINS.

44. *Præteriens.*] Alludit ad præcipuam istorum ducum gloriam, qui in agmine et itinere, non instructa acie debellant hostes: qua laude ornare suos Heroas, Panegyricos egregiis exemplis docuit diligentissimus Barthius. ad Claud. iv. Cons. Honor. v. 460. quibus adde Sidon. Apol. Paneg. Anth. 589.

Et cujus solum amissas post secula multa
Pannonias revocavit iter, jam credere promptum est
Quid faciet bellis. BURM.

47. *Domita Gangetide terra.*] Subacta India. lib. iv. Metam. et lib. iii. Fast. CIOF.

Adspice cognati felicia Cæsaris arma;
Quâ vincit, victos protegit ille, manu.

ELEGIA III.

Justa precor: quæ me nuper prædata puella est,
Aut amet, aut faciat, cur ego semper amem.
Ah nimium volui! tantum patiatur amari;
Audierit nostras tot Cytherêa preces.
Accipe, per longos tibi qui deserviat annos:
Accipe, qui purâ norit amare fide.
Si me non veterum commendant magna parentum
Nomina; si nostri sanguinis auctor eques;
Nec meus innumeris renovatur campus aratris;
Temperat et sumtus parcus uterque parens;
At Phœbus, comitesque novem, vitisque repertor,
Hoc faciant: et, me qui tibi donat, Amor:

51. *Cognati Cæsaris.*] Propter Venerem, matrem tuam, a qua Romani originem duxerunt. Ciof.

52. *Qua vicit, victos protegit ille manu.*] Utrum hoc de C. Julio Cæsare, an de Octavio dicatur, non immerito aliquis dubitare possit. Utriusque in hostibus ignoscendo magna clementia fuit. Ego tamen de Octavio potius intelligi arbitror. Ciofanus. *Vincit* Moreti et tres alii. meliori certe omine: pergebat enim Augustus vincere, nec cessabat. Burm.

---

8. *Si nostri.*] Rectius alii, *Nec nostri.* Heinsius. Imo vulgata proba est, et retinenda. quis enim ignorat Ovidii stirpem equestrem, et a proavis usque auctorem sanguinis equitem fuisse? sed sordida hæc amicæ ejus videbatur conditio, quæ fastidiebat equites, et non nisi in Orchestra sedere volebat. subintellige ergo *tantum.* si tantum eques, non Senator sit auctor nostri sanguinis. Burm.

10. *Temperat et sumtus.*] Malim, si per scriptos codices liceat, *sumtu.* ut *sumtu* pro *sumtui* dicatur ἀρχαϊκῶς, aut præpositio subintelligatur. Heinsius. Neque hic contra codices mutarem aliquid. *Temperare* enim est moderari, ne extra modum fiat profusio. Burm.

11. *Jurisque repertor.*] Sic quidem in impressis exemplaribus legitur, sed nullus decens sensus elici potest. Hinc ego olim errorem (ut erat) existimans, sine ullius exemplaris auctoritate, loco *Juris, Vitis* legendum esse arbitratus sum. In tutela autem Bacchi Poëtas esse constitutos, quis dubitat? Id apertissime Flaccus in Epistolarum

Et nulli cessura fides; sine crimine mores;
  Nudaque simplicitas, purpureusque pudor.
Non mihi mille placent: non sum desultor Amoris.
  Tu mihi (si qua fides) cura perennis eris.
Tecum, quos dederint annos mihi fila Sororum,
  Vivere contingat: teque dolente mori.
Te mihi materiem felicem in carmina præbe;
  Provenient caussâ carmina digna suâ.
Carmine nomen habent, exterrita cornibus Iö,
  Et quam fluminea lusit adulter ave:
Quæque, super pontum simulato vecta juvenco,
  Virgineâ tenuit cornua vara manu.
Nos quoque per totum pariter cantabimur orbem:
  Junctaque semper erunt nomina nostra tuis.

lib. i. ad Mæcenatem demonstrat, quin etiam Propertius lib. iii. Elegia ad Bacchum, ei acceptum refert, quod Poëta feratur. Quod autem Bacchus præsit Poëtis, id esse causæ autumo, quod Poëtæ sicut bacchantes furere dicuntur: unde et *malesani* vocitantur. MARIUS.

13. *Et nulli cessura.*] *Nisi Dis.* de Ovidii moribus alibi dixi. CIOF.

15. *Non sum desertor Amoris.*] *Desultor* optime Puteaneus et Arondelianus, *Desertor* enim *amoris* est, qui non amat, *desultor*, qui amat inconstanter, nunc hanc nunc illam secutus. HEINS.

18. *Teque dolente mori.*] Codex Regius, *te moriente mori*, argute. Scripserat puto Noster, *teque obeunte mori.* HEINSIUS. Nihil mutem; *te dolente*, scilicet, si desultor fiam, et aliam amem. nullam ergo dolendi materiem se levitate sua præbiturum amicæ pollicetur. BURM.

21. *Carmine nomen.*] Quemadmodum, inquit poëtarum carminibus celebres sunt Io, Leda, et Europa: ita et tu meo carmine celebraberis, eoque pacto ego ac tu immortalitatem consequemur.

24. *Virginea tenuit cornua falsa manu.*] *Cornua vara* Carrio in Emendationibus. quomodo Puteaneus et Neapolitanus ex nostris. Arondelianus, *vera.* duo alii, *curva.* Excerpta Douzæ, *pressa.* perperam. *Vara* cornua et *patula* eadem: Patulis *camura* opponebantur. Philargyrus ad Virg. iii. Georg. 55. *Camuri boves sunt, qui conversa introrsus habent cornua; quibus contrarii patuli, qui cornua diversa habent.* vid. Festum in *patulis* et *propatulo.* *πεταλεῖς* et *πέταλοι* Græcis iidem. consulatur Hesychius Noster. HEINSIUS. Douza *pressa* ideo volebat legi, quia *simulato* præcesserat, quod idem est quod hic *falsa.*

ELEGIA IV.

Vir tuus est epulas nobis aditurus easdem.
   Ultima cœna tuo sit, precor, illa viro.
Ergo ego dilectam tantum conviva puellam
   Adspiciam? tangi quem juvet, alter erit?
Alteriusque sinus apte subjecta fovebis?
   Injiciet collo, cum volet, ille manum?
Desine mirari, posito quod candida vino
   Atracis ambiguos traxit in arma viros.
Nec mihi silva domus, nec equo mea membra cohærent:
   Vix a te videor posse tenere manus.
Quæ tibi sint facienda tamen, cognosce: nec Euris
   Da mea, nec tepidis verba ferenda Notis.
Ante veni, quam vir. nec, quid, si veneris ante,
   Possit agi, video: sed tamen ante veni.
Cum premit ille torum, vultu comes ipsa modesto
   Ibis, ut adcumbas; clam mihi tange pedem.
Me specta, nutusque meos, vultumque loquacem:
   Excipe furtivas, et refer ipsa, notas.

1. *Epulas nobiscum aditurus easdem.*] *Nobis aditurus easdem* Puteaneus et Mentelianus; recte, ut jam monui ad Claudianum lib. ii. Laud. Stil. 30. qui pari Græcismo, *eadem sorori*, pro, eadem quæ soror, dixit. Heinsius. Pari modo et apud Atticos: Ταυτὸν τῷδε ἐστί. Aristoph. Plut. Act. ii. Sc. i. ver. 1. Ὦ πολλὰ δὴ τῷ δεσπότῃ ταυτὸν θύμον φάγοντες. Burm. Ubi vid. Brunck.

5. *Apte subjecta fovebis.*] Sic meliores constanter. Alii magno numero, *sinu dextram subjecta.* quæ mihi præ ceteris placet. sensus est, et subjecta, sinu tuo fovebis alterius dextram. Ulcus opinor subesse. Heins. Ego vulgatam recte se habere arbitror. Burm.

8. *Atracis.*] Hippodame Atracis fluvii filia, quæ Pirithoo Ixionis ex Deidamia filio nupsit. vide Metam. lib. 12. Est autem hic Atracis patronymicum, ut Tyndaris.

17. *Vultumque loquacem.*] Malim legere:

Me specta vultusque meos, nutusque
   loquaces.

Quantumvis invitis membranis. Heinsius. Nihil muto. *vultus* enim *loquax*, est qui ita formatur, ut sit pro voce. Art. Am. i. 574.

Sæpe tacens vocem verbaque vultus
   habet.

Et ita *oculos loquaces* Tibullum ii. vii. 25. dixisse Marius notavit. Burm.

Verba superciliis sine voce loquentia dicam:
  Verba leges digitis, verba notata mero.
Cum tibi succurrit Veneris lascivia nostræ;
  Purpureas tenero pollice tange genas.
Si quid erit, de me tacitâ quod mente queraris;
  Pendeat extremâ mollis ab aure manus:
Cum tibi, quæ faciam, mea lux, dicamve, placebunt;
  Versetur digitis annulus usque tuis.
Tange manu mensam, quo tangunt more precantes;
  Optabis merito cum mala multa viro.
Quod tibi miscuerit, sapias, bibat ipse, jubeto:
  Tu puerum leviter posce, quod ipsa velis.

19. *Verba superciliis sine voce loquentia dicam.*] *Ducam* opinor Nasonem scripsisse. HEINSIUS. Si *ducam* legendum est, explicanda vox est, pro scribam. ut enim alius manu *ducit* figuras literarum; ita ego superciliis ducam. sic *ducere notas, literas* de Epistolis exaratis. ego hic *ducam* præferrem, cum Heinsio, si ullus codex addiceret. sed suspectus est locus. quid enim sunt *verba loquentia*, vel *loquacia?* an verba loquuntur? quis ita loquitur? si *signa* liceret reponere salva res esset. forte tamen scripserit:

Verba superciliis, sine voce loquentibus, addam.

Vel *edam.* sic *supercilium loquens* in Epistola Paridis, ut mox vidimus. et ita passim alii. præterea mox sequitur *verba* proximo versu, ubi *verba teges* Puteaneus etiam, et tres alii. sed perperam. quæ enim verba ducebat vino per digitos in mensa, ea legeret amica ejus. sic i. Art. Am. 571.

Blanditiasque leves tenui perscribere vino.
Ut dominam in mensa se legat illa tuam. BURM.

24. *Pendeat extrema.*] Ab extrema parte infimæ auriculæ: huc refer illa Pliniana lib. xi. cap. 45. *Est post aurem æque dextram Nemesios locus, quo referimus tactum ore proximum a minimo digitum, veniam sermonis a Diis ibi recondentes.* DOUZA.

27. *Tange manu mensam.*] Seneca Controvers. lib. ix. *In convivio constitit catenatus qui cum languentes Prætoris oculos aspexit, existimans ipsum Prætoris beneficio dimitti, gratias isti agere, et utrisque manibus mensam tenens, Di, inquit, immortales tibi parem gratiam referant.* sic et aram tangebant precantes. Turnus apud Maron. Æneid. xii. 201.

Tango aras: medios ignes ac numina testor.

De quo ritu complura erudite observat Macrob. Saturn. iii. cap. iii. mensa enim epulantibus pro ara fuit. hinc et vina in mensam libabantur. de quo ritu idem Macrob. lib. iii. cap. xi. sequenti versu lege, *Optaris*, cum uno Vaticano. HEINSIUS. Senecæ locum Douza quoque codici suo adscripserat.

29. *Sapias.*] Pro *si sapias.* BURM.

Quæ tu reddideris, ego primus pocula sumam:
Et qua tu biberis, hac ego parte bibam.
Si tibi forte dabit, quos prægustaverit ipse,
Rejice libatos illius ore cibos.
Nec premat impositis sinito tua colla lacertis:
Mite nec in rigido pectore pone caput.
Nec sinus admittat digitos, habilesve papillæ.
Oscula præcipue nulla dedisse velis.
Oscula si dederis, fiam manifestus amator:
Et dicam, Mea sunt: injiciamque manus.
Hæc tamen adspiciam: sed quæ bene pallia celant,
Illa mihi cæci caussa timoris erunt.
Nec femori committe femur, nec crure cohære:
Nec tenerum duro cum pede junge pedem.
Multa miser timeo, quia feci multa proterve:
Exemplique metu torqueor ipse mei.
Sæpe mihi, dominæque meæ properata voluptas
Veste sub injectâ dulce peregit opus.
Hoc tu non facies: sed ne fecisse puteris,
Conscia de gremio pallia deme tuo.
Vir bibat usque roga: precibus tamen oscula desint;
Dumque bibit, furtim (si potes) adde merum.
Si bene compositus somno vinoque jacebit;
Consilium nobis resque locusque dabunt.

41. *Sed quæ bene pallia celant, Illa mihi cæci causa timoris erant.*] *Cæci timoris*, inquit Commentator, id est, præcipitis et maximi: quod ego nunquam legi. Ego vero *Cæcum timorem* accipio, pro occulto et latente: perinde ut dicimus, *Cæcum vulnus*, et similia. MICYLLUS. Unus Moreti, *Seri timoris*. Douzæ, *Magni timoris*.

48. *Sub injecta.*] Douza adscripserat illa Luciani ex Amoribus: *Ἐρωτικὸς γὰρ ἦν, εἴτις πὲρ, καὶ ὁ Σωκράτης, καὶ ὑπὸ μίαν Ἀλκιβιάδης αὐτῷ χλάνιδα κλιθεὶς οὐκ ἄπληξ ἀνέστη.* et hoc est *vesticontubernium* Petronio, cap. xi.

53. *Si bene compositus.*] Marius exponit, *bene et laute curatus.* rectius vino et somno *sepultus*. ut alibi Noster, Virgilius et alii loquuntur. *componere* enim funereum esse verbum jam pueri norunt. BURM.

Cum surges abitura domum, surgemus et omnes;
In medium turbæ fac memor agmen eas.
Agmine me invenies, aut invenieris, in illo.
Quidquid ibi poteris tangere, tange mei.
Me miserum! paucas monui quod prosit in horas.
Separor a dominâ, nocte jubente, meâ.
Nocte vir includet: lacrimis ego mœstus obortis,
Quâ licet, ad sævas prosequar usque fores.
Oscula jam sumet: jam non tantum oscula sumet.
Quod mihi das furtim, jure coacta dabis.
Verum invita dato (potes hoc) similisque coactæ:
Blanditiæ taceant; sitque maligna Venus.
Si mea vota valent, illum quoque nil juvet, opto:
Sin minus; at certe te juvet inde nihil.
Sed quæcumque tamen noctem fortuna sequatur;
Cras mihi constanti voce dedisse nega.

ELEGIA V.

Æstus erat, mediamque dies exegerat horam:
Adposui medio membra levanda toro.

62. *Persequar usque fores.*] *Prosequar* meliores. pro, *ad sævas fores* Arondelianus, *ad versas*. Forte, *ad surdas*. de quo paulo post Eleg. vi. vers. 62. Heinsius. *Prosequar* recte: honoris enim et officii verbum est, cum comitamur aliquem. vid. Epist. xvii. 245. et alibi.

1 *Festus.*] Sic quidem in exemplaribus hucusque lectum est: sed non nisi ineptus sensus elici potest. Legendum igitur, ut in correctiori codice vidimus, *Æstus*, ut et æstatis tempus, quo propter noctes breviores solent homines meridiari, ostenderet. et mirum non sit, quod Corinna in tunica vel tenuissima processerit. Sic Naso in Transmutationibus:

Æstus erat, mediusque dies geminaverat æstum. Marius.

2. *Medio toro.*] Offendere certe delicatas aures debet hæc vox, bis eodem disticho repetita. In duobus Vaticanis erat, *Imposui tenero toro*. quod non placet. *medii* tamen *tori* frequentissime mentio, ubi de secubantibus agitur. sed quia hæc vox sæpe cum *viduo*, vel *vacuo* commutatur, ut supr. ad Ep. xix. 158. vidimus, alterutra hic recipi

Pars adaperta fuit, pars altera clausa fenestræ:
Quale fere silvæ lumen habere solent.
Qualia sublucent, fugiente, crepuscula, Phœbo:
Aut ubi nox abiit, nec tamen orta dies.
Illa verecundis lux est præbenda puellis,
Quâ timidus latebras speret habere pudor.
Ecce Corinna venit, tunicâ velata recinctâ,
Candida dividuâ colla tegente comâ:
Qualiter in thalamos formosa Semiramis isse
Dicitur, et multis Laïs amata viris.
Deripui tunicam; nec multum rara nocebat:
Pugnabat tunicâ sed tamen illa tegi.

posset. vid. et Epist. xvi. 315. utrumque conjungit infr. ii. Amor. x. 17. et 18. nihil tamen contra codices audemus movere, nisi quod *imposui* magis placet, quam *apposui*. ut Stat. ii. Silv. i. 63. *Impositus stratis*. Petron. 28. *Lecticæ imponitur*. Francius volebat, *composui*. sed negligenter se abjecisse credendum est, hoc vero verbum curam et diligentiam notat. Burm.

Levanda.] Recreanda et reficienda. Ciofanus. In uno Moreti, *novanda*. vide ad Epist. iv. 90. *Lavanda* Gryphii editio vitiose.

4. *Quale fere silvæ lumen habere solent. Qualia sublucent, fugiente, crepuscula, Phœbo: Aut ubi nox abiit, nec tamen orta dies.*] Hæc est, quam in Ovidio esse ait Quinctilianus, *lascivia*. Satis erat dicere, *Qualia sublucent*, &c. vel unum ex iis exemplis ponere. Ciof.

10. *Dividua.*] Id est sparsa, non in nodum collecta, sed in utrumque humerum rejecta. videtur imitatus Noster Apollonium Rhod. lib. iii. 45.

Λευκοῖσι δ' ἑκάτερθε κόμας ἐπιειμένη ὤμοις.

Francius notaverat in margine, *diffusa*. sed hoc magis aptum vaticinantibus. Burm.

11. *Semiramis.*] Hæc Nini regis Assyriorum fuit uxor, et animi magnitudine, et corporis pulchritudine excellens.

12. *Lais.*] Hæc ut Plutarch. in Niciæ vita scribit, ex Sicilia in Peloponnesum inter alios captivos parva adhuc puella est abducta. Dicta postea *Corinthia*, quod Corinthi habitaret.

Amata viris.] In quodam codice legimus, *Laïs amata procis*. Utraque lectio probatur. Marius. *Viris* est in veteribus. Ciofanus. Repone *viris* ex fide optimorum codicum. *Proci* enim secundum Festum, *qui poscunt aliquam in matrimonium*. hinc Penelopes *proci*: de quibus abunde dictum ad secundam Sabini Epistolam. nusquam *procorum* mentio apud Latinos scriptores occurrit, quoties de meretricibus agitur, *virorum* passim. Noster et in Arte Amatoria *proci* vocabulo anxie abstinuit. Heins.

13. *Nec multum rara nocebat.*] Hoc est, tunica rara tenuique filo ex Corinnæ omni corpore non multum subducebat oculis meis. tenuissimam vult fuisse vestem, tunicam Bombycinam, nempe Coam aut Sericam. ut apud Horat. *Cois tibi pene videre est, ut nudam.* Heins.

Cumque ita pugnaret, tamquam quæ vincere nollet,
Victa est non ægre proditione suâ.
Ut stetit ante oculos, posito velamine, nostros,
In toto nusquam corpore menda fuit.
Quos humeros, quales vidi tetigique lacertos!
Forma papillarum quam fuit apta premi!
Quam castigato planus sub pectore venter!
Quantum et quale latus! quam juvenile femur!
Singula quid referam? nil non laudabile vidi:
Et nudam pressi corpus ad usque meum.
Cetera quis nescit? lassi requievimus ambo.
Proveniant medii sic mihi sæpe dies.

ELEGIA VI.

Janitor (indignum) durâ religate catenâ,
Difficilem moto cardine pande forem.
Quod precor, exiguum est. aditu fac janua parvo
Obliquum capiat semiadaperta latus.
Longus Amor tales corpus tenuavit in usus:
Aptaque subducto pondere membra dedit.
Ille per excubias custodum leniter ire
Monstrat: inoffensos dirigit ille pedes.

21. *Quam castigato.*] Emendato, correcto, nimirum, per fasciam; qua tumescentes et exuberantes nimis papillas solebant coercere, ut in lib. iii. Art. Amat. 274. instruit puellas. Et Achilles Tatius lib. i. pag. 8. De Europa, Βαθὺς ὀμφαλὸς, γαστὴρ τεταμένη, λαπάρα στενή. ubi plurima huic Corinnæ Ovidianæ non dissimilia. vid. Jun. de Pictura. lib. iii. cap. ix. sect. 28. Burm.

El. vi.—1. *Religate.*] Hoc verbum pro simplici *ligare* vel *alligari*, poni solere docuit Torrent. ad Horat. i. Od. 32.

2. *Difficilem.*] Contra *facilis cardo* Juven. Sat. iv. 43. et Horat. i. Od. 25.

Quæ prius multum faciles movebat
Cardines. Heins.

At quondam noctem simulacraque vana timebam:
Mirabar, tenebris si quis iturus erat.
Risit, ut audirem, tenerâ cum Matre Cupido:
Et leviter, Fies tu quoque fortis, ait.
Nec mora, venit amor. non umbras nocte volantes,
Non timeo strictas in mea fata manus.
Te nimium lentum timeo; tibi blandior uni:
Tu, me quo possis perdere, fulmen habes.
Adspice, (et, ut videas, immitia claustra relaxa,)
Uda sit ut lacrimis janua facta meis.
Certe ego, cum positâ stares ad verbera veste,
Ad dominam pro te verba tremente tuli.
Ergo, quæ valuit pro te quoque gratia quondam,
(Heu facinus!) pro me nunc valet illa parum?
Redde vicem meritis; grato licet esse. Quod optas,
Tempora noctis eunt: excute poste seram.
Excute: sic umquam longâ relevere catenâ,
Nec tibi perpetuo serva bibatur aqua.

11. *Risit, ut audivit tenera cum matre Cupido, Et leviter, fies tu quoque fortis, ait.*] Longe melior est lectio, *risit ut audirem*, ut sensus sit, tam effusum fuisse Cupidinis et Veneris risum et cachinnum, ut ejus sonus audiretur a Poëta. Marius.

17. *Aspice, ut invideas.*] *Adspice, et ut videas, immitia claustra relaxa,* ex optimis libris est reponendum. quomodo jam in Observationibus lib. ii. cap. xxi. emendavit noster Gronovius. Theod. Marcilius ad Persii Sat. v. male, *ut invideas*, interpretatur, *inspectes*. Heins.

Immitia claustra.] Elegantia sua non caret Regii codicis lectio, *non mitia.* ut sit μείωσις. Burm.

23. *Redde vicem meritis, grato licet esse quod optas.*] Distinguo hoc modo:

Redde vicem meritis; grato licet esse. Quod optas,
Tempora noctis eunt.

Labitur tempus noctis (quod tu, qui impatienter tam longam toleras, optas, ut a vigilia libereris) ego vero frustra tempus tero. *Quod opto* an prætulerit Marius, ut Heinsius ait, non certo constat ex ejus notis. saltem male explicuit. Burm.

25. *Religêre.*] Atqui jam religatus erat. primæ editiones et codices nonnulli ex scriptis, *sic unquam dura relevere catena.* Puteaneus cum Regio, et Jureti Excerptis, et Arondeliano, *sic unquam longâ relevere catenâ. Longa* etiam est in Excerptis Scaligeri et Puteani. et ita Dom. Marius in codice, quem ille horrendæ vetustatis vocat, repperit. hoc est quæ diu lon-

Ferreus orantem nequicquam, janitor, audis.
  Roboribus duris janua fulta riget.
Urbibus obsessis clausæ munimina portæ
  Prosint; in mediâ pace quid arma times?
Quid facias hosti, qui sic excludis amantem?
  Tempora noctis eunt: excute poste seram.
Non ego militibus venio comitatus et armis.
  Solus eram, si non sævus adesset Amor.
Hunc ego, si cupiam, nusquam dimittere possim.
  Ante vel a membris dividar ipse meis.
Ergo Amor, et modicum circa mea tempora vinum
  Mecum est, et madidis lapsa corona comis.
Arma quis hæc timeat? quis non eat obvius illis?
  Tempora noctis eunt: excute poste seram.
Lentus es? an somnus (qui se male præbet amanti)
  Verba dat in ventos aure repulsa tuâ?
At (memini) primo, cum te celare solebam,
  Pervigil in mediæ sidera noctis eras.
Forsitan et tecum tua nunc requiescit amica.
  Heu melior quanto sors tua sorte meâ!
Dummodo sic, in me duræ transite catenæ.
  Tempora noctis eunt: excute poste seram.

gumque te ligavit. recte. vox *unquam* simili loquendi modo in antiquo Homonœæ Epitaphio legitur:

Parce, ita non unquam similem experiare dolorem,
Et faveant votis numina cuncta tuis. Heins.

De τῷ *unquam* vide ad Quinctil. xii. Instit. 2. Francius corrigebat, *sic olim*, vel, *tandem*. Burm.

38. *Mecum est.*] Ita Livius lib. iv. 32. *Secum triumphos, secum spolia, secum victoriam esse; cum hostibus scelus*, &c. et lib. xxx. 33. *Victoria est cum Pœnis.*

41. *Lentus es? an somnus, qui te male præbet amanti.*] Scribe, *qui se male præbet amanti.* atque ita codex Douzæ, et Sarravii, et Arondelianus. Somnus enim amantes rarus respicit. Heinsius. Recte addit *male*, quia teste Servio ad Virg. x. Æneid. 321. *præberi* bona dicuntur. Burm.

43. *Cum me celare volebam.*] Legitur etiam, *te.* optime quidem. dicimus enim, *celo te meum furtum*, id est tibi abscondo. Marius. *Me celare volebam* septem codices. quatuor, *te solebam.* recte. Canace, *id te celavimus unum.* Heins.

Fallimur? an verso sonuerunt cardine postes?
Raucaque concussæ signa dedere fores?
Fallimur: impulsa est animoso janua vento.
Hei mihi, quam longe spem tulit aura meam!
Si satis es raptæ, Borea, memor Orithyiæ,
Huc ades, et surdas flamine tunde fores.
Urbe silent totâ: vitreoque madentia rore
Tempora noctis eunt: excute poste seram.
Aut ego jam ferroque ignique paratior ipse,
Quem face sustineo, tecta superba petam.
Nox, et Amor, vinumque, nihil moderabile suadent:
Illa pudore vacat: Liber Amorque metu.
Omnia consumsi: nec te precibusve minisve
Movimus, ô foribus surdior ipse tuis.
Non te formosæ decuit servare puellæ
Limina: sollicito carcere dignus eras.
Jamque pruinosos molitur Lucifer axes;
Inque suum miseros excitat ales opus.

51. *Animoso.*] *Adverso* Neapolitanus. quod apte quidem explicari potest, et olim etiam Heinsio placuisse ex adscriptis oræ libri ejus notis video. sed longe elegantius est τὸ *animoso*. et recte a Mario explicatum, quia venti *animæ* vocantur. Burm.

53. *Raptæ Orithyiæ.*] Vide quæ notavi in observationibus sub finem lib. vi. Metam. Ciof.

58. *Quam face sustineo.*] *Quem* Puteaneus et Arondelianus cum editionibus nonnullis. ignem subintellige, pro *paratior* primæ editiones et Scriverianus, *potentior*. Mihi distichon hoc suspectum est. Heinsius. Non tam facile damnare audeo, quicumque negotium facessunt versus. sed ex vestigiis codicum legerem:

Aut ego jam ferroque ignique paratior, istâ
Quam face sustineo, tecta superba petam.

Hoc sensu; ego jam instructior (*parati* enim proprie milites armati. ut ad Petron. cap. cxxx. vidimus) ista face, quam sustineo, petam tecta. Si *quem* retinendum est, legerem cum Francio:

—— *Ignique paratior illo*, vel, *ipso*,
Quem face sustineo.

Ut ignem a face distinguat, gerit enim ignem in face, ut alii in lucerna. Burm.

59. *Nox, et Amor, vinumque.*] Ita Livius lib. xxxix. 8. de initiis turpibus Bacchi: *Quum vinum animos et nox, et mixti feminis mares, ætatis teneræ majoribus discrimen omne pudoris exstinxissent.* Ter. Hecyr. i. ii. 61. *Persuasit nox, amor, vinum, adolescentia.* vid. hic Marium.

66. *Ales.*] Gallus. Ciof.

At tu, non lætis detracta corona capillis,
Dura super totâ limina nocte jace.
Tu dominæ, cum te projectam mane videbit,
Temporis absumti tam male testis eris.
Qualiscumque vale, sentique abeuntis amorem,
Lente, nec admisso turpis amante: vale.
Vos quoque crudeles rigido cum limine postes,
Duraque conservæ ligna valete fores.

ELEGIA VII.

Adde manus in vincla meas, (meruere catenas)
Dum furor omnis abit, si quis amicus ades.
Nam furor in dominam temeraria brachia movit.
Flet mea vesanâ læsa puella manu.
Tunc ego vel caros potui violare parentes:
Sæva vel in sanctos verbera ferre Deos.
Quid? non et clipei dominus septemplicis Ajax
Stravit deprensos lata per arva greges?

71. *Sentique abeuntis amorem.*] Tu lente, qui me non audis, vicissim senti gravem amorem, quo ego abiens torqueor, nec potiaris, etiamsi maxime cupias, etiam tua, quam amas. hæc est vis vocis *sentire.* ut notavimus jam supr. Epist. ix. 46. et xii. 17. Burm.

74. *Duraque consertæ.*] Scripti plerique, ac in his meliores, *conservæ.* Janitoris conservas vocat fores. sic ille apud Plautum Asinaria. Act. ii. Sc. iii.

Nolo ego fores conservas meas a te verberarier.

---

2. *Si quis amicus ades.*] Sic omnino legendum (ut in correctiore codice vidimus) non *adest.* est autem ordo: O tu amice, si quis amicus ades, dum omnis furor abest, adde manus, &c. Marius.

5. *Potui violare.*] Neapolitanus, *laniare.* forte recte: versu enim ii. *violare* repetitur, ubi eadem varietas. hic vero malim *jugulare.* Heinsius. *Penates* etiam Puteaneus. sed nihil muta. gravissimum enim hoc crimen, de quo vid. Abraham. ad Ciceron. in Vatin. cap. 5. deinde, *in sanctos arma movere Deos,* Farnesianus et Douzæ codex. rectius vero *parentes,* quam *penates* (qui et ipsi Dii sunt,) Diis quasi opponuntur. Burm.

Et, vindex in matre patris, malus ultor Orestes,
Ausus in arcanas poscere tela Deas?
Ergo ego digestos potui laniare capillos:
Nec dominam motæ dedecuere comæ?
Sic formosa fuit; talem Schœneïda dicunt
Mænalias arcu sollicitasse feras.
Talis perjuri promissaque velaque Thesei
Flevit præcipites Cressa tulisse Notos.
Sic, nisi vittatis quod erat, Cassandra, capillis,
Procubuit templo, casta Minerva, tuo.
Quis mihi non, Demens, quis non mihi, Barbare, dixit?
Ipsa nihil. pavido lingua retenta metu.
Sed taciti fecere tamen convicia vultus;
Egit me lacrimis, ore silente, reum.
Ante meos humeris vellem cecidisse lacertos:
Utilius potui parte carere mei.
In mea vesanas habui dispendia vires:
Et valui pœnam fortis in ipse meam.
Quid mihi vobiscum, cædis scelerumque ministræ?
Debita sacrilegæ vincla subite manus.
An, si pulsassem minimum de plebe Quiritem,
Plecterer? in dominam jus mihi majus erit?

13. *Talem Schœneïda dicam Mænalias arcu sollicitasse feras.*] Duæ apud Poëtas memorantur Atalantæ: altera venatrix Arcadica, Jasii filia: altera Bœotica, cursu celebris, filia Schœnei. Sed Ovidius hoc loco confudit nomina, id quod et alibi facit: eamque, quæ Jasii fuit, *Schœneïda* vocat. De his prolixe annotavimus libro octavo Metamorphoseos, in venatione apri Calydonii: inde petas, si quid amplius voles. Micyllus. Vide Heins. ad Sabini Epist. i. 33.

17. *Sic, nisi vittatis quod erat, Cassandra, capillis, Procubuit templo casta Minerva tuo.*] Hac de re præter alios Q. Smyrnæus lib. xiv. derelictorum ab Homero. Cıof.

26. *Et potui pœnam fortis inire meam.*] Francius volebat, *In pœnam valui fortis et ipse meam.* elegans vero usus verbi *valere.* ita *valere in scelus* Propert. iv. vii. 68. Burm.

29. *Minimum de plebe Quiritem.*] Regius et Neapolitanus, *minima de plebe.* quod non spernendum, nisi quis malit, *media de plebe.* ita Fast. v. 20.

Pessima Tydides scelerum monumenta reliquit.
Ille Deam primus perculit; alter ego.
Sed minus ille nocens. mihi, quam profitebar amari,
Læsa est: Tydides sævus in hoste fuit.
I nunc, magnificos victor molire triumphos;
Cinge comam lauro; votaque redde Jovi:
Quæque tuos currus, comitatus, turba sequetur,
Clamet; Iö forti victa puella viro!
Ante eat effuso tristis captiva capillo,
Si sinerent læsæ, candida tota, genæ.
Aptius impressis erat os livere labellis,
Et collo blandi dentis habere notam.
Denique, si tumidi ritu torrentis agebar,
Cæcaque me prædam fecerat ira suam;
Nonne satis fuerat timidæ inclamasse puellæ,
Nec nimium rigidas intonuisse minas?

Ausus de media plebe sedere Deus. Heins.

Verosimilis Heinsii conjectura, et ita citavit hunc versum olim Salmasius observ. ad Jus Atticum pag. 267. ubi de hac injuria, quæ per verbera infertur, et Græcis *αἰκία* dicitur, disputat. ego tamen nihil temere contra codices mutandum esse puto, *de plebe* enim simpliciter etiam notat abjectam sortem. *Pulsassem* vero proprio in hac re verbo dixit, ut Trist. v. Eleg. vi. 27.

Nec procul a vero est, quod vel pulsârit amicum.

Et nota illa Virgilii vi. Æneid. 609.

Pulsatusve parens.

Colerus vero Parerg. cap. xxxvi. docuit differentiam inter *pulsare* et *verberare*, quorum hoc gravius, et ideo a Cicerone, *Civem verberare scelus* esse dicit; quod Noster ad pulsationem per exaggerationem transtulit, cum manus suas, *cædis scelerisque ministras* vocet. ubi *cædes* de verberatione tantum sumi videtur. vide quæ notamus ad Phædr. lib. ii. Fab. 8. et ita passim *cædi* et *verberari* virgis dicebantur. vid. Cicer. v. Verr. 62. Burm.

46. *Intonuisse minas.*] *Manus* Neapolitanus et Junianus. sed nihil mutandum; nisi reponi placeret:

Nec minimum, rigidas intonuisse minas.

Nec minimum, subintellige *fuerat.* Silius libro v. 275.

Intonuere minæ, violentaque lumina flammis
Exarsere novis. Heins.

Ad Claudiani Cons. Olybrii v. 208. tanquam ex Ovidio laudat vir illustris, *tonare minas.* sed *intonare* hic legitur: et recte, licet rarior sit locutio, *Intonare minas*, pro minaciter et violenter increpare, dici puto; sed *intonare manus* minime Latine dici posse censeo. sic et *minas* et *manus* confuderunt li-

Aut tunicam summâ deducere turpiter orâ
  Ad mediam? mediæ zona tulisset opem.
At nunc sustinui, raptis a fronte capillis,
  Ferreus ingenuas ungue notare genas.
Adstitit illa amens, albo, et sine sanguine, vultu,
  Cæduntur Pariis qualia saxa jugis.
Exanimes artus, et membra trementia vidi;
  Ut cum populeas ventilat aura comas:
Ut leni Zephyro gracilis vibratur arundo:
  Summave cum tepido stringitur unda Noto.
Suspensæque diu lacrimæ fluxere per ora,
  Qualiter abjecta de nive manat aqua.
Tunc ego me primum cœpi sentire nocentem.
  Sanguis erant lacrimæ, quas dabat illa, meus.
Ter tamen ante pedes volui procumbere supplex:
  Ter formidatas repulit illa manus.

brarii apud Claudian. ii. in Rufin. 146.

—— *Liceat Stilichonis iniquas*
Evitare minas.

Ut recte Heinsius ex MSS. BURM.

51. *Albo sine sanguine vultu.*] *Albo et sine sanguine* scripti potiores. pro *amens*, multi veteres, *gemens*. duo, *demens*. Lego, *tremens pavido et sine sanguine vultu*. Met. vi. 527. de Philomela:

Illa tremit, velut agna pavens, quæ saucia cani
Ore excussa lupi.

Nisi pro *amens* malis *pavens*. HEINSIUS. *Albo* non movendum, quod comparatio a marmore desumta requirit. candidissimum enim Parium. neque etiam *amens* est movendum, id est *non sua*, ut alibi dicit, cum mens abiisset et consternata esset impetu meo. BURM.

56. *Summave cum.*] Elegantius unus Moreti et Douzæ codex, *summa velut tepido*; si separatim legas, *summa vel ut tepido*.

58. *Objecta de nive.*] Id est soli opposità. Sic in Epistola Laodamiæ 52.

More nivis lachrymæ sole madentis eunt.

In quodam tamen exemplari legitur *Abjecta*. quod, si placet, exponas, a Jove in terras projecta: ne, si ab hominibus abjectam huc et illuc, dissipatamque exponas, offendatur puella, cujus faciei nix comparatur. et ita edidit Bersmannus. MARIUS. *Abducta* est in uno Moreti. sed *abjecta* est ex cœlo in terram *jacta*. ut *jactæ nives* Nostro lib. ii. Art. Am. 232. BURM.

62. *Reppulit.*] Rejecit. Notandum autem est, *Repulit* natura corripere primam syllabam: ut Medea Ovidiana in Epistola ad Jasonem vers. 165.

Quæque feros repuli doctis medicatibus ignes.

Sed quandoque, immo sæpius, Poëtæ

At tu ne dubita, (minuet vindicta dolorem)
Protinus in vultus unguibus ire meos.
Nec nostris oculis, nec nostris parce capillis.
Quamlibet infirmas adjuvet ira manus.
Neve mei sceleris tam tristia signa supersint,
Pone recompositas in statione comas.

ELEGIA VIII.

Est quædam: (quicumque volet cognoscere lenam,
Audiat) est quædam, nomine Dipsas, anus.
Ex re nomen habet. nigri non illa parentem
Memnonis in roseis sobria vidit equis.
Illa magas artes, Ææaque carmina novit,
Inque caput rapidas arte recurvat aquas.

addunt alterum *p*, et positione longam faciunt. Valer. Flaccus libro tertio vers. 228.

Eumenidum canis et sparsæ juba reppulit hydræ.

Idem fit etiam in præterito *retuli*, et *reperi*. Marius. Ita olim persuasum Grammaticis, (vid. ii. Art. 719.) sed nunc sine metu reprehensionis talia audemus simplici *p* edere, syllaba illa enim, *re* utrumque modum recipit, etiam non duplicata consonante. ita *recidi*, non *reccidi*. Burm.

63. *Minuet.*] *Minuit* Excerpta Douzæ et Regius. ut sit gnome. Francof. *Minuit vindicta furorem.* alii, *minuat.*

66. *Qua libet infirmas adjuvat ira manus.*] Lib. veter. *Quamlibet*, id est, quamvis. sic de Hecuba lib. xiii. Metamorphos.

——— *Facit ira potentem.*

Et Euripides:

Αὐτὸς δ᾽ ἐπ᾽ ἐχθροὺς θυμὸς ὁπλίσει χέρα.

Virg. vii. Æneid.

—— *Quod cuique repertum*
Rimanti telum ira facit. Heins.

Vide similem huic Elegiam Propert. lib. iv. 4. Bersm.

2. *Dipsas.*] Quod Serpentis genus a Luciano in Dipsadibus satis descriptum. adde Lucan. ix. vers. 610. Eadem ratione *Meroën* anum ebriosam, dictam lepide argutatur Auson. Epigr. xx. Burm.

5. *Illa magas artes, Ææaque carmina novit.*] Αἶα, inquit Stephanus, Πόλις Κόλχων, θαλάσσης ἀπέχουσα στάδια τριακόσια, ἣν περιῤῥέουσι ποταμοὶ, ἵππος καὶ κυάνεος, ποιοῦντες αὐτὴν χεῤῥόνησον, &c. Quare *Ææa carmina*, non solum Circes, quæ et

Scit bene quid gramen, quid torto concita rhombo
 Licia, quid valeat virus amantis equæ.
Cum voluit, toto glomerantur nubila cœlo.
 Cum voluit, puro fulget in orbe dies.
Sanguine (si qua fides) stillantia sidera vidi:
 Purpureus Lunæ sanguine vultus erat.
Hanc ego nocturnas vivam volitare per umbras
 Suspicor, et pluma corpus anile tegi.
Suspicor; et fama est. oculis quoque pupula du-
 Fulminat, et gemino lumen ab orbe venit. [plex
Evocat antiquis proavos atavosque sepulcris:
 Et solidam longo carmine findit humum.
Hæc sibi proposuit thalamos temerare pudicos:
 Nec tamen eloquio lingua nocente caret.
Fors me sermoni testem dedit. illa monebat
 Talia; me duplices occuluere fores:

ipsa ex Colchis profecta, in Italiam venit: sed et Medeæ incantationes hoc loco accipi possunt. Micyl.

7. *Rhombo.*] In MSS. Glaserii et octo aliis erat, *plumbo*; cujus etiam usus in magicis. vid. ii. Fast. 575. ubi similis varietas et ibi Neapolin. sed de *Rhombo* Martial. ix. 29. Heins.

13. *Hanc ego nocturnas visam volitare per umbras Suspicor.*] Opinor *suetam* scribendum. mutari autem hujusmodi veneficæ in Striges credebantur. id Noster hoc loco innuit. Heinsius. Nemo, qui strigas esse sibi persuadebat, non eas versas esse credebat, sed plerique existimabant esse umbras mortuarum sagarum vel maleficarum. sed hanc etiam vivam strigem carminibus suis fieri posse, nunc innuit. quare *vivam* retinui; hoc enim difficilius librario in mentem venire potuit, quam *versam*, ut vulgus omne credebat. talis fuit illa Milonis uxor apud Apulej. lib. ii. quæ *se nocte in avem plumabat*. Burm.

15. *Pupula duplex.*] Vid. Gell. ix. 4. et Plin. vii. ii. Elmenh. ad Arnob. pag. 63. Ptole. Heph. lib. v. de Candaules uxore, cui erat duplex pupula. et ita forte Fabula lib. vii. Metam. 365. de Telchinibus intelligenda. Heinsius. *Pupulam* pro *pupilla* dici docuit Salmas. ad Capitol. Pertin. cap. xiv.

18. *Longo.*] *Primo* est in Palatino. recte forte, id est simul ac cantare incipit. nisi *privo* reponendum, id est, sibi proprio. de quo ad ix. Met. 20. et i. Fast. 113. Burm.

22. *Duplices fores.*] Quæ duplici tabula constabant, dupliciterque aperiebantur. Græcis pari modo δικλίδες. Heins.

Occuluere.] *Detinuere* Mentelianus. an *distinuere*, separarunt ab illis.

Scis here te, mea lux, juveni placuisse beato.
  Hæsit, et in vultu constitit usque tuo.
Et cui non placeas? nulli tua forma secunda est.
  Me miseram! dignus corpore cultus abest.
Tam felix esses, quam formosissima, vellem.
  Non ego, te factâ divite, pauper ero.
Stella tibi oppositi nocuit contraria Martis.
  Mars abiit: signo nunc Venus apta suo.
Prosit ut adveniens, en adspice. dives amator
  Te cupit, et curæ, quid tibi desit, habet.
Est etiam facies, quæ se tibi comparet, illi:
  Si te non emtam vellet, emendus erat.
(Erubuit,) decet alba quidem pudor ora: sed iste,
  Si simules, prodest: verus obesse solet.

23. *Hera.*] O domina. *Heram* appellat ipsam puellam, ut ei blandiatur, ac benevolentiam captet. Sic etiam incipit Elegia ad Demophoontem apud Propertium libro secundo:

Scis here mî multas pariter placuisse puellas.

In quodam tamen manuscripto exemplari scriptum legi, *here* per *e*, non per *a*, quæ lectio mihi non displicet, ut *κατὰ τὸ σιωπώμενον* intelligamus, pridie quam ad tentandam puellam accessisset læna hæc, eam visam fuisse a quodam Juvene, qui statim illius amore correptus sit, pro quo nunc hæc verba faciat Dipsas. *Here* igitur adverbium est, pro *heri:* ut staret versus. Marius. Recte quidem Marius. sed non opus est per *here*, pridie intelligere, cum et longius tempus notet, vid. Heins. Lect. Theocr. 6. et pro nuper utatur Tertul. Apol. 4. sic *cras* etiam de futuro, ut notum. Burm.

25. *Et cur non placeas?*] *Cui non placeas* unus Vatic. et Farnesianus. Heinsius. Recte. ita sæpe; pro omnibus places formà tuà. Burm.

30. *Venus apta tuo.*] Tuum signum Venus est; hoc est tibi propitium. alii codices *suo*. Heins.

31. *Prosit et adveniens.*] *Prosit* et Aldina prior, Gryphii et Bersmanni. sed male, et recte Marius rejecit, et *ut* explicuit pro *quemadmodum*. non male: aspice quo modo adveniens stella Veneris tibi prosit. sed forte Lenæ, formanti rudem meretriciæ artis puellam, convenientius foret legere:

Prosit ut adveniens, en accipe.

Id est disce nunc ex me, qua ratione tibi Venus favens, forma et ætate florenti, possit prodesse. dives cum sit amator et habeat, quod tibi desit, spoliandus erit, ut in sequentibus pluribus tradet; illud etiam *curæ quid tibi desit habet*, obscurum mihi videtur. nam si *habet curæ quid*, &c. conjungas, vereor ut satis Latine sit dictum, cum *habet* simpliciter, pro dives est, ut millies, positum videatur. vid. ad Phædr. lib. v. Fab. 4. quare forte melius legatur:

Et, cultæ quod tibi defit, habet.

Burm.

35. *Erubuit.*] Hoc recte a Poeta dici notat Marius. et ideo parenthesi

Cum bene dejectis gremium spectaris ocellis,
  Quantum quisque ferat, respiciendus erit:
Forsitan immundæ, Tatio regnante, Sabinæ
  Noluerint habiles pluribus esse viris.
Nunc Mars externis animos exercet in armis:
  At Venus Æneæ regnat in urbe sui.
Ludite formosæ. casta est, quam nemo rogavit:
  Aut, si rusticitas non vetat, ipsa rogat.
Has quoque, quas frontis rugas in vertice portas,
  Excute: de rugis crimina multa cadent.
Penelope juvenum vires tentabat in arcu:
  Qui latus argueret, corneus arcus erat.
Labitur occulte, fallitque volubilis ætas:
  Ut celer admissis labitur amnis aquis.
Æra nitent usu: vestis bona quærit haberi:
  Canescunt turpi tecta relicta situ.

includendum hoc vocabulum. nam *decet* iterum est lenæ sermo. præterea, *decet alba quidem rubor ora* Palatinus. non male, ut oppositio sit inter *alba* et *ruborem*. Burm.

37. *Spectabis.*] Si *spectaris* pro spectaveris per Syncopen subjunctive legeretur, mihi magis placeret: sed nullibi id reperimus. Marii prima expositio, tantum respiciendus erit unusquisque, quantum ferat, dubito an procedat. in Juniano est, *inspiciendus*. forte:

Cum bene dejectis gremio spectaris ocellis
Quantum quisque ferat; respiciendus erit.

Ut dicat, non prius blandis oculis esse amatorem respiciendum, nisi simulato pudore, oculosque gremio dejiciens, limis spectaveris, quantum tibi afferat, ne gratis ullus amoris gradus constet. Si vulgatam retinere placet, *gremium* pro sinu, in quo pecuniam ferebant, capiendum est. Burm.

39. *Forsitan incultæ Tatio regnante Sabinæ.*] *Immundæ* meliores libri. et recte. sic *mundus muliebris*. ἀκόσμους puellas dicit Lucretius lib. iv. 1155.

45. *Has quoque quas.*] Jure in hoc loco hæsit Naugerius. ulcus enim subesse certum est. Quid? si legamus;

Has quoque, quæ frontis rugas in vertice portant,
Excute. de rugis crimina multa cadent.

Hoc sensu. Examina quæso has tetricas et rugosa fronte matronas, quæ castitatem ficta severitate præ se ferunt, videbis ex illis ipsis rugis, sub quibus nunc latent, prodire crimina multa: *excutere* enim est examinare. recte etiam Micyllus *frontis rugas*, non *frontis vertice*, esse capiendum, notat, Burm.

51. *Vestis bona quærit haberi.*] *Quærit haberi*, non est id quod Com-

Forma, nisi admittas, nullo exercente senescit:
Nec satis effectûs unus et alter habent.
Certior e multis, nec tam invidiosa rapina est.
Plena venit canis de grege præda lupis.
Ecce, quid iste tuus præter nova carmina vates
Donat? amatoris millia multa leges.
Ipse Deus vatum, pallâ spectabilis aureâ,
Tractat inauratæ consona fila lyræ.
Qui dabit, ille tibi magno sit major Homero.
Crede mihi; res est ingeniosa, dare.
Nec tu, si quis erit capitis mercede redemtus,
Despice, gypsati crimen inane pedis.
Nec te decipiant veteres quinquatria ceræ.
Tolle tuos tecum, pauper amator, avos.

ment. autumat, quod bona vestis sit puellæ habenda: sed eodem pertinet, quo ceteræ similitudines. ut sit sensus: Quod nisi veste bona utaris, a tineis et mottis corrodetur: quemadmodum æs rubigine, domus situ pereunt; est enim hic *haberi* in usu esse, tractari, &c. Micyl.

54. *Nec satis effectus.*] Hoc est, pauci aliqui non sufficiunt ad hoc efficiendum, de quo modo dictum est. estque genitivi casus *effectus*, qui ab adverbio *satis* dependit. non accusativus, ut somniavit interpres. Micyl.

58. *Amatoris millia multa leges.*] Non capio sensum horum verborum. nam durum esset, *carminum* subintelligere, ut Marius facit. si liceret, vellem refingere:

Amatores millia multa ferant.

Quid quæso iste tuus vates donat præter carmina? sed quid inde tibi lucri? Amatores non ferant carmina, sed multa millia nummorum. Burm.

63. *Capitis mercede.*] Intelligit servum, qui suis nummis se in libertatem vindicavit, et Domino solvit tantum pretium, quanti valeret, si venditus fuisset. Burm.

64. *Gypsati.*] Venalium enim trans mare advectorum pedes creta notabant seu gypso. Plin. xxxv. 17, 18. Tibul. iii. El. 3. Juvenal. Sat. i. Bersman.

65. *Veteris quinquatria ceræ.*] Ita quidem in omnibus editionibus, quæ extant, legitur: ac sensus quidem planus est. Nec te, inquit, decipiant nobiles, qui veteres ceras, hoc est, majorum imagines ostentant et jactant, &c. Id enim hoc loco *Ceræ* significant. Ceterum quo pacto, aut unde verbum *Quinquatria* huc irrepserit, aut quid idem hoc loco significet, quæstio est. Nam alias *Quinquatria*, festa Minervæ dicuntur, quæ mense Martio per quinque dies celebrabantur. Ac sunt qui putent, ostentationem aliquam, aut pompam imaginum, in hoc festo fieri solitam fuisse: et ideo per Metalepsin, festi nomen, pro rebus, quæ in ipso celebrabantur, positum esse. Sed hæc auctoritate carent. Quod si mihi divinare liceat, legerim:

Quid? quia pulcher erit, poscet sine munere noc-
Quod det, amatorem flagitet ante suum. [tem?
Parcius exigito pretium, dum retia tendis,
Ne fugiant. captos legibus ure tuis.
Nec nocuit simulatus amor. sine credat amari:
Sed cave, ne gratis hic tibi constet amor.
Sæpe nega noctes. capitis modo finge dolorem:
Et modo quæ caussas præbeat, Isis erit.
Mox recipe; ut nullum patiendi colligat usum,
Neve relentescat sæpe repulsus amor.
Surda sit oranti tua janua, laxa ferenti.
Audiat exclusi verba receptus amans.
Et, quasi læsa prior, nonnumquam irascere læso.
Vanescat culpâ culpa repensa tuâ.

Nec te decipiant veteris quicquam atria ceræ.

Ut sit ordo: Nec te quicquam decipiant atria ceræ veteris, &c. Nam et sententia hoc modo plana redditur, et facilis transitus fuit ex *Quicquam et atria*, in *Quinquatria*, &c. Sed tamen suum cuique judicium relinquatur. Micyllus. Codex Douzæ, *veteris quinquennia ceræ*. id est, ut ille addit, *imagines cereæ*. mihi Heinsii conjectura maxime adhuc arridet, si pro *circum*, *circa* cum Scriverio legas, *veteres circa atria ceræ*. nam *circa* pro *circum* etiam obtinuisse videas. *veteres* autem *ceras* dixit, ut *æs vetustum* Claud. Cons. Olybr. 18. ex ære enim æque, atque ex cera fuisse has imagines docet ibi Barthius. *Circa* autem *atria*, pro in atriis, vel in maxime conspicua atrii parte. Burmannus. Omnia hæc frustra, et quasi de nihilo. *Quinquatria* enim est *porticus quinque ambulacrorum*. Glossæ Fausti Romani. Amar.

70. *Ne fugiant, captos legibus ure tuis.*] Videtur rescribendum:

Ne fugiat, captum legibus ure suis.

Superiora agunt de pulchro amatore: quo etiam hæc sunt referenda. Valer. Flaccus de Amyco iv. 753.

—— *Lege quod occidit ultus*
Ipse sua. Heins.

Cum constans sit lectio *tuis*, retinui. ure pro arbitrio tuo, legibus, quas ipsa dices rapacitati tuæ, ut leno apud Terent. Phorm. iii. 2. *Mea lege utar.* eadem est ratio in *jure tuo*, et *suo*. *Ignibus ure tuis*. duo Moreti et unus Palatinus. Burm.

74. *Isis erit.*] Hæc Inachi fluminis filia, a Jove in vaccam mutata est: tum in pristinam formam reversa, et dea facta, ab Ægyptiis colebatur: cujus sacra ad Romanos translata sunt, quibus solennibus Romanæ mulieres secubabant per plurimos dies, nec se viris admiscebant. *Isis erit, quæ causas præbeat.*] *Simulat se a matre arcessi ad rem divinam, abit.* Ter. Hecyr. i. 2. sic et Tibul. 4. lib. ad Junon.

Illa quidem ornandi causas tibi, Diva, relegat,
Est tamen occulte cui placuisse velit.

Sed numquam dederis spatiosum tempus in iram;
  Sæpe simultates ira morata facit.
Quin etiam discant oculi lacrimare coacti:
  Et faciant udas illa vel illa genas.
Nec, si quem falles, tu perjurare timeto.
  Commodat illusis numina surda Venus.
Servus, et ad partes sollers ancilla parentur;
  Qui doceant, apte quid tibi possit emi.
Et sibi pauca rogent: multi si pauca rogabunt,
  Postmodo de stipulâ grandis acervus erit.
Et soror, et mater, nutrix quoque carpat amantem.
  Fit cito per multas præda petita manus.
Cum te deficient poscendi munera caussæ,
  Natalem libo testificare tuum.
Ne securus amet, nullo rivale, caveto.
  Non bene, si tollas prœlia, durat amor.
Ille viri toto videat vestigia lecto;
  Factaque lascivis livida colla notis.
Munera præcipue videat, quæ miserit alter.
  Si tibi nil dederit, Sacra roganda via est.

84. *Et faciant udas ille vel ille genas.*] *Illa vel illa* septem codices. finge ex Zelotypià te plorare. Huc pertinet Elegia vii. lib. ii. Heinsius. *Faciam madidas* unus Moreti. Marius *ille vel ille* de amatore aliquo capit.

85. *Si quem fallas.*] *Falles* meliores. et pro *tu perjurare* forte, *huic*. Heinsius. *Perjurare* antique et Plautino modo pro *pejerare* dictum notavit Douza. vid. Lambin. ad Horat. ii. Sat. iii. 127.

87. *Servus et ad partes sollers ancilla parentur.*] *Ad partes*, pro, ad societatem, dixit: hoc est, qui tuas partes agant ac tueantur. Perinde ut dicimus: Cicero secutus est partes Pompeii, Curio partes Cæsaris, &c. Micyllus. Male. neque melius Marius, ut quidquid ab amatoribus extorserint, tecum partiantur. *ad partes sollers*, id est qui apte potest partes illas agere, ut Histrio sibi in scena datas partes docte et sollerter agit. Liv. iii. 10. *Fabulam compositam Volsci belli, Hernicos ad partes paratos.* et hoc sequentia suadent, *qui doceant*. Burm.

93. *Cum tibi deficient.*] *Te deficient* iidem recte. sic enim optimo illo sæculo loquebantur. Heins.

94. *Testificare tuum.*] *Testificare diem* Moreti et Neapolit. forte recte. vide hic Marium.

100. *Sacra via.*] Hujus viæ mentio est apud Horatium lib. i. et Satyr. ix. apud Ciceronem ad Attic. Ep. et

Cum multa abstuleris, ut non tamen omnia donet;
Quod numquam reddas, commodet usque roga.
Lingua juvet, mentemque tegat. blandire, noce-
Impia sub dulci melle venena latent. [que.
Hæc si præstiteris, usu mihi cognita longo;
Nec tulerint voces ventus et aura meas;
Sæpe mihi dices vivæ bene: sæpe rogabis,
Ut mea defunctæ molliter ossa cubent.
Vox erat in cursu, cum me mea prodidit umbra.
At nostræ vix se continuere manus,
Quin albam raramque comam, lacrimosaque vino
Lumina, rugosas distraherentque genas.
Dî tibi dent nullosque lares, inopemque senectam;
Et longas hiemes, perpetuamque sitim.

lib. iii. et infra lib. ii. De Arte 266. Ciofanus. Si sponte sua amator tibi nullum afferet munus, tu eum interrogabis, quænam merces in via sacra vendantur, quanti constent: te illarum aliquam cupere, sed nummis carere, ita ut ei innuas, quid tibi emere debeat. *Via sacra.*] Via sacra erat Romæ a curia veteri versus Amphitheatrum, usque ad arcem Capitolinam.

104. *Impia.*] Dira, sæva, quibus impii homines utuntur in veneficiis. Possumus hic de melle arte venenato intelligere: quod magis placet. Marius.

109. *Nox erat in cursu.*] Male quidam editi et scripti, *Nox erat in cursu.* Fast. v. 245. *Vox erat in cursu.* vid. Epist. v. 21. et vi. 39. Confusa vero hæc vocabula, *nox* et *vox* vidimus ad Epist. iii. 116. Burm.

112. *Distraheremque genas.*] *Distraherentque* Puteaneus cum aliis quibusdam. de manibus suis loquitur. Heinsius. *Destrueremque* Mentelii. quod elegans, et omnibus, quæ præcedunt, accommodari potest; sed *destruerentque* legerem. vid. ad Epist. x. 46. et 120. Burm.

113. *Dî tibi dent nullosque lares.*] *Nudosque* quinque scripti. Heinsius. *Nullos lares,* quod omnes ante Heinsium editi tuentur, et optimi codices habent, revocavi. *nudi* enim *lares* an recte dicantur valde dubito. Non male etiam Regius explicat, ut nullas ædes habeat, sed in porticibus et angiportis cibum mendicet. Burm.

114. *Et longas.*] *Per* Farnesianus: puto, *fer.* Heinsius. *Continuas hyemes* codex Douzæ. sed illud *per* elegans mihi videtur, ut errorem per longas hyemes, quibus intolerabiliores sunt, et inopem senectam per perpetuam sitim imprecetur, quo anui multibibæ nullum gravius tormentum excogitari possit. Burm.

ELEGIA IX.

Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido:
Attice, crede mihi; militat omnis amans.
Quæ bello est habilis, Veneri quoque convenit, [ætas.
Turpe senex miles, turpe senilis amor.
Quos petiere duces annos in milite forti,
Hos petit in socio bella puella toro.
Pervigilant ambo: terrâ requiescit uterque.
Ille fores dominæ servat, at ille ducis.
Militis officium longa est via. mitte puellam;
Strenuus, exemto fine, sequetur amans.
Ibit in adversos montes, duplicataque nimbo
Flumina: congestas exteret ille nives.
Nec freta pressurus tumidos caussabitur Euros;
Aptave verrendis sidera quæret aquis.

2. *Attice.*] Hunc eumdem esse, ad quem Ovidius Epistolas ex Ponto lib. ii. 4. et 7. misit, censet Marius, neque habeo, quo id impugnem, licet mihi de hoc Attico parum constet. sed stuporem, et temporis omnis Romani ignorantiam, qua se Crispinus, editor Nasonis in usum Delphini, nobilitavit, mirari satis non possum, qui hunc esse T. Pomponium Atticum, Ciceroni familiarissimum, confidenter affirmat: neque enim novit Pomponium Atticum obiisse Cn. Domitio C. Sosio Coss. teste Nepote vita Attic. cap. ult. id est A. U. C. DCCXXI. vel DCCXXII. quo tempore Ovidius undecimum fere annum agebat. nos fateri non pudet, hunc Atticum quis, qualisve fuerit, ignorare. Nam Pomponium reliquisse sibi cognominem filium non legi, cujus filia unica Attica a Nepote memoratur. Burm.

11. *Ibit in adversos.*] Recte: mil-lies enim Poëtæ montes, flumina et alia loca *adversa* vocant, ad quæ iter intenditur, quæ quasi nobis obvia veniunt. Burm.

12. *Congestas conteret ille nives.*] *Exteret* meliores. ut apud Statium Theb. x. 473.

—— *Gravis exterit artus Ungula.* Heins.

De voce *exterere* vide Barth. ad Stat. x. Theb. 472. et Gronov. ad Senec. de brevit. vitæ cap. 13. *conjectus* vero et *congestus* passim permutantur a librariis. Burm.

13. *Pressuras.*] An *premere freta* pro navigare, æque recte dicatur atque *tellurem premere* ii. Amor. ix. 31. et *Alpes premere*, ut ii. xvi. 19. et *viam* Claud. Bel. Get. 341. ubi vid. Heins. dubito. in uno Moreti erat *pulsurus*, quod de remis recte dici notum est; et τῷ *verrendis* apte satis responderet. Francius conjecerat, *fissurus*. ego mal-

Quis, nisi vel miles, vel amans, et frigora noctis,
  Et denso mixtas perferet imbre nives?
Mittitur infestos alter speculator in hostes:
  In rivale oculos alter, ut hoste, tenet.
Ille graves urbes, hic duræ limen amicæ
  Obsidet: hic portas frangit, at ille fores.
Sæpe soporatos invadere profuit hostes;
  Cædere et armatâ vulgus inerme manu.
Sic fera Threïcii ceciderunt agmina Rhesi:
  Et dominum capti deseruistis equi.
Sæpe maritorum somnis utuntur amantes;
  Et sua sopitis hostibus arma movent.
Custodum transire manus, vigilumque catervas,
  Militis, et miseri semper amantis opus.
Mars dubius, nec certa Venus; victique resurgunt:
  Quosque neges umquam posse jacere, cadunt.
Ergo desidiam quicumque vocavit amorem,
  Desinat. ingenii est experientis amor.

lem, si quid novandum videtur, *passurus*, quod ipsum verbum pericula et difficultatem navigationis exprimit. Valer. Flac. vii. 490.

Tunc ait, Æsonidem quidquam te velle relicta
Credis, et ulla pati sine te loca.
BURM.

17. *Mittitur...speculator.*] Speculator, græcis διοπτήρ, et διάγγελος, carnificis officium peragebat, in reis capite damnatis decollandis. Dicebatur quoque custos corporis imperatorii; et in re navali, de illo, qui quomodo flectenda navis in locis periculosis, gubernatorem admonebat. Pro *exploratore*, hic accipiendus.

— *Ut fama fidem missique reportant*
Exploratores. Virg. xi. 511. AMAR.

19. *Graves urbes.*] Male hic Marius explicat, in quibus expugnandis multum laborant milites, vel in quarum obsidione major inest gravitas, quam in amatoria. sed *graves* sunt vicinis noxiæ et imminentes. ut Flor. i. 3. *Albanos gravem Populum* dicit. et ita Justinus et alii centies. mox Regius *diræ*. BURM.

26. *Et sua, &c. movent.*] Unus Heinsii liber, *Sævaque sopitis Et sua sopitis hostibus arma nocent*, Sarravii et Moreti. quod multo planiorem facit sensum; hostes nempe sopitos suis armis occidi. BURM.

27. *Transire.*] Proprium in hac re verbum. Tacit. xiv. Am. 44. *Num excubias transiret, cubiculi fores recluderet; lumen inferret,* &c. *omnibus nesciis? Transire oculos* habebat Francofurtensis. non invenuste. BURM.

Ardet in abductâ Briseïde magnus Achilles.
  Dum licet, Argolicas frangite Troës opes.
Hector ab Andromaches complexibus ibat in arma:
  Et, galeam capiti quæ daret, uxor erat.
Summa ducum Atrides, visâ Priameïde, fertur
  Mænadis effusis obstupuisse comis.
Mars quoque deprensus fabrilia vincula sensit.
  Notior in cœlo fabula nulla fuit.
Ipse ego segnis eram, discinctaque in otia natus:
  Mollierant animos lectus et umbra meos.
Impulit ignavum formosæ cura puellæ;
  Jussit et in castris æra merere suis.
Inde vides agilem, nocturnaque bella gerentem.
  Qui nolet fieri desidiosus, amet.

33. *Mœstus.*] Tristis propter amatæ puellæ absentiam. Sed longe melior mihi videtur vetus lectio, quæ est, *Magnus.* Hoc enim cognomento illustres viri appellati sunt, ut Alexander, Pompejus, et Carolus Francorum rex, aliique complures. Hic enim Naso magnorum virorum exemplis non desidiosum esse amorem comprobat. Adde quod in Artib. quoque Ovid. *Magnum* Achillem vocavit, dicens:

Fecit et in capta Lyrneside magnus Achilles,
Cum premeret mollem lassus ab hoste torum. Marius.

Douza tamen *mœstus* ex suo codice præferebat. ego *magnus* propter rationes a Mario datas. et ita *mœstus* et *magnus* confusa Epist. xvi. 340. Burm.

37. *Summa ducum.*] Tan. Fab. ad Lucret. i. 87. dictum vult imitatione Lucretii, cui Agamemnon est *prima virorum.* ut Sophocles etiam Philoct. 435. dixit πρῶτα Ἀθηναίων pro principe Atheniensium. et ita neutrius generis nomina poni pro masculinis vidimus ad Quinctil. Declam. i. 6. nondum tamen definire audeo, an *summa ducum* non dici possit, ut summa belli, imperii et similia, sed exemplis deficior. nisi huc referas, *belli summa caputque Bato* lib. ii. ex Ponto i. Burm.

39. *Mars quoque deprensus fabrilia vincula sensit.*] Idem prope lib. iv. Metamorph. Quem quidem locum nuper ex Fulgentio illustravi. Ciof.

45. *Vides vigilem.*] *Agilem* Puteaneus et quatuor alii, cum prima editione. Heinsius. Recte: ne offendat sonus similis in *vides vigilem.* similis varietas infr. ii. Amor. iv. 27. et ita *agilis Dea* Diana Epist. iv. 166. *Bella moventem,* quoque Neapolitanus. Burm.

ELEGIA X.

Qualis ab Eurotâ Phrygiis avecta carinis,
  Conjugibus belli caussa duobus erat:
Qualis erat Lede, quam plumis abditus albis
  Callidus in falsâ lusit adulter ave:
Qualis Amymone siccis errabat in Argis,
  Cum premeret summi verticis urna comam:
Talis eras; aquilamque in te taurumque timebam,
  Et quidquid magno de Jove fecit Amor.
Nunc timor omnis abest, animique resanuit error.
  Nec facies oculos jam capit ista meos.
Cur sim mutatus, quæris? quia munera poscis.
  Hæc te non patitur caussa placere mihi.

1. *Qualis ab Europa Phrygiis advecta carinis.*] *Eurota* et *avecta* cum melioribus scribendum. ad Eurotam enim nata Helena. *Spartanus Eurotas* Claudiano Cons. Olyb. 237. Nasoni ii. Met. 247. *Tænarius.* HEINS.

4. *Callidus.*] Multi libri, *candidus;* ut olor sæpe *albus* et *candidus* dicitur. Retinui tamen *callidus.* quia τῷ *lusit* magis congruit, et præcessit *plumis albis.* in *falsa ave.* BURM.

5. *Siccis erravit in agris.*] Ad Homeri Epitheton respexit Poëta, qui vocat Argos πολυδίψιον, hoc est, siticulosum atque aridum, propter naturam terræ. Nam ante adventum Danai, qui primus puteos effodisse dicitur, aridam fuisse terram Argivorum tradunt. Fuit autem Amymone Argiva, Danai filia. MICYLLUS. Amymone una ex quinquaginta Danai filiabus, aquam inquirens, in cervum telum jecit, ac Satyrum dormitantem offendit. Quare ille somno expergefactus puellæ miro desiderio capitur. At Neptuno superveniente Satyrus se in fugam dedit. Amymone autem cum illo concubuit: eique Neptunus fontes Lernæos indicavit. Hæc ex Apollodoro lib. ii. Meminit et Apollonius lib. i. Arg. his verbis:

——Ποσειδάωνι δὲ κούρη
Πρίν ποτ' Ἀμυμώνη Δαναΐς τέκεν εὐνηθεῖσα
Ναύπλιον.——— CIOF.

Crediderim scripsisse Ovidium, *siccis errabat in Argis.* Amymones vero fabulam tangit Statius lib. iv. 288. ubi vide Lutatium. BURM.

8. *Fecit.*] *Finxit* codex Sarravianus. forte recte. vid. Eleg. xiv. 8. HEINSIUS. Efficacius est *fecit.* ita Flor. ii. 6. *Fecerant de servitute Romanos.* BURM.

11. *Munera poscis.*] *Præmia* prima editio. cujus glossema, *munera* esse puto: *Præmia* enim sæpe præda et spolia vocantur, de quibus hic verbo odioso agit, ut mox v. 29. *spolia* vocat et v. 53. in multis et optimis codicibus est, *a divite præmia posci.* et ita Terentio Hecyr. i. 1. *spoliare* etiam

Donec eras simplex, animum cum corpore amavi:
Nunc mentis vitio læsa figura tua est.
Et puer est et nudus Amor. sine sordibus annos,
Et nullas vestes, ut sit apertus, habet.
Quid puerum Veneris pretio prostare jubetis?
Quo pretium condat, non habet ille sinum.
Nec Venus apta feris, Veneris nec filius, armis:
Non decet imbelles æra merere Deos.
Stat meretrix certo cuivis mercabilis ære;
Et miseras jusso corpore quærit opes.
Devovet imperium tamen hæc lenonis avari:
Et, quod vos facitis sponte, coacta facit.
Sumite in exemplum pecudes ratione carentes.
Turpe erit ingenium mitius esse feris.
Non equa munus equum, non taurum vacca popos-
Non aries placitam munere captat ovem. [cit:
Sola viro mulier spoliis exultat ademtis:
Sola locat noctes: sola locanda venit.
Et vendit, quod utrumque juvat, quod uterque pe-
Et pretium, quanti gaudeat ipsa, facit. [tebat:
Quæ Venus ex æquo ventura est grata duobus,
Altera cur illam vendit, et alter emit?
Cur mihi sit damno, tibi sit lucrosa voluptas,
Quam socio motu femina virque ferunt?
Non bene conducti vendunt perjuria testes:
Non bene selecti judicis arca patet.

meretrix dicitur, ut similiter Martialis et alii. hinc *præmiari* et *præmiatores*, ut notum. BURM.

21. *Certo.*] *Circo* erat in Glaseriano, unde quis de Circensibus prostibulis posset somniare. sed frustra: *Certum* est, quia inscripta erat cellulæ unicuique merces, quam captabat meretrix; vid. ad Petron. cap. viii. *Quovis mercabilis ære*, multi ex scriptis. quod male arripuit Marius. BURM.

Turpe, reos emtâ miseros defendere linguâ:
Quod faciat magnas, turpe, tribunal opes.
Turpe, tori reditu census augere paternos,
Et faciem lucro prostituisse suam.
Gratia pro rebus merito debetur inemtis:
Pro male conducto gratia nulla toro.
Omnia conductor solvit: mercede solutâ
Non manet officio debitor ille tuo.
Parcite, formosæ, pretium pro nocte pacisci.
Non habet eventus sordida præda bonos.
Non fuit armillas tanti pepigisse Sabinas,
Ut premerent sacræ virginis arma caput.
E quibus exierat, trajecit viscera ferro
Filius: et pœnæ caussa monile fuit.
Nec tamen indignum est, à divite munera posci.
Munera poscenti quod dare possit, habet
Carpite de plenis pendentes vitibus uvas:
Præbeat Alcinoi poma benignus ager.
Officium pauper numeret, studiumque, fidemque:
Quod quis habet, dominæ conferat omne suæ.
Est quoque, carminibus meritas celebrare puellas,
Dos mea; quam volui, nota fit arte meâ.

44. *Male conducto.*] Id est, care, magno pretio. ut Terent. Eun. iv. 4. *Male conciliate.* et ita passim, *bene* et *male* emere. vid. i. Art. Am. 426.

49. *Non fuit armillas.*] Tarpejæ Vestalis historiam tangit, quæ Romanam arcem Sabinis prodidit: qui ob Sabinas mulieres raptas, duce Tatio bellum Romanis intulerunt.

51. *E quibus.*] Nunc, ut ostendat, non bonum eventum sortiri sordidam prædam, adducit exemplum Eriphyles, quæ Amphiarai auguris Argivi uxor. Inquit igitur Naso: Monile illud muneri datum, quia avara admodum Eriphyle, quo viri vitam vendidit, in ejus perniciem versum est.

55. *Pendentes.*] Junianus *splendentes*, non male, quæ oculos feriunt, ut divitiæ beatorum, quæ conspicuæ invitant rapaces meretricum manus. Burm.

56. *Benignus ager.*] Fertilis, et qui fructus fert uberrimos. Ciofanus. Vide Marium.

Alcinoi.] Fuit Alcinous Nausithoi filius, rex Phæacum justissimus. Hic diligentissime hortos colebat.

Scindentur vestes, gemmæ frangentur et aurum:
  Carmina quam tribuent, fama perennis erit.
Nec dare, sed pretium posci dedignor et odi.
  Quod nego poscenti, desine velle; dabo.

ELEGIA XI.

Colligere incertos, et in ordine ponere, crines
  Docta, neque ancillas inter habenda, Nape;
Inque ministeriis furtivæ cognita noctis
  Utilis, et dandis ingeniosa notis;
Sæpe venire ad me dubitantem hortata Corinnam;
  Sæpe laboranti fida reperta mihi; 6
Accipe, et ad dominam peraratas mane tabellas
  Perfer; et obstantes sedula pelle moras.

1—2. *Colligere incertos .... crines docta*, &c.] Notato græcismo, ad majora transeundum. Ac primo quidem sciendum, gravissimum *ædificandi capitis* munus non unius ancillæ apud Romanas fuisse; sed plures (quæ *cosmetæ* et *ornatrices* dicebantur,) sibi vindicasse. Quarum uni cura primum demandabatur crispandi, et vibrandi capillos, calido ferro, quod *calamistrum* vocabant; *ciniflones* vero, qui partes hanc cultus muliebris adimplebant. Subibat mox, quæ vibratos capillos largis unguenti cujuslibet imbribus irrigaret; et ab ipso officio *Psecas* (a *ψεκάζω, stillo, irrigo*) dicebatur. Tandem accedebat (et hoc quasi quædam erat præfectura capillorum) *ornatrix*, quæ pectinis vel *discerniculi* ope, *collectos* crines *in ordine* poneret, et docilis ad arbitrium dominæ flecteret. Hoc *Napes*, ut videtur, officium; qua propter plurimum illi apud dominam gratiæ, nec *inter ancillas habenda*. Cur vero *Nape* dicta fuerit, non video, nisi deduxeris a *νάπος*, saltus, locus quilibet arborum densitate subobscurus; unde *ναπαῖαι*, nymphæ, istius modi locorum præsides. Quod eo libentius admittam, quod ipsa Nape *cognita* in ministeriis *furtivæ noctis*.—*Incertos crines*: quem in ordinem ponerentur. Amar.

Incertos.] Turbatos et indispositos Marius exponit. sed quæro exemplum hujus locutionis: Editio prima et quinque codices, *incomtos;* quod planius. *colligere* vero est *in nodum colligere*, ut loquitur lib. iii. Metam. 170. Burm.

7. *Accipe, et ad dominam peraratas mane tabellas Perfer*.] Sine dubio *mane* ad *perfer* est referendum; dum enim comeret dominam, Epistolam reddere debebat. ita præcipit Ovidius ipse i. Art. 367. Burmannus. *Accipe, et ad dominam tabellas Perfer*. Tabellæ cera illitæ, in quibus pungen-

Nec silicum venæ, nec durum in pectore ferrum,
Nec tibi simplicitas ordine major inest.
Credibile est et te sensisse Cupidinis arcus;
In me militiæ signa tuere tuæ.
Si quæret, quid agam; Spe noctis vivere, dices.
Cetera fert blandâ cera notata manu.
Dum loquor, hora fugit. vacuæ bene redde tabellas:
Verum continuo fac tamen illa legat.
Adspicias oculos mando, frontemque legentis.
E tacito vultu scire futura licet.
Nec mora: perlectis rescribat multa jubeto.
Odi, cum late splendida cera vacat.
Comprimat ordinibus versus, oculosque moretur
Margine in extremo litera rasa meos.

do *stylo* impresso scribebatur. Forma fuit oblonga, quadrata; eminenti quodam margine circumclusa: materia vulgaris, buxus et acer; pretiosior, citrum, ebur. Calami vicem in his gerit *graphium*, sive *stylus*; tum e ferro, tum ex ære; qui enim ex auro, veluti chrystallina et onychina pugillaria, extra ordinem fuerunt. Altera pars erat ad scribendum acuta; obtusa altera, ad delendum; qua, veluti transverso calamo, inducebant, eradebantque, si quæ minus ex sententia videbantur. Inde *stylum* vertere, est inducere, delere, expungere. Sic de se ipso *graphium*, apud Sympos. in ænigmate:

De summo planus, sed non ego planus in imo,
Versor utrimque manu, diverso et munere fungor:
Altera pars revocat, quidquid pars altera fecit.

Graphia cum pugillaribus circumferebant Romani; unde si quis furor repentinus, ad arma confugiebant, quæ erant in promptu. Narrat Seneca, de Clem. i. 14. Erixonem quemdam, equitem Romanum, quia filium suum flagellis occiderat, populum in foro *graphiis* confodisse. Et ipse Julius Cæsar Cassii brachium arreptum *graphio* trajecit. Vide Suet. 82. Amar.

10. *Sed tibi simplicitas ordine major inest.*] Scribe cum melioribus, *Nec tibi.* Nam et in comœdiis subdolæ ac vafræ tam ancillæ quam servi inducebantur. Heins.

21. *Comprimat ordinibus versus.*] Hoc est, ipsos versus sive lineas addenset, prope inter se jungat, ut sint angusta ac modica inter binos versus spatia, sive interstitia. Micyllus. Recte Micyllus: locutio est e re militari sive acie, quæ ordinibus instruitur, desumpta. sic Liv. viii. 8. *Triarii consurgentes, ubi in intervalla ordinum suorum principes et hastatos recepissent, extemplo compressis ordinibus velut claudebant vias, unoque continente agmine, in hostem incidebant.* Burm.

Quid digitos opus est graphio lassare tenendo?
Hoc habeat scriptum tota tabella; Veni.
Non ego victrices lauro redimire tabellas,
Nec Veneris mediâ ponere in æde morer.
Subscribam; Veneri, fidas sibi, Naso ministras
Dedicat. at nuper vile fuistis acer.

ELEGIA XII.

Flete meos casus: tristes rediere tabellæ.
Infelix hodie litera posse negat.
Omina sunt aliquid. modo cum discedere vellet,
Ad limen digitos restitit icta Nape.
Missa foras iterum limen transire memento
Cautius; atque alte sobria ferre pedem.
Ite hinc, difficiles, funebria ligna, tabellæ:
Tuque negaturis cera referta notis.

25. *Non ego victrices lauro redimire tabellas,* &c.] Alludit ad morem Romanum. solebant enim literæ, quæ ab imperatoribus, parta alicubi victoria, Romam super ea victoria mittebantur, lauro redimiri, atque ita consulibus reddi: unde et *laureatæ* dicebantur. MICYL.

27. *Veneri fidas tibi.*] In manuscripto codice non *Tibi,* sed *Sibi* legitur: et sic omnino legendum. Erit autem sensus: Naso dedicat Veneri tabellas fidas sibi. MARIUS.

28. *Acer.*] Atqui *Acer* dicunt post citrum maximo in pretio haberi, teste Plinio lib. xvi. 15. sed addendo vocem *vilis* ostendit has tabellas ex vulgari et vili acere, non illo pretioso, confectas fuisse. neque etiam Plinius ipsum Acer pretiosum dicit, *sed operum elegantia et subtilitate citro secundum* et cap. seq, dicit, *si magnitudinem mensarum caperet, haud dubie præferretur citro. Vile* ergo est non elaboratum, minimi pretii et obvium. ut ita *vile Sabinum* apud Horat. lib. i. Od. 22. explicuit contra Dacierium vir non ineruditus in Historiæ Criticæ tom. xii. pag. 120. BURM.

---

4. *Ad limen digitos icta.*] De hoc infausto omine multa satis congesserunt antiquitatum collectores, et Marius recte ex nostri Poëtæ, Tibulli et Lucani locis illustravit. ex quibus patet, per *digitos* hic pedis intelligi debere. BURM.

Quam, puto, de longæ collectam flore cicutæ,
  Melle sub infami Corsica misit apis.
At, tamquam minio, penitus medicata rubebas.
  Ille color vere sanguinolentus erat.
Projectæ triviis jaceatis, inutile lignum:
  Vosque rotæ frangat prætereuntis onus.
Illum etiam, qui vos ex arbore vertit in usum,
  Convincam puras non habuisse manus.
Præbuit illa arbor misero suspendia collo:
  Carnifici diras præbuit illa cruces.
Illa dedit turpes raucis bubonibus umbras:
  Vulturis in ramis et strigis ova tulit.
His ego commisi nostros insanus amores,
  Molliaque ad dominam verba ferenda dedi?
Aptius hæ capiant vadimonia garrula ceræ,
  Quas aliquis duro cognitor ore legat.

10. *Melle sub infami Corsica misit apis.*] Propterea quod Corsicæ apes amarum mel procreant, abundante in ea insula taxo, videlicet arbore venenata, ut Plin. tradit. MICYL.

11. *Minio penitus medicata.*] Minium, cujus repertorem fuisse tradit Theophrastus, (περὶ λίθων,) Calliam Atheniensem, ceræ nonnunquam immiscebatur, qua tabellas veteres illinebant. Sed plus æquo *rubebant* illæ de quibus hic agitur, et erant quasi *sanguinolentæ*, quod poeta in malum omen vertit. AMAR.

Rubebas.] Fortasse a ligno hunc colorem habebat cera: erant enim hæ tabellæ (ut supra dixit Naso) acernæ. Et Plinius lib. 16. dum aceris genera multa ponit: *Tertium genus*, inquit, *Zygiam rubentem fissili ligno, cortice livido et scabro.* MARIUS.

20. *Vulturis.*] Atqui Ælianus lib. ii. Hist. 48. dicit vultures non nidificare, neque ova ponere, sed pullos edere, qui statim ac nati sunt avolant. Plinius vero lib. x. cap. 6. eos et ova dare et nidificare, sed in excelsissimis rupibus testatur, et ideo rarissime aliquem eorum ova aut pullos vidisse. Mirum est etiam vulturem, avem faustam, et ex Augurio Romuli et Remi felicissimi ominis habitam, (vide præter alios Stat. iii. 507. et ibi Lutatium.) hic jungi cum bubone et strige. BURM.

23. *Aptius hæ capiant*, &c.] Melius, convenientius. *Vadimonia;* ab *vadari*, vel *convadari*, quod est in jus citare, die dicta: hinc *vas*, ille qui pro altero spondet, *vadimonium* promittit. Ut autem *vadis* nomen duo denotat, eum cui dies dicta sit, et illum qui pro illo fide jussit; sic et *vadimonium* duas quoque res significat: ipsam ἐμφάνειαν, exhibitionem; et ἐμφανείας ἐγγύην, exhibitionis sponsionem. *Garrula.* Forensium loquacitatem videtur perstringere. AMAR.

Inter ephemeridas melius tabulasque jacerent,
In quibus absumtas fleret avarus opes.
Ergo ego vos rebus duplices pro nomine sensi?
Auspicii numerus non erat ipse boni.
Quid precer iratus? nisi vos cariosa senectus
Rodat, et immundo cera sit alba situ.

ELEGIA XIII.

Jam super Oceanum venit a seniore marito,
Flava pruinoso quæ vehit axe diem.

24. *Quas aliquis duro cognitor ore legat.*] Late Gronovius lib. iv. de Pecun. veteri cap. iii. de cognitoribus, quos pro defensoribus capit, disputat. sed quia *duro ore* additur, ego hic potius cum Micyllo de judice, vel magistratu, qui proprie *cognoscere* dicitur, capiendum censeo. *duro* autem *ore* hic non, ut alias pro impudenti, quemadmodum Marius, sed cum Micyllo caperem pro tristi, severo. Burm.

25. *Inter Ephemeridas melius tabulasque jacerent, In quibus absumptas fleret avarus opes.*] Propertius lib. iii. Eleg. xxii. 20.

Me miserum, his aliquis rationem scribit avarus,
Et ponit duras inter Ephemeridas.

Consule ibi Scaligerum juniorem. Ciofanus. *Ephemeris* liber ab Ausonio inscribitur, id est *totius diei negotium.* Ephemeridas *Kalendaria* vocat Seneca in fine Epist. xiv. Heins.

27. *Ergo ego vos rebus duplices pro nomine sensi.*] Commentator ad numerum binarium refert: quod is minus auspicatus sit, quam ternarius, aut alius aliquis impar. Sed cum inquit Poeta, *Rebus*, videndum, num ad eam significationem nominis *Duplices* respiciat, qua duplices, fallaces et dolosos dicimus. ac si dicat, re ipsa nunc videre se, illos fuisse duplices, quod est fallaces, et qui aliud primo aspectu præ se tulerint, quam postea præstarint. Micyllus. *Duplices* a duobus foliis sic dicti, ut *triplices* a tribus, qui etiam rebus amatoriis et levioribus serviebant. testatur Martialis lib. xiv.

Tunc triplices nostris non vilia dona putabis
Cum se venturam scribet amica tibi. Douza.

Dypticha Græcis dicta intelligit, *ἀπὸ δὶς καὶ πτύσσειν, bis plicare.* vide Etymologicon magnum in *Δίπτυχα.* Erant autem libelli duûm tabellarum seu paginarum. Heins.

---

1. *Jam super Oceanum venit a seniore marito.*] Numeri in hoc versu parum sunt Nasoniani. metuo ne sciolus interpolarit. quare scribendum censeo:

Jam super Oceanum venit seniore relicto. Heins.

Communem viris in arte philologica vel celeberrimis errorem non possum quin hic paucis refellam, qui totus in hoc versatur scilicet, quod verbum se-

Quo properas, Aurora? mane. sic Memnonis umbris
Annua sollemni cæde parentet avis.
Nunc juvat in teneris dominæ jacuisse lacertis:
Si quando, lateri nunc bene juncta meo est.
Nunc etiam somni pingues, nunc frigidus humor:
Et liquidum tenui gutture cantat avis.
Quo properas, ingrata viris, ingrata puellis?
Roscida purpureâ supprime lora manu.
Ante tuos ortus melius sua sidera servat
Navita; nec mediâ nescius errat aquâ.
Te surgit, quamvis lassus, veniente viator:
Miles et armiferas aptat ad arma manus.
Prima bidente vides oneratos arva colentes:
Prima vocas tardos sub juga panda boves.
Tu pueros somno fraudas, tradisque magistris;
Ut subeant teneræ verbera sæva manus.
Atque eadem sponsum consulti ante atria mittis;
Unius ut verbi grandia damna ferat.

mel a scriptore usurpatum, idem semper debeat recursare, modo sensus postulet et ordo sententiæ. Qua ex lege, si exstaret, Ovidius præsertim esset eximendus. AMAR.

Seniore marito.] Tithono. CIOF.

3. *Sic Memnonis umbras Annua solenni cæde parentet avis.*] Sic quidem in omnibus fere editionibus legitur, quas vidi. At mihi videtur *Umbris* legendum esse, dativo casu: ut sit ordo, Sic annua avis parentet umbris Memnonis solenni cæde, &c. Nam et Cicero hoc verbum cum dativo junxit. ut pro Flacco 38. *Litemus ergo Lentulo, parentemus Cethego.* et in Antonium xiii. 17. *Dolabella imperatori suo parentavit.* MICYL.

Memnonis.] Memnon et Hemathio filii Tithoni ex Aurora. Apollodorus lib. iii. CIOF.

15. *Prima bidente vides oneratos arva colentes.*] Ita scripti cum primis editionibus fere omnes. Et recte. nec male Junianus:

Prima bidente vides oneratos colla colonos.

Bidens enim rastrum, instrumentum rusticum. aut *raster*, quod *bidenti* subintelligitur, apud Maronem, *rastra bidentia:* sic *tridens*, cum de Neptuni fuscina agitur. HEINS.

19. *Atque eadem sponsum consulti ante atria mittis.*] Sensus est, tu eadem, aurora, mittis (scilicet clientem) ad spondendum ante atria Jurisconsulti, ubi, dum ille ad respondendum surgit, excubare cogitur. *Sponsum* hic non est *sponsorem*, quo modo usurpari posse non puto, sed est supinum a *spondendo*. *Unum* vero illud *verbum* est, *spondeo*. BURM.

Nec tu caussidico, nec tu jucunda diserto:
  Cogitur ad lites surgere uterque novas
Tu, cum feminei possint cessare labores,
  Lanificam revocas ad sua pensa manum.
Omnia perpeterer. sed surgere mane puellas
  Quis, nisi cui non est ulla puella, ferat?
Optavi quoties, ne nox tibi cedere vellet;
  Neu fugerent vultus sidera mota tuos!
Optavi quoties, aut ventus frangeret axem,
  Aut caderet spissâ nube retentus equus!
Invida, quo properas? quod erat tibi filius ater,
  Materni fuerat pectoris ille color.
[Quid? si non Cephali quondam flagrasset amore,
  An putat ignotam nequitiam esse suam?]

21. *Nec tu consulto.*] Offendit hæc vox Heinsium, et præcipue induxit, ut distichon præcedens induceret. sed salva res est. succurrit codex Barberinus, qui diserte habet:

Nec tu caussidico, nec tu jucunda diserto.

Ut ita diversos faciat caussidicos a consultis, patronis et oratoribus; de quibus egimus ad Petron. cap. xlvi. et dicuntur hic uterque ad novas lites surgere, quia quotidie alias et novas clientium caussas agunt. maxime huc facit Martial. lib. i. Epigr. 98.

Cum clamant omnes, loqueris tu, Nævole, semper,
Et te patronum caussidicumque putas.

Ubi distinguit patronum et caussidicum. vide Strebæum ad Cicer. i. de Orat. 46. Burm.

33. *Quid si non Cephali quondam flagrasset amore, An putat ignotam nequitiam esse suam.*] De Auroræ in Cephalum amore sic Hyginus cap. clxxxix. *Procris Pandionis filia: hanc Cephalus Deionis filius habuit in conjugio, qui cum mutuo amore tenerentur, alter alteri fidem dederunt, ne quis cum alio concumberet. Cephalus autem, cum studio venandi teneretur, et matutino tempore in montem exisset, Aurora Tithoni conjux eum adamavit, petitque ab eo concubitum. Cui Cephalus negavit, quod Procri fidem dederat. Tunc Aurora ait: Nolo ut fallas fidem, nisi illa fefellerit. Itaque commutat eum in hospitis figuram, atque dat munera speciosa, quæ Procri deferret. Quo cum Cephalus venisset, immutata specie munera Procri dedit, et cum ea concubuit. Tunc ei Aurora speciem hospitis abstulit. Quæ cum vidisset, sensit se ab Aurora deceptam, et inde profugit in Cretam insulam, ubi Diana venabatur. Quam cum Diana conspexisset, ait ei: Mecum virgines venantur, tu virgo non es, recede.* et cap. cclxx. enumerat Cephalum inter eos, qui formosissimi fuerunt, ubi ita est: *Cephalus Pandionis filius, quem Aurora amavit.* Ciofanus. Numeri huic disticho duriores sunt, quam quos pro suis Ovidius admittat. et sane in optimo Puteaneo margini adscriptum erat. idque manu

Tithono vellem de te narrare liceret:
  Fabula non cœlo turpior ulla foret.
Illum dum refugis, longo quia frigidus ævo,
  Surgis ad invisas a sene mane rotas.
At si quem manibus Cephalum complexa teneres;
  Clamares; Lente currite noctis equi.
Cur ego plectar amans? si vir tibi marcet ab an-
  Num me nupsisti conciliante seni? [nis;
Adspice, quot somnos juveni donarit amato
  Luna: neque illius forma secunda tuæ.
Ipse Deûm genitor, ne te tam sæpe videret,
  Commisit noctes in sua vota duas.
Jurgia finieram. scires audisse; rubebat.
  Nec tamen adsueto tardius orta dies.

ELEGIA XIV.

Dicebam, Medicare tuos desiste capillos.
  Tinguere quam possis, jam tibi nulla coma est.

recentiori, qui præterea agnoscit, *Quid si Cephalio.* Certe de Cephalo cum mox sit acturus, otiosa est hoc loco ejus mentio. Mycillo etiam ac Grutero suspectum habebatur hoc distichon. HEINS.

40. *Lente currite noctis equi.*] Nox filia Chai, quæ ex Erebo fratre Æthera, et Diem peperit. Hesiodus in Theogonia. CIOF.

---

1. *Dicebam.*] Elegans usus hujus verbi, hoc tempore, quo frustra nos præmonuisse incredulos, quadam cum voluptate exprobramus. plura exempla collegerunt Passeratius ad Propert. lib. i. Eleg. 9. princ. et Barth. ad Stat. iv. Silv. iii. vers. 12. BURM.

Desiste tuos medicare capillos.] Cynthiam quoque increpat Propert. ii. Eleg. xiv. 25. sqq. quod externo caput nitore tingeret, et *ora romana* turpiter colore *belgico* inficeret. Nam supra fidem libido romanas matronas invaserat crines *medicandi*, ut rutilum colorem referrent, qui nativus Belgis, Britannis, et iis omnibus populis, qui Septentrionem versus agunt. Sed morem hunc tingendi capillos multo ante apud Romanas viguisse, quam de Belgis vel Britannis audiissent, testis Cato in originibus. "Mulieres, inquit,

At, si passa fores, quid erat spatiosius illis?
Contigerant imum, quà patet usque, latus.
Quid? quod erant tenues, et quos ornare timeres?
Vela colorati qualia Seres habent?
Vel pede quod gracili deducit aranea filum,
Cum leve desertâ sub trabe nectit opus?
Nec tamen ater erat, nec erat tamen aureus illis,
Sed, quamvis neuter, mixtus uterque color.
Qualem clivosæ madidis in vallibus Idæ
Ardua dereptâ cortice cedrus habet.
Adde, quod et dociles, et centum flexibus apti,
Et tibi nullius caussa doloris erant.

nostræ capillum *cinere* inungitabant, ut *rutilus* esset crinis." *Cinis* autem quo infucabatur capillitium, ut rutilaret, non is qui e focis, consumto ligno, colligitur; sed qui ex expresso desiccatoque herbarum quarumdam succo conficiebatur, eo fere quo apud nos modo, pastellum. *Cinerarii* dicebantur ii, qui *cinerem* hunc parandum curarent, paratumque capillis infunderent, et qui calamistris in *cinere* calefactis caput adornabant. Egregie Tertullianus (*de Cultu femin.*) invehitur in morem hunc capillos, ad instar externarum gentium, pingendi. "Video quasdam, inquit, et capillum *croco* vertere. Pudet eas etiam nationis suæ, quod non *Germanæ* aut *Gallæ* sint procreatæ: ita patriam capillo transferunt!" AMAR.

3. *Si passa fores.*] Si contenta naturali colore potuisses pati, id est non impatienter ferre nigros tibi capillos esse datos. ita *pati* simpliciter sumi docuit summus Gronovius ad Senec. Thyest. 468. et alii. BURM.

6. *Vela colorati qualia Seres habent.*] Recte vidisse Marium puto ineptam comparationem institui a tenuibus crinibus ad vela, quæ lata et expansa sunt. quare putem hic repetendam vocem ex sequenti versu *fila*, quæ passim a Poëtis Seribus adscribuntur. Senec. Hippol. 388.

Quæ fila ramis ultimi Seres legunt.

Ita enim *fila* Serum credebant veteres, ex lanugine arborum deduci. nam Virg. ii. Georg. 120.

— *Nemora Æthiopum molli canentia lana,*
Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres. BURM.

9. *Nec tamen ater erat,* &c.] Ita Bathylli comas Anacreon pingi vult Od. xxix.

Λιπαρὰς κόμας ποίησον,
Τὰ μὲν ἔνδοθεν μελαίνας,
Τὰ δ' ἐς ἄκρον ἡλιώσας.

Ubi viri docti hunc Ovidii locum recte adducunt. BURM.

12. *Direpto cortice.*] *Derepto* Puteaneus. Lego, *derepta*. nam Nostro ea vox ut plurimum fœminini est generis. HEINS.

Cedrus.] Piniferam plerumque Poetæ faciunt Idam. sed forte piceam intelligit, quam *nigrantem* vocat Virgil. ix. 87. BURM.

Non acus abrupit, non vallus pectinis, illos:
  Ornatrix tuto corpore semper erat.
Ante meos sæpe est oculus ornata; nec umquam
  Brachia dereptâ saucia fecit acu.
Sæpe etiam, nondum digestis mane capillis,
  Purpureo jacuit semisupina toro.
Tum quoque erat neglecta decens: ut Threcia Bac-
  Cum temere in viridi gramine lassa jacet. [che,
Cum graciles essent tamen, et lanuginis instar;
  Heu mala vexatæ quanta tulere comæ!
Quam se præbuerunt ferro patienter et igni;
  Ut fieret torto flexilis orbe sinus!
Clamabam, Scelus est, istos scelus urere crines.
  Sponte decent: capiti, ferrea, parce tuo.
Vim procul hinc remove. non est qui debeat uri;
  Erudit admotas ipse capillus acus.
Formosæ periere comæ: quas vellet Apollo,
  Quas vellet capiti Bacchus inesse suo.

16. *Ornatrix tuto corpore.*] Vulgata scriptura si servanda est, ita interpretanda forte erit; capillos illos fuisse tam dociles, ut numquam dominam ad iram provocaverint, quæ, si crines nollent sponte ornari, sed sæpe resolvendi essent, vel rumperentur, in ornatricem sæviebat. Burmannus. Rem amare, ut solet, Juv. describit, Sat. vi. 490.

Disponit crinem, laceratis ipsa capillis,
Nuda humeros Psecas infelix, nudisque mamillis.
Altior hic quare cincinnus? Taurea punit
Continuo flexi crimen facinusque capilli.
Quid Psecas admisit? quænam est hic culpa puellæ,
Si tibi displicuit nasus? &c. Amar.

18. *Brachia direpta saucia fecit acu.*] Possent hæc capi, ut modo diximus, de domina non solita sævire in ornatricem, sed quia hic de eo non agitur, sed de capillorum ingenio, quæ tutam ornatricem præstabant, *acus directa* posset ita capi, ut numquam, ne per imprudentiam quidem ornatricis, manus aberraret, et acum, qua figebat crines in annulos et cincinnos flexos, dirigere in brachia dominæ posset. fateor vero hæc nondum ad liquidum perducta, neque mihi ipse satisfacio. Burm.

27. *Clamabam.*] Petron. cap. xlvi. *Ideo illi quotidie clamo: Primigeni crede mihi, quidquid discis, tibi discis.* ubi vide notata. Burm.

29. *Non est.*] Scilicet capillus aliquis: omnes enim decori sunt. Marius. Male. plena locutio est, non est is capillus, qui debeat uri. vid. ad Epist. xx. 49.

Illis contulerim, quas quondam nuda Dione
  Pingitur humenti sustinuisse manu.
Quid male dispositos quereris periisse capillos?
  Quid speculum mœstâ ponis, inepta, manu?
Non bene consuetis a te spectaris ocellis.
  Ut placeas, debes immemor esse tui.
Non te cantatæ læserunt pellicis herbæ;
  Non anus Hæmoniâ perfida lavit aquâ.
Nec tibi vis morbi nocuit; (procul omen abesto)
  Nec minuit densas invida lingua comas.
Facta manu culpâque tuâ dispendia sentis.
  Ipsa dabas capiti mixta venena tuo.
Nunc tibi captivos mittet Germania crines:
  Culta triumphatæ munere gentis eris.

33. *Quas quondam nuda Dione pingitur, &c.*] Insignem Veneris e mari emergentis tabulam ab Apelle depictam indicat, de qua Plin. xxxv. 10. Exstant ea de re in Anthol. Planud. iv. cap. xii. Epigrammata quinque, quorum lepidissimum, quod est Antipatri Sidonii, ultro hic sese offert:

Τὰν ἀναδυομέναν ἀπὸ ματέρος ἄρτι θαλάττας
Κύπριν, Ἀπελλείου μόχθον ὅρα γραφίδος,
Ὡς χερὶ συμμάρψασα διάβροχον ὕδατι χαίταν,
Ἐκθλίβει νοτέρων ἀφρὸν ἀπὸ πλοκάμων.
Αὐταὶ νῦν ἐρέουσιν Ἀθηναίη τε καὶ Ἡρὴ,
Οὐκ ἔτι σοι μορφᾶς εἰς ἔριν ἐρχόμεθα. Amar.

35. *Quid male compositos.*] Non damno hanc lectionem. libri tamen meliores cum Puteaneo, *dispositos capillos*. Heinsius. *Dispositos* rectum est, ut supra *digestos* dixit. Vide Salmasium de Coma. pag. 301. ubi docet, *disponere* esse per flagella et granos distinguere. Burm.

40. *Non anus Hæmonia perfida lavit aqua.*] Non intelligenda species quædam magicæ artis peculiaris et obscurior, sed capiendum de aqua magica sive avernali, vel stygia, ut passim Poetæ vocant, qua utebantur magæ in nefariis suis sacris, et qua aspergere res, quibus nocere volebant, passim dicuntur. vide quæ Passeratius notat ad Propert. iv. Eleg. i. 120.

Umbra nec hæc magicis mortua prodit aquis. Burm.

45. *Captivos mittet Germania crines.*] Metonymice, pro *crines* e Germanis recens domitis detonsos. Vulgare poetis quæ personarum sunt, ad res ipsas transferre. Vel in Epistola Horatius, lib. ii. i. 193.

Captivum *portatur ebur*, captiva *Corinthus*.

De crinibus Germanorum, vide nostram editionem ad Tacit. Germ. cap. iv. Amar.

O quam sæpe, comas aliquo mirante, rubebis;
Et dices, Emtâ nunc ego merce probor!
Nescio quam pro me laudat nunc iste Sygambram;
Fama tamen, memini, cum fuit ista mei.
Me miserum! lacrimas male continet; oraque [dextrâ
Protegit, ingenuas picta rubore genas.
Sustinet antiquos gremio spectare capillos,
(Hei mihi!) non illo munera digna loco.
Collige cum vultu mentem. reparabile damnum [est.
Postmodo nativâ conspiciere comâ.

ELEGIA XV.

Quid mihi, Livor edax, ignavos objicis annos;
Ingeniique vocas carmen inertis opus?
Non me more patrum, dum strenua sustinet ætas,
Præmia militiæ pulverulenta sequi:
Nec me verbosas leges ediscere: nec me
Ingrato vocem prostituisse foro.

49. *Sicambram.*] Sarravianus, *Sycambram.* Puteaneus, *Sygambram,* quæ vera scriptura. Sic et in Claudiani veterrimo codice scribebatur. Ptolemæo, Σύγαμβροι· Σέγαμβροι Straboni sunt. sic et consolatione ad Liviam legendum 17.

Ille genus Suevos acre indomitosque Sygambros
Contudit. ———

Et 311.

Nec tibi deletos poterit narrare Sygambros. Heins.

Juvenal. Sat. iv. 147. in veterrimis exemplaribus

——— *De Cattis aliquid torvisque Sygambris*
Dicturus. ———

Vide Valesiana pag. 90.

56. *Conspiciere.*] Mallem, *conspiciare,* ut sit monentis; damnum, ait, esse reparabile, si modo postea a tingendis comis abstineat, et velit conspici nativa coma.

———

5. *Ediscere.*] *Addiscere* alter Politiani: male. vid. ad ii. Metam. 639. respicit ad disciplinam Romanorum, quæ exigebat, ut ingenui pueri leges xii. tabularum, ut *carmen necessarium,*

Mortale est, quod quæris, opus. mihi fama perennis
Quæritur: in toto semper ut orbe canar.
Vivet Mæonides, Tenedos dum stabit et Ide:
Dum rapidas Simoïs in mare volvet aquas.
Vivet et Ascræus, dum mustis uva tumebit:
Dum cadet incurvâ falce resecta Ceres.
Battiades semper toto cantabitur orbe;
Quamvis ingenio non valet, arte valet.
Nulla Sophocleo veniet jactura cothurno.
Cum Sole et Lunâ semper Aratus erit.
Dum fallax servus, durus pater, improba lena
Vivent, dum meretrix blanda, Menandros erit.

edíscerent. vide Ciceron. ii. de legib. 23. hoc vero semper, ut negotium ingratum et molestiarum plenum, deprecabantur clementem vitam et otium secuti. Senec. Herc. Fur. 172.

Hic clamosi rabiosa fori
Jurgia vendens improbus, iras
Et verba locat.

Et Noster iv. Trist. ult. et sæpe alibi, se abhorruisse a foro testatur. BURM.

9. *Vivet Mæonides,* &c.] "Ut Aratus *ab Jove* (ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα) *incipiendum* putat, ita nos rite cœpturi ab Homero videmur. AMAR.

11. *Mustis.*] Servius ad Virgil. ii. Georg. 7. *Mustum tantum singulari dicimus, sicut et vinum, licet Ovidius abusive musta dixerit. sed hoc ille plus fecit, quod et mustis dicit: cum (ut diximus) de his nominibus tres tantum casus usurpari consueverint.* usus et Tibullus et alii. vid. Broukh. ad Tibul. i. i. 6. et i. v. 24. vid. ii. Art. 695. et Quinct. i. Inst. i. BURM.

13. *Battiades.*] Callimachus, Batti filius. Hic floruit tempore Ptolemæi Philadelphi, Olymp. cxxvii. Auctor Suidas. CIOFANUS. Non Batti filius, sed Cyrenaicus, ab Aristæo sive Batto, conditore Cyrenarum. BURM.

16. *Cum Sole et Lunâ.*] Hæc non tantum apte Arato, quia Astronomica scripsit, accommodantur, sed etiam quia erant symbola æternitatis; ut ita in nummis conspici docuit Tristanus tom. i. Comm. Hist. pag. 381. BURMANNUS. *Semper Aratus erit.* Græce scripsit de Astronomia carmen, quod magno in pretio apud veteres fuit, quamvis de eo Quintil. l. c. "Arati materia motu caret, ut in qua nulla varietas, nullus affectus, nulla persona, nulla cujusquam sit oratio: sufficit tamen operi, cui se parem credidit." Neque hoc certe laus ultima! Φαινομένα (hic enim operis titulus) latinitate et metrico sermone donarunt Cicero, Germanicus-Cæsar et Festus Avienus. AMAR.

18. *Blanda.*] Ita Thaïda Menandri describit Plutarchus in Excerptis apud Stobæum Grotianis, pag. 16. BURM.

Z 4

Ennius arte carens, animosique Accius oris,
Casurum nullo tempore nomen habent.
Varronem primamque ratem quæ nesciat ætas,
Aureaque Æsonio terga petita duci?
Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucretî,
Exitio terras cum dabit una dies.
Tityrus, et fruges, Æneïaque arma legentur,
Roma, triumphati dum caput orbis eris.
Donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma,
Discentur numeri, culte Tibulle, tui.
Gallus et Hesperiis, et Gallus notus Eoïs,
Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.
Ergo, cum silices, cum dens patientis aratri,
Depereant ævo, carmina morte carent.
Cedant carminibus Reges, Regumque triumphi:
Cedat et auriferi ripa beata Tagi.
Vilia miretur vulgus. mihi flavus Apollo
Pocula Castaliæ plena ministret aquæ,

19. *Animosi oris.*] Vel propter sublimitatem carminis, vel propter fiduciam sui, de qua vide Val. Max. lib. iii. cap. viii. ex ii. Bersmannus. *Animosum os* est violentum; vid. infr. ad lib. ii. Eleg. xvii. 7. hinc *Atrocem* vocat. lib. ii. Trist. 359.

25. *Tityrus.*] Virgilii Bucolica significat. Sic lib. iv. De Ponto:

Tityrus antiquas et erat qui pasceret herbas. Ciof.

Et segetes.] *Et fruges* meliores libri. rectius haud dubie, quo omne Georgicôn argumentum est complexus: *Fruges* enim et ad arborum fœtus referebantur. Heinsius. Sed cum tria Poëmatum Maronis principia in unum cogat, videtur haud temere *segetes* repudiandum. solebant enim totum Poëma ab initio denominare; ut *iram Achillis,* Iliada vocasse notum est. Burm.

28. *Discentur.*] Ita legendum, quidquid codices obturbent, quorum multi, *dicentur.* nam pueri et puellæ his carminibus imbuebantur, sic puellis commendat Tibullum iii. Art. 334. et legi eum passim dicit ii. Trist. 463. Burm.

29. *Notus Eoïs.*] Ita i. Art. 537.

Vesper et Eoæ novere Lycorida terræ.

Credo propter Præfecturam, quam in Ægypto gesserat, quæ ad Orientem. Douza. Vid. ad iii. Amor. ix. 63.

34. *Tagi.*] Tagus: fluvius est Lusitaniæ, ob arenas auriferas cæteris ejusdem regionis amnibus ante fertur.

Sustineamque comâ metuentem frigora myrtum:
Atque a sollicito multus amante legar.
Pascitur in vivis Livor: post fata quiescit,
Cum suus ex merito quemque tuetur honos.
Ergo etiam, cum me supremus adederit ignis,
Vivam: parsque mei multa superstes erit.

P. OVIDII NASONIS
AMORUM
LIBER SECUNDUS.

ELEGIA I.

Hoc quoque composui, Pelignis natus aquosis,
Ille ego nequitiæ Naso Poëta meæ.
Hoc quoque jussit Amor. procul hinc, procul este
Non estis teneris apta theatra modis. [severæ:
Me legat in sponsi facie non frigida virgo:
Et rudis ignoto tactus amore puer.
Atque aliquis juvenum, quo nunc ego, saucius arcu,
Agnoscat flammæ conscia signa suæ:
Miratusque diu, Quo, dicat, ab indice doctus
Composuit casus iste Poëta meos?

1. *Pelignis natus.*] Medii Peligni Marsos inter et Marucinos; a Samnitibus quidem oriundi, sed origine, ut putabant, Illyrica. Amar.

Aquosis.] *Aquosos* vocat, quod ibi multi sunt fontes, et fluvii: ut fluvius Gyptius, et Vella, ut nunc loquimur: hi præter Sulmonis mœnia labuntur, alius qui Amversam oppidum, quod tuo, *Karole Belprate*, imperio paret; (hic autem, et Gyptius ab Aufeia aqua manat) alius non longe a Cœnobio Sancti Spiritus, qui ab Amoris fonte, de quo infra, fluere incipit; alii duo, qui ad tria stadia a Populio erumpunt; alius vero Aternus, qui omnibus his, quos dixi, fluviis mirandum in modum auctus, idem Populium præterlabitur. Ciof.

2. *Ille ego nequitiæ Naso poeta meæ.*] Forte *tuæ*, inquit Heinsius, ut lectorem adloquatur. Quod non ita temere conjectum putaverim: nam paulo post, 9, et 10. ipsum lectorem inducit poeta quærentem,

——— *Quo ab indice doctus*
Composuit casus iste poeta meos?
Amar.

Ausus eram (memini) cœlestia dicere bella,
Centimanumque Gygen; et satis oris erat:
Cum male se Tellus ulta est, ingestaque Olympo
Ardua devexum Pelion Ossa tulit.
In manibus nimbos, et cum Jove fulmen habenti,
Quod bene pro cœlo mitteret ille suo,
Clausit amica fores. ego cum Jove fulmen omisi.
Excidit ingenio Jupiter ipse meo.
Jupiter, ignoscas: nil me tua tela juvabant.
Clausa tuo majus janua fulmen erat.
Blanditias elegosque leves, mea tela, resumsi;
Mollierunt duras lenia verba fores.
Carmina sanguineæ deducunt cornua Lunæ;
Et revocant niveos Solis euntis equos.
Carmine dissiliunt, abruptis faucibus, angues,
Inque suos fontes versa recurrit aqua.

12. *Centimanumque Gygen.*] Certe unus Palatinus, *Giam:* alii plures, *Gygam.* Rottendorph. *Gian.* Apollodorus initio Bibliothecæ: Οὐρανὸς πρῶτος τοῦ παντὸς ἐδυνάστευσε κόσμου. γήμας δὲ Γῆν, ἐτέκνωσε πρώτους τοὺς Ἑκατόγχειρας προσαγορευθέντας, Βριάρεων, Γύην, Κόττον. Sed quum ceteri auctores, Hesiodus nempe in Theogonia, ejusque ac Apollonii Rhodii Scholiastes; Palæphatus, auctor Etymologici in Τριτοπάτορες, et alii Γύγην appellent, Hygino etiam *Gyges* sit, Apollodorum potius ex his emendandum, quam hos ex Apollodoro, parum abest quin censeam. Heins. Amar.

15. *Jupiter in manibus.*] Sarravianus, Arondelianus, et quinque alii, cum prima editione:

In manibus nimbos et cum Jove fulmen habebam.

Recte. Neque aliter Puteaneus, nisi quod in illo vox *nimbos* desideratur. unde natus error. Ceteri codices, *Jupiter in manibus.* duo præterea, *habebat.* unus Moreti, *habenti.* optime. refer ad sequentia:

In manibus nimbos et cum Jove fulmen habenti,
Clausit amica fores. Heins.

17. *Fulmen omisi.*] Ego codicum Ciofani, et Aldinæ, Micyllianæ, et Bersmannianæ Editionum fidem sequor, *fulmen omisi.* cum quia præcedenti versu *fulmen* est, quod hic non recte in *fulmina* transire videtur; tum præcipue, ut ambiguitas vitetur. quia *fulmina mittere,* sollemnis est locutio, pro jacere, ex cœlo demittere, et hoc Poëtæ menti repugnat. *omittere* vero proprie est de manibus demittere, Senec. Agam. 241.

Proinde omisi regimen e manibus meis. Burm.

Carminibus cessere fores: insertaque posti,
Quamvis robur erat, carmine victa sera est.
Quid mihi profuerit velox cantatus Achilles?
Quid pro me Atrides alter et alter agant?
Quique tot errando, quot bello, perdidit annos?
Raptus et Hæmoniis flebilis Hector equis?
At, facie teneræ laudatâ sæpe puellæ,
Ad vatem, pretium carminis, ipsa venit.
Magna datur merces. heröum clara valete
Nomina: non apta est gratia vestra mihi.
Ad mea formosæ vultus adhibete puellæ
Carmina, purpureus quæ mihi dictat Amor.

ELEGIA II.

Quem penes est dominam servandi cura, Bagoë,
Dum perago tecum pauca, sed apta, vaca.
Hesternâ vidi spatiantem luce puellam,
Illa, quæ Danaï porticus agmen habet.

30. *Quid pro me Ajaces.*] In quibusdam *Atrides*, non *Ajaces*. utrumque rectum. NAUGERIUS. Nonnulli codices loco *Ajaces*, *Atrides* habent. Quæ lectio si tibi placet, ô lector, de Agamemnone et Menelao dictum accipe, qui ab Atreo genus trahebant. de quibus Maro lib. ii. Æneid. 500. dixit:
Geminosque in limine Atridas.
MARIUS.

31. *Quique.*] Ulyssem dicit, qui decem annos bello Trojano impendit: decem alios, dum plura videndi studio per terrarum orbem erraret, consumpsit: et tandem post vigesimum annum, uxorem revisit.

35. *Heroum clara valete nomina.*] Respicit illa Anacreontis Ode i.
Χαίροιτε λοιπὸν ἡμῖν
Ἡρώες, ἡ λύρη γὰρ
Μόνους ἐρωτας ᾄδει. BURM.

---

1. *Bagoë.*] In Barbarino codice erat glossa, *lingua Persica dicitur Spado.* et ita apud Curtium sæpe occurrit. *Bagous* vero a Latinis etiam dicitur pro *Bagoas.* Vocabulum esse Chaldaicum, et ejus originem docet Codurcus ad Jobi cap. xxx. 5. vide et ad Quinctil. v. 12. BURM.

4. *Illa, quæ Danaï porticus agmen habet.*] Porticum Apollinis intelligit.

x Pliny tells us this (H. N. XIII. 9.)

Protinus, ut placuit, misi, scriptoque rogavi.
Rescripsit trepidâ, Non licet, illa manu.
Et, cur non liceat, quærenti reddita caussa est;
Quod nimium dominæ cura molesta tua est.
Si sapis, ô custos, odium (mihi crede) mereri
Desine. quem metuit quisque, perîsse cupit.
Vir quoque non sapiens: quid enim servare laboret,
Unde nihil, quamvis non tueare, perit?
Sed gerat ille suo morem furiosus amori:
Et castum, multis quod placet, esse putet.
Huic furtiva tuo libertas munere detur;
Quam dederis illi, reddat ut illa tibi.
Conscius esse velis: domina est obnoxia servo.
Conscius esse times: dissimulare licet.
Scripta leget secum: matrem misisse putato.
Venerit ignotus: postmodo notus eat.
Ibit ad adfectam, quæ non languebit, amicam
Visere; judiciis ægra sit illa tuis.

8. *Quod nimium dominæ cura molesta tua est.*] Censeo scribendum, *tuæ es.* Tò *est* enim inconcinne duriterque geminetur hoc disticho. HEINS.

9. *Custos.*] Cum odio pronuntiandum. ita Tertul. de Pœnit. cap. vi. *Custos corporum.*

10. *Quem metuit quisque, perîsse cupit.*] Non dissimilem sententiam continet trochaicus ille Ennianus:

Quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, perisse expetit. CIOF.

13. *Furiosus.*] Junianus, *fumosus.*

14. *Esse putet.*] Vetus et verior lectio, *ipse putet.* habet enim emphasin *ipse,* quasi diceret, stultus et insipiens: nam alii hoc non putarent. MARIUS.

15. *Furtiva libertas.*] Quam tibi, quum minime speraveris, et quasi *furtim* donabit.—*Tuo munere.* In officii vicem quod illi præstiteris, si quid de tua vigilantia remiseris. AMAR.

16. *Quam dederis.*] De ultimæ syllabæ productione hic bene et multis Marius, vide supr. ad Epist. vii. 53.

21. *Ibit ut adfectam, quæ non languebit, amicam Visat. judiciis ægra sit ille tuis.*] Scribe:

Ibit ad adfectam, quæ non languebit, amicam
Visere? judiciis ægra sit illa tuis.

Ibit visere Græcismus Poëtis, maxime Propertio, familiaris. de quo ad Claudianum ii. in Rufin. 98. *adfecta amica* pro ægra, aut quæ se ægram simulet, recte dicitur. *Visere ad aliquem,* etiam elegans loquendi modus, Terentio Plautoque non neglectus. Lucret. lib. vi. 1236.

Nam quicumque suos fugitabant visere ad ægros. HEINS.

Vid. ad Epist. iii. 104.

22. *Judiciis.*] Legendum est om-

Si faciet tarde, ne te mora longa fatiget,
Impositâ gremio stertere fronte potes.
Nec tu, linigeram fieri quid possit ad Isin, 25
Quæsieris: nec tu curva theatra time.
Conscius adsiduos commissi tollet honores.
Quis minor est autem, quam tacuisse, labor?
Ille placet, versatque domum, neque verbera sen-
Ille potens: alii, sordida turba, jacent. [tit:
Huic, veræ ut lateant caussæ, finguntur inanes: 31
Atque ambo domini, quod probat una, probant.
Cum bene vir traxit vultum, rugasque coëgit,
Quod voluit fieri blanda puella, facit.
Sed tamen interdum tecum quoque jurgia nectat;
Et simulet lacrimas, carnificemque vocet. 36

nino, *judiciis*, sine copulativa conjunctione *et*, ut est in vetustis codicibus. id est fingas te existimare dominam esse ægrotam. MARIUS.

23. *Si faciet tarde.*] Pro Sacrificabit explicabat Douza et Bersmannus, nota verbi significatione. melius, quam Marius et alii, *faciet sui copiam tibi.* quod ineptum.

25. *Linigeram.*] Quia ejus Sacerdotes lineis vestibus induti celebrabant. MARIUS.

27. *Assiduos.*] Recte, licet priscæ editiones, *assiduus:* conscius commissi, id est *criminis*, tollet assiduos honores. est vero locutio non obvia, *tollere honores*, pro capere, ferre; desumta a frugibus, quas ex agris tollimus. de qua ad lib. v. Metam. 131. agemus, *tollet amores* Moreti et quidam alii. BURM.

29. *Versatque domum.*] Puto, *servatque.* Illi cura domûs committitur. nisi malis, *servatque domi.* ut apud Comicum, *Solus Sannio servat domi.* HEINSIUS. Sed tantusne ille honor, ut solus, tamquam Sannio, servet domi, quod vilissimo cuique, et ad alia officia inepto servo committi potest? multo certe elegantior lectio, *versatque domum*, id est pro arbitrio in tota familia regnat, agitat reliquos servos, et iis imperat. BURM.

30. *Ille placet dominæ, sordida turba jacent.*] Puteaneus, Mentelianus, et Arondelianus:

Ille potens, alii sordida turba jacent.

Quod sequor. nam *placet* jam præcesserat. HEINS.

32. *Ambo domini.*] Nihil hic variant codices. Marius explicat, puella et custos conscius. sed qua ratione Eunuchus titulo, *domini*, communi cum amica Ovidii insigniri possit non video. Lego:

Atque ambo domino, quod probat una, probant.

Conjuncta opera et ex compacto marito uxor adultera et conscius Eunuchus persuadent, id, quod puella voluerit. *Probare alicui* elegans locutio. vid. Cicer. i. Verrin. 6. BURM.

Tu contra objiciens, quæ tuto diluat illa,
  In verum falso crimine deme fidem.
Sic tibi semper honos, sic curta peculia crescent:
  Hæc face, et exiguo tempore liber eris.
Adspicis indicibus nexas per colla catenas:
  Squalidus orba fide pectora carcer habet.
Quærit aquas in aquis, et poma fugacia captat
  Tantalus: hoc illi garrula lingua dedit.
Dum nimium servat custos Junonius Iö,
  Ante suos annos occidit; illa Dea est.
Vidi ego compedibus liventia crura gerentem,
  Unde vir incestum scire coactus erat.
Pœna minor merito. nocuit mala lingua duobus.
  Vir doluit; famæ damna puella tulit.
Crede mihi; nulli sunt crimina grata marito:
  Nec quemquam, quamvis audiat illa, juvant.
Seu tepet, indicium securas perdis ad aures;
  Sive amat, officio fit miser ille tuo.
Culpa nec ex facili, quamvis manifesta, probatur.
  Judicis illa sui tuta favore venit.
Viderit ipse licet; credet tamen ipse neganti:
  Damnabitque oculos; et sibi verba dabit.

39. *Sic tibi semper honos, sic alta pecunia crescet.*] *Sic alta peculia crescent* optime Puteaneus, cum ejusdem Excerptis, et quinque alii codices. nisi quod Jureti Excerpta, *sic orta peculia crescent.* Lego, *sic curta peculia crescent.* quomodo *curtæ res* apud Horatium iii. Od. 24.

Curtæ nescio quid semper abest rei.
Heins.

Ex vestigiis Puteanei et Jureti, cum quo facit Francofurtensis, melius legeretur, *arta peculia*, ut veteres scripsisse, non *arcta* docet Broukh. ad Tibul. lib. i. Eleg. v. 53. Burm.

45. *Dum.*] Argi exemplo dicit non tam sævam esse debere custodum diligentiam.

53. *Prodis.*] *Perdis* Puteaneus, et alii multi. Jureti Excerpta, *pergit.* nihil temere mutandum. vid. lib. i. Eleg. vi. 41. Heinsius. Mihi *perdis* impense placet. id est frustra indicas; nullam ex indicio utilitatem vel fructum capis. ut *verba perdere* Epist. vii. 6. et iii. Amor. ii. 71. *vota.* et quo sensu toties Noster τῷ *perdere* utitur. vid. ad Quinctilian. Declam. i. 10. et iv. 7. Burm.

Adspiciat dominæ lacrimas; plorabit et ipse:
Et dicet, Pœnas garrulus iste dabit.
Quam dispar certamen inis! tibi verbera victo
Adsunt: in gremio judicis illa sedet.
Non scelus adgredimur: non ad miscenda coïmus
Toxica: non stricto fulminat ense manus.
Quærimus, ut tuto per te possimus amare.
Quid precibus nostris mollius esse potest?

ELEGIA III.

Hei mihi, quod dominam, nec vir nec femina, servas;
Mutua nec Veneris gaudia nosse potes!
Qui primus pueris genitalia membra recidit;
Vulnera, quæ fecit, debuit ipse pati.
Mollis in obsequium, facilisque rogantibus esses;
Si tuus in quâvis prætepuisset amor.
Non tu natus equo, non fortibus utilis armis:
Bellica non dextræ convenit hasta tuæ.
Ista mares tractent: tu spes depone viriles.
Sint tibi cum dominâ signa ferenda tuâ.
Hanc imple meritis: hujus tibi gratia prosit.
Si careas illâ, quis tuus usus erit?
Est etiam facies, sunt apti lusibus anni.
Indigna est pigro forma perire situ.

61. *Quam dispar certamen inis,* &c.] Simili omnino argumentatione utitur Palæstrio, apud Plauti Militem Glor. Act. ii. Sc. iii. 22. ut ab insimulando *Philocomasio* Sceledrum deterreat. Amar.

---

1. *Hei mihi, quod dominam nec vir, nec femina servas.*] Castratum, aut Thlibiam, non Spadonem intelligit. De his autem omnium optime disserit Theophilus lib. i. Institut. tit. xi. de adoptionibus. Ciof.

3. *Qui primus pueris genitalia membra recidit.*] Semiramis. Vide quæ notavi lib. iv. Metamorph. Ciofanus. Tale Panionii supplicium narrat Herodot. lib. viii. c. 105. et sq.

Fallere te potuit, quamvis habeare molestus:
Non caret effectu, quod voluere duo.
Aptius ut fuerit precibus tentasse, rogamus:
Dum bene ponendi munera tempus habes.

ELEGIA IV.

Non ego mendosos ausim defendere mores;
Falsaque pro vitiis arma movere meis.
Confiteor; si quid prodest delicta fateri:
In mea nunc demens crimina, fassus, eo.
Odi: nec possum cupiens non esse, quod odi.
Heu quam, quæ studeas ponere, ferre grave est!
Nam desunt vires ad me mihi jusque regendum.
Auferor, ut rapidâ concita puppis aquâ.
Non est certa meos quæ forma irritet amores.
Centum sunt caussæ, cur ego semper amem.
Sive aliqua est oculos in se dejecta modestos;
Uror: et insidiæ sunt pudor ille meæ.

18. *Bene ponendi.*] *Bene præstandi* Scriverianus, quod glossatoris est: locutio enim a fœneratoribus desumta, qui *ponunt pecuniam*; ut Horat. Epod. ii. vers. ult. et Terent. Adelph. ii. 2. *Fœnerare* dixit. ut autem omnia hujus distichi membra inter se cohæreant, et sensus commodus, quem in vulgata lectione vix video, oriatur, mallem in priori versu legere:

Aptius ut fuerit pretio tentare, rogamus.

Licet forte brevior via et aptior esset te tentare pecunia, malumus tamen te rogare, dum tempus habes beneficium hoc bene ponendi, antequam te præterito fallere te instituat domina tua quo facto, nec gratiam, nec pecuniam auferes. *Pretium* vero in *preces* transiit ex consueta illa formula, *vel prece vel pretio.* vid. Horat. ii. Epist. ii. 173. et Nostrum lib. ii. Fast. 806. Burm.

---

1. *Ausim.*] Pro *auderem* antiquum est, sed quo tamen elegantissime nunc utimur. Marius.

8. *Auferor.*] Scilicet a mala mente. Flor. ii. 6. *In diversum abstulerunt.* vid. ad Epist. vi. 131.

12. *Insidiæ sunt...meæ.*] Quibus capior. Amar.

Sive procax aliqua est; capior, quia rustica non
Spemque dat in molli mobilis esse toro. [est:
Aspera si visa est, rigidasque imitata Sabinas;
Velle, sed ex alto dissimulare, puto.
Sive es docta; places raras dotata per artes:
Sive rudis; placita es simplicitate tuâ.
Est, quæ Callimachi præ nostris rustica dicat
Carmina: cui placeo, protinus ipsa placet.
Est etiam, quæ me vatem, et mea carmina culpet:
Culpantis cupiam sustinuisse femur.
Molliter incedit; motu capit. altera dura est;
At poterit tacto mollior esse viro.
Hæc quia dulce canit, flectitque facillima vocem;
Oscula cantanti rapta dedisse velim.
Hæc querulas agili percurrit pollice chordas;
Tam doctas quis non possit amare manus?

15. *Rigidasque imitata Sabinas.*] Juvenal. Sat. x. 293.

— *Rara est adeo concordia formæ*
Atque pudicitiæ. sanctos licet horrida mores
Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinas. Heins.

16. *Velle, sed ex alto dissimulare puto.*] *Ex toto* Palatinus alter. ut Epist. xvi. 158. *Nec Venus ex toto nostra fuisset iners.* male tamen; neque expositiones commentatorum placent satis. *Ex alto* est enim profunde simulans. ut subintelligatur, *pectore.* Burm.

22. *Femur.*] *Femen* Neapolitanus. sed illud in usu non esse docet Charisius, cum *feminis*, et *femini*, et *feminum* dicatur, plura ad Maronem diximus Æneid. x. 788. Heinsius.

23. *Molliter incedit; motu capit: altera dura est.*] *Incessit* Puteaneus et alii plures. deinde scribo, *altera dure.* scilicet incedit. et sequenti versu, *poterat mollius isse*, pro *mollior esse.* Remed. Amor. 357.

Duriter incedit? fac ambulet.

Et Art. lib. iii. 305.

——— *Rusticus alter*
Motus in incessu, mollior alter erit. Heinsius.

Altera dura est. Ingeniose quidem Heinsius. *dure*, pro *dura est*, legendum proposuit. Præsumsit enim exquisitissimi vir judicii poetæ mentem esse, puellas omnes sibi placere, seu *molliter* incedant, sive *dure;* et unum sic alteri opponendum. Sed quid tum de sequenti versu:

— *Poterit tacto mollior esse viro?*

Unde patet, non hic agi de incessu *duro*, sed de motuum corporis rigiditate. Quis sui non, in conjiciendo, diffidat, quum usque adeo errare ipsum Heinsium deprehenderit? Amar.

27. *Habili.*] *Agili* rectius Excerpta Jureti ac Puteani et tres scripti. *prætendet* unus Palatinus. forte, *prætentat*, ut Editio prima habet, et duo scripti. Metam. v. 338.

Illa placet gestu, numerosaque brachia ducit,
Et tenerum molli torquet ab arte latus:
Ut taceam de me, qui caussâ tangor ab omni,
Illic Hippolytum pone; Priapus erit.
Tu, quia tam longa es, veteres Heroïdas æquas:
Et potes in toto multa jacere toro.
Hæc habilis brevitate suâ. corrumpor utrâque.
Conveniunt voto longa brevisque meo.
Non est culta; subit quid cultæ accedere possit.
Ornata est; dotes exhibet illa suas.
Candida me capiet, capiet me flava puella:
Est etiam fusco grata colore Venus.
Seu pendent niveâ pulli cervice capilli;
Leda fuit nigra conspicienda comâ.
Seu flavent; placuit croceis Aurora capillis.
Omnibus historiis se meus aptat amor.
Me nova sollicitat, me tangit serior ætas:
Hæc melior specie corporis: illa sapit.

Calliope querulas prætentat pollice chordas. HEINSIUS.
Percurrit agili melius convenit. *Prætentare* enim segnior et lentior potest. notum illud Homeri Iliad. A. 71. Ἱστὸν ἐποιχομένην. vid. Meurs. Spicil. ad Theocr. Idyl. xviii. BURM.

41. *Pulli.*] *Nigri* in uno Maffeian. CIOFANUS. In uno Moreti erat, *mori*, forte pro *Mauri*, quod recentiori librario tribuendum.

42. *Leda fuit nigra conspicienda coma.*] Capillus niger, et oculus niger in puellis summe commendantur. Horatius in libello de Arte Poëtica 37.

Spectandum nigris oculis nigrosque capillos. CIOF.

43. *Aurora.*] *Europa* codex Douzæ.

45. *Me nova sollicitat, me tangit, &c.*] Aptissimus hic, ut passim, ne dicam ubique apud Nostrum, verborum delectus. *Sollicitat* quippe *novum* quidquid: *tangit* vero, id est, altius impressum descendit, quidquid ætate maturius. AMAR.

46. *Hæc melior specie, moribus illa placet.*] *Corporis illa placet* Puteaneus et alii nonnulli. sed recte sex scripti:

Hæc melior specie corporis: illa sapit. HEINS.

Ita et Francofurt. *sapit* hic explicari debet ex ii. Art. Am. 675. et seqq. ita in Priapejis carm. vii. *Nimirum sapiunt* &c. vide supr. ad Epist. iv. 96. non recte vero hic Naso pulchritudinem opponere *moribus* videtur, quia illi pro pudicitia sæpius sumuntur, ut Epist. xvii. 172. et alibi. neque Poeta Noster hic iterum poterat dicere se amare pudicam, de qua jam vers. 15.

Denique quas totâ quisquam probet Urbe puellas,
Noster in has omnes ambitiosus amor.

ELEGIA V.

Nullus amor tanti est; (abeas, pharetrate Cupido)
Ut mihi sint toties maxima vota mori.
Vota mori mea sunt, cum te peccasse recordor.
Hei mihi, perpetuum nata puella malum!
Non mihi deletæ nudant tua facta tabellæ:
Non data furtive munera crimen habent.
O utinam arguerem sic, ut non vincere possem!
Me miserum! quare tam bona caussa mea est?
Felix, qui quod amat defendere fortiter audet:
Cui sua, Non feci, dicere amica potest.
Ferreus est, nimiumque suo favet ille dolori,
Cui petitur victâ palma cruenta reâ.
Ipse miser vidi, cum me dormire putares,
Sobrius adposito crimina vestra mero.
Multa supercilio vidi vibrante loquentes.
Nutibus in vestris pars bona vocis erat.
Non oculi tacuere tui, conscriptaque vino
Mensa; nec in digitis litera nulla fuit.
Sermonem agnovi, quod non videatur, agentem;
Verbaque pro certis jussa valere notis.

egerat. sed lasciviorem. quare ego non alienus essem ab hac lectione, quæ exhiberet:

Hæc melior specie, motibus illa placet.
Ut eadem hic sit diversitas inter duas puellas, quæ inter Phlogida et Chionen apud Martial. lib. xi. Epigr. 61. Burm.

14. *Apposito mero.*] In Excerptis Puteani erat, *apposita manu.* forte pro *opposita.* ut status dormientis in triclinio, manu ad os et oculos opposita, ndicetur. vide ad Petron. cap. lxvi. Burm.

16. *Pars bona.*] *Pars quota* conjecerat et hic Heinsius, ut alibi, sed *pars bona* usitatissimum est pro magna. Ter. Eunuch. i. 2. et quis non? Burm.

19. *Quod non videatur agentem.*] Amatores enim pluribus præsentibus,

Jamque frequens iërat mensâ conviva remotâ:
  Compositi juvenes unus et alter erant.
Improba tum vero jungentes oscula vidi.
  Illa mihi linguâ nexa fuisse liquet.
Qualia nec fratri tulerit germana severo;
  Sed tulerit cupido mollis amica viro:
Qualia credibile est, nec Phœbum ferre Dianæ;
  Sed Venerem Marti sæpe tulisse suo.
Quid facis, exclamo; quo nunc mea gaudia defers?
  Injiciam dominas in mea jura manus.
Hæc tibi sint mecum, mihi sint communia tecum.
  In bona cur quisquam tertius ista venit?
Hoc ego; quæque dolor linguæ dictavit: at illi
  Conscia purpureus venit in ora pudor,
Quale coloratum Tithoni conjuge cœlum
  Subrubet, aut sponso visa puella novo.
Quale rosæ fulgent inter sua lilia mixtæ:
  Aut ubi cantatis Luna laborat equis:
Aut quod, ne longis flavescere possit ab annis,
  Mæonis Assyrium femina tinxit ebur.
His erat, aut alicui color ille simillimus horum:
  Et numquam casu pulchrior illa fuit.

aut historiam, aut fabellam aliquam, et amorem narrant, et sub alieno nomine de se et amica præsente loquuntur, ne eorum amores deprehendantur. Quod fecit Paris, ut ipse apud Ovid. in Epist. ad Helenam testatur. MARIUS. Latet aliquid. HEINSIUS. Ego vulgatam non repudiarem, tot scriptis codicibus firmatam. agnovi sermonem, agentem aliud, quam videbatur præ se ferre: verba enim dubia et ambigua me non fallebant. nec morari debet, quod sermo magis auditur, quam videtur, cum *quod non videatur* significet, quod non appareret; aliud agebatur sermone, quam quod verba præ se ferebant. BURM.

21. *Frequens iërat mensâ conviva relictâ.*] Scribe, *remotâ* cum septem scriptis. ita enim moris erat, ut mensæ post finitum convivium removerentur.

23. *Improba tunc.*] *Nunc* Vaticanus et Scriverii. vid. ad Epist. xii. 53. præterea Francof. et Moreti unus, *vere*, id est, vere improba, *bona fide*, ut Petronius cap. xi. et cx. loquitur. BURM.

40. *Mæonis.*] Vid. ad Claud. i. Rapt. Pros. 274.

Spectabat terram; terram spectare decebat.
Mœsta erat in vultu; mœsta decenter erat.
Sicut erant, (et erant culti) laniare capillos,
Et fuit in teneras impetus ire genas.
Ut faciem vidi, fortes cecidere lacerti:
Defensa est armis nostra puella suis.
Qui modo sævus eram, supplex ultroque rogavi,
Oscula ne nobis deteriora daret.
Risit et ex animo dedit optima: qualia possent
Excutere irato tela trisulca Jovi.
Torqueor infelix, ne tam bona sumserit alter:
Et volo non ex hac illa fuisse nota.
Hæc quoque, quam docui, multo meliora fuerunt;
Et quiddam visa est addidicisse novi.
Quod nimium placuere, malum est: quod tota labellis
Lingua tua est nostris, nostra recepta tuis.
Nec tamen hoc unum doleo: non oscula tantum
Juncta queror; quamvis hæc quoque juncta queror:
Illa, nisi in lecto, nusquam potuere doceri.
Nescio quis pretium grande magister habet.

ELEGIA VI.

Psittacus, Eois imitatrix ales ab Indis,
Occidit. exsequias ite frequenter, aves.

54. *Et volo non ex hac illa.*] Vel, *vellem* unus Moreti. Lege:

Et vellem ex hac non illa fuisse nota. Vel, *Deque velim non hac illa fuisse nota.* Heinsius. *Ex nota* mutandum non est; ita Petronius et alii locuti. vide quæ notavimus ad Petronii cap. lxxxiii. quare rectius rescripsisset Heinsius, *Eque nota non hac illa fuisse velim*, ut Francius volebat.

61. *Numquam.*] In quodam manuscripto exemplari legitur, *nusquam:* ut sit loci, non temporis, quod sensui aptissimum videtur. Marius. *Nusquam* Puteaneus et alii nonnulli. recte. Heinsius.

---

1. *Psittacus Eois ales mihi missus ab Indis Occidit.*] Hanc Elegiam imitatus videtur Statius in morte Psittaci Melioris. lib. ii. Silv. 4. Ciofanus. *Imitatrix ales ab Indis* probe Putea-

Ite, piæ volucres, et plangite pectora pennis;
Et rigido teneras ungue notate genas.
Horrida pro mœstis lanietur pluma capillis:
Pro longâ resonent carmina vestra tubâ.
Quid scelus Ismarii quereris, Philomela, tyranni?
Expleta est annis ista querela suis.
Alitis in raræ miserum devertite funus.
Magna, sed antiqui, caussa doloris Itys.
Omnes, quæ liquido libratis in aëre cursus;
Tu tamen ante alias, turtur amice, dole.
Plena fuit vobis omni concordia vitâ,
Et stetit ad finem longa tenaxque fides.

neus, et Regius, et unus Moreti, et tres quatuorve alii, cum Arondeliano. quod Brissonius in addit. ad Formulas et Carrion lib. i. Emend. 6. et Voss. de Analogia jam monuerunt. Statius:

Humanæ sollers imitator Psittace linguæ.

Ψιττακὸς ὁ βροτόγηρυς in Anthologia lib. i.

2. *Exequias ferte.*] Minus hoc Latinum. quanquam Prudentius passione Eutaliæ:

Ipsa elementa jubente Deo
Exequias tibi, virgo, ferunt.

Et sane iidem libri, *exequias ite.* quod verum est. Heins.

3. *Plangite.*] *Et passis plangite pennis* Arondelianus, sic *passæ comæ* frequentur apud Nostrum. Heins.

5. *Horrida pro mæstis,* &c.] Qua figura *mœsti* capilli possint hic dici, *vix videt* Burmann. et *culti* malit, "qui eleganter, inquit, *horridæ plumæ* opponerentur." Figura poetis usitatissima *mœsti* dicuntur capilli, quia, quum incomti, præsertimque *laniati,* haud dubia *mœstitiæ* signa præferunt. Amar.

6. *Pro longa resonent carmina vestra tuba.*] *Longa:* aut prolixe sonanti, aut (quod magis placet) directa. Nam et cornicines in funeribus adhibebantur. Marius. Mallem, *pro longa resonent carmina rostra tuba;* rostra loco tubæ resonent lugubria carmina: *resonare* enim cum accusativo casu construunt. Burm.

9. *Miserum divertite funus.*] *Devertite* scripti. Lege, *devertere.* ad Philomelam enim sermo est. quod ex versu proxime sequenti satis apparet. Heinsius. Douza legebat, *divertito,* male. vide quæ olim notavimus ad Petron. cap. x. Burm.

12. *Turtur amice dole.*] Est enim naturalis quædam inter turtures et psittacos amicitia. Plin. lib. x. cap. 74. Noster Epist. xv. 38.

Et niger a viridi turtur amatur ave.
Burm.

13. *Plena fuit.*] Imitatus Claudian. Bell. Gild. 4.

——— *Concordia Fratrum*
Plena redit.

Omni vitæ habebat alter Puteaneus. Burm.

Quod fuit Argolico juvenis Phoceus Orestæ:
Hoc tibi, dum licuit, Psittace, turtur erat.
Quid tamen ista fides? quid rari forma coloris?
Quid vox mutandis ingeniosa sonis?
Quid juvat, ut datus es, nostræ placuisse puellæ?
Infelix avium gloria, nempe jaces.
Tu poteras virides pennis hebetare Zmaragdos,
Tincta gerens rubro punica rostra croco.
Non fuit in terris vocum simulantior ales:
Reddebas blæso tam bene verba sono.
Raptus es invidiâ. non tu fera bella movebas:
Garrulus, et placidæ pacis amator eras.
Ecce, coturnices inter sua prœlia vivunt:
Forsitan et fiant inde frequenter anus.
Plenus eras minimo: nec præ sermonis amore
In multos poteras ora vacare cibos.
Nux erat esca tibi; caussæque papavera somni:
Pellebatque sitim simplicis humor aquæ.
Vivit edax vultur, ducensque per aëra gyros
Miluus, et pluviæ graculus auctor aquæ.

18. *Mutandis notis.*] Antiquior lectio mihi magis probatur. quæ est, non *notis*, sed *sonis*, id est modulis. Marius.

20. *Nempe jaces.*] Eleg. Palatinus, *taces*, quod garrulæ avi convenientius.

21. *Virides pennis hebetare Zmaragdos.*] Zmaragdi proprie virides. Scripti tamen meliores magna ex parte, et in ihs Puteaneus, *fragiles*. Heinsius. Licet *fragiles* recte dici possint Zmaragdi, et a Plinio quoque dicantur, propter adjunctum tamen verbum, *hebetare*, requiritur hic vox, quæ colorem lucidum notet, et ita *virides* retinuimus et defendimus pluribus ad Petron. cap. lv. Burm.

29. *Plenus eras minimo.*] Francof. *Parcus eras potu:* et certe sequens distichon indicat præcedere debuisse cibum et potum. legi posset, *parcus eras potus.* ut *parcus somni, vini;* et similia. Burm.

30. *In multos poteras ora vocare cibos.*] Ita multi ex scriptis. at Puteaneus et Arondelianus, *poteras ora vacare.* eleganti Græcismo. quod et in suis Dominicus Marius Niger videtur invenisse.

33. *Vivit edax vultur, ducitque per aëra gyros Miluus.*] Apertissime ita scriptum repperi in iisdem lib. In impressis male est, *Milvius*. Sed hac de re in observat. in lib. Fast. et in observat. in Metamorph. Ciofanus. *Miluus* Puteaneus, Arondelianus, et

Vivit et armiferæ cornix invisa Minervæ;
Illa quidem seclis vix moritura novem.
Occidit ille loquax, humanæ vocis imago,
Psittacus, extremo munus ab orbe datum.
Optima prima fere manibus rapiuntur avaris;
Implentur numeris deteriora suis.
Tristia Phyllacidæ Thersites funera vidit:
Jamque cinis, vivis fratribus, Hector erat.
Quid referam timidæ pro te pia vota puellæ;
Vota, procelloso per mare rapta Noto?
Septima lux aderat, non exhibitura sequentem:
Et stabat vacuâ jam tibi Parca colo.
Nec tamen ignavo stupuerunt verba palato.
Clamavit moriens lingua, Corinna, vale.
Colle sub Elysio nigrâ nemus ilice frondens,
Udaque perpetuo gramine terra, viret.

sex alii. quomodo passim apud Nostrum in optimis exemplaribus. Posset et legi, *garrulus augur*, ut de corvo intelligatur, quæ avis imbrium præsaga habetur. Certe *garrulus auctor* est in multis scriptis. sed graculus pluvias prædicit apud Avienum in prognosticis. HEINSIUS. Certe *Auctor* hic notat nuntium. ita enim et, *lucis prænuntius ales* ii. Fast. 767. ita pro nuntio *auctor* xi. Met. 667. de τῷ *Milüus*, vid. ad Phædr. i. 32. BURM.

35. *Armigeræ.*] Legitur etiam in exemplaribus, *Armiferæ*, quæ lectio est jucundior. MARIUS. Perpetua illa est in scriptis diversitas. vid. iii. Fast. 681. iv. Metam. 475. et alibi.

42. *Jamque cinis vivis fratribus Hector erat.*] Eodem modo dictum est ab Horatio iv. Od. 7. *Pulvis et umbra sumus.* Probat autem rem propositam exemplo. CIOF.

45. *Lux venit.*] Cum de Psittaco ægroto agat, merito septimi diei mentionem facit. Nam is dies inter criticos enumeratur, qui et judiciarii dicuntur, ut Hippocrates ii. Aph. particula xxiv. ait: *Humores, qui morbi causæ sunt, diversis moventur temporibus: aut enim ipsorum natura, aut quantitate tardius vel citius ad coctionem vel cruditatem terminantur. Dies autem, in quibus præcipue id fieri solet, vii. xiv. et xx. est.* Sed hæc in libro De diebus directoriis diffusius et copiosius a Galeno disputantur. CIOFANUS. *Aderat* recte. Claud. Nupt. Honor. Præf. v. 15.

Septima lux aderat cœlo.

Noster v. Fast. 413. *Nona dies aderat.* et Remed. Am. 509. *Postera lux aderit.* et ita passim. vid. ad iii. Metam. 519. 1. Art. 213. an vero ad septimum diem criticum in morbis adludat, an vero ad septimum inediâ morientibus fatalem (de quo vide ad Quinctil. Decl. xii. 8.) nescio. BURM.

Si qua fides dubiis; volucrum locus ille piarum
Dicitur, obscænæ quo prohibentur aves.
Illic innocui late pascuntur olores:
Et vivax Phœnix, unica semper avis.
Explicat ipsa suas ales Junonia pennas:
Oscula dat cupido blanda columba mari.
Psittacus has inter, nemorali sede receptus,
Convertit volucres in sua verba pias.
Ossa tegit tumulus: tumulus pro corpore parvus:
Quo lapis exiguus par sibi carmen habet:
Colligor ex ipso dominæ placuisse sepulcro.
Ora fuere mihi plus ave docta loqui.

ELEGIA VII.

Ergo ego sufficiam reus in nova crimina semper?
Ut vincam, toties dimicuisse piget.

58. *Convertit volucres in sua verba pias.*] Male, ne dicam ridicule admodum, qui *in sua vota*. Sensus enim est: Psittacum in admirationem sui aves, post mortem, *convertere*, ut homines vivus alliciebat, humanam vocem tam solerter imitando. Nam, ut ait Virg. Æn. vi. 655. quod studium vel cura fuit vivis,

——*Eadem sequitur tellure repostos.* Amar.

59. *Pro corpore magnus.*] Puteaneus alter cum Excerptis Vossii, *pro corpore parvus*. Excerpta Politiani, *parvo*. *parvus* res ipsa est. Callimachus in Epigrammatis:

Σύντομος ἦν ὁ ξεῖνος, ὃ καὶ τάφος. οὐ μακρὰ λέξω.

Postremum hujus Elegiæ distichon ab alienâ manu videtur. Heins.

60. *Par sibi nomen habet.*] Legendum omnino (ut est in vetustis codicibus) *Carmen*. nec obstat, quod duo subjungat carmina: posuit enim carmen pro Epitaphio. Sic etiam Virgil. in Daphni:

Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen.

Ubi Epitaphium duobus carminibus continetur. Marius.

---

1. *Ergo ego.*] In multis deest *τὸ ego*. male. vid. supr. Epist. x. 119. *Sufficiam* eleganter dictum, pro, an ego solus materiam præbebo amicæ, unde posset objicere mihi crimina, et nemo præter me reus fiet, neque tamen succumbam. Burm.

Sive ego marmorei respexi summa theatri:
  Eligis e multis, unde dolere velis.
Candida seu tacito me vidit femina vultu;
  In vultu tacitas arguis esse notas.
Si quam laudavi; miseros petis ungue capillos:
  Si culpo; crimen dissimulare putas.
Sive bonus color est, in te quoque frigidus esse;
  Seu malus, alterius dicor amore mori.
Atque ego peccati vellem mihi conscius essem.
  Æquo animo pœnam, qui meruere, ferunt.
Nunc temere insimulas: credendoque omnia frustra,
  Ipsa vetas iram pondus habere tuam.
Adspice, ut auritus miserandæ sortis asellus,
  Adsiduo domitus verbere lentus eat.
Ecce, novum crimen, sollers ornare Cypassis,
  Objicitur dominæ contemerasse torum.

5. *Tacito me vidit femina vultu.*] Referenda hæc *tacito vultu*, ad Ovidium. Si forte, inquit, *candida* me, formosa mulier respexit, (quod invito potest evenire) etsi *taceat* vultus, in hoc ipso silentio *notas*, signa deprehendis, quæ mutuum amorem cum hac femina arguant. Amar.

7. *Miseros petis ungue.*] *Sapis* Palatin. forte pro *rapis*, ut toties *rapti capilli*. vide supr. ad Epist. x. 16. *misero* etiam Puteaneus, scilicet mihi, non ungue, misero.

9. *Sive color bonus est, in te quoque frigidus esse.*] *Quoque* hic vim illam habet, ut non tantum frigidus videar in aliis puellis, sed etiam in te, in qua ardere vehementissime debebam. Burm.

10. *Amore mori.*] Offendere hoc κακόφατον posset. et ideo forte in Vaticano et Palat. primo supposuit librarius, *amore frui*, in Puteaneo, *capi*. sed non omnia talia puto ejicienda, certe non offendit hoc meas aures. qui et scio nec Propertio displicuisse lib. ii. Eleg. i. 47. *Laus in amore mori.* Burm.

13. *Nunc temere insimulas.*] *Insultas* Neapolitanus cum Excerptis Scaligeri et Puteani, frustra. Festus: *Insimulare, crimen in aliquem confingere.* Glossæ Stephani, *Insimulatur*, *διαβάλλει*. Heins.

15. *Aspice, ut auritus.*] Dicit Naso quemadmodum asellus, dum nimium et assidue verberatur, ut celerius eat, it tamen tardius: sic se assiduis reprehensionibus et querelis Corinnæ frigidiorem fieri in illius amorem. Marius.

17. *Ecce tuum sollers caput exornare Cypassis.*] Codices vetustiores magno numero, recte:

Ecce, novum crimen, sollers ornare Cypassis.

Ornare enim, non *caput ornare* dicebant. hinc et *ornatrices* in Gruteri In-

Dî melius, quam me, si sit peccasse libido,
Sordida contemtæ sortis amica juvet!
Quis Veneris famulæ connubia liber inire,
Tergaque complecti verbere secta velit?
Adde, quod ornandis illa est operata capillis;
Et tibi per doctas grata ministra manus.
Scilicet ancillam, quæ tam tibi fida, rogarem?
Quid? nisi ut indicio juncta repulsa foret?
Per Venerem juro, puerique volatilis arcus,
Me non admissi criminis esse reum.

ELEGIA VIII.

Ponendis in mille modos perfecta capillis,
Comere sed solas digna, Cypassi, Deas;

scriptionibus ancillæ, quæ comebant heras, passim dicuntur. Heinsius. Recte Heinsius: est enim Ironia Ciceroniana, de qua vidimus ad Quinctil. iv. Instit. i. quæ et sæpius in Declamationibus occurrit: *Ecce tuum crinem solers ornare* codex Douzæ. Burmannus. *Cypassis.* Vulgare ancillis *a tutulis* nomen, Κύπασσις, quod est *pallium, vestis talaris* quædam, quam delicatiores tum viri, tum feminæ gestabant. Reisk. Anthol. p. 22. Amar.

21. *Quis Veneris famulæ connubia liber inire,* &c.] *Venerem* non pro amica hic accipiendum, sed quasi dicas: Quis liber velit inire connubia, sive commercia Veneris famulæ, hoc est servæ, et per hoc indignæ homine libero, &c. Micyllus.

---

1. *Comendis.*] Ornandis. Producitur prima syllaba, licet in *Coma* nomine corripiatur. Sic Ausonius:

Come serenatam duplici diademate frontem.

Legitur tamen in vetustissimis codicibus: *Ponendis in mille,* &c. Marius. *Ponendis in mille modos,* &c.] Pexis rite crinibus, et omni unguentorum genere irrigatis, ultima tanto operi manus addenda supererat: quod ministerium, pro gravitate, ancillarum peritissimæ demandabatur. Non enim idem *ornatricum*, quod *cosmetarum* munus. Ornatricis erat capillos ex omni capitis parte in *nodum* colligere, (quem Græci *κόρυμβον*, vel *κρώβυλον* vocabant;) et *mille modis* variare: hoc enim summum artis ornatoriæ, *ne bis in idem;* et plus minusve apud dominam gratia valebat ornatrix, quo plus minusve novitatis amans, et novorum inventrix ingeniosa. Amar.

Ponendis, &c. *perfecta.*] *Perfecta,* peritissima. In quodam codice *Præfecta* scriptum est, quod non omnino displicet: ancillarum enim quædam

Et mihi jucundo non rustica cognita furto;
  Apta quidem dominæ, sed magis apta mihi;
Quis fuit inter nos sociati corporis index?
  Sensit concubitus unde Corinna tuos?
Num tamen erubui, num, verbo lapsus in ullo,
  Furtivæ Veneris conscia signa dedi?
Quid? quod in ancillâ si quis delinquere posset,
  Illum ego contendi mente carere bonâ?
Thessalus ancillæ facie Briseïdos arsit:
  Serva Mycenæo Phœbas amata duci.
Non ego Tantalide major, nec major Achille.
  Quod decuit Reges, cur mihi turpe putem?
Ut tamen iratos in te defixit ocellos;
  Vidi te totis erubuisse genis.
At quanto, si forte refers, præsentior ipse,
  Per Veneris feci numina magna fidem!
Tu Dea, tu jubeas animi perjuria puri
  Carpathium tepidos per mare ferre Notos.

epulis præfectæ sunt, quas coquas appellant; aliæ pensis; nonnullæ ornandis dominæ capillis. *Præficere* enim, unde *præfectus*, est alicui rei administrandæ præponere. Naso in Artibus:

Me Venus artificem tenero præfecit amori.

Melior tamen videtur antiqua lectio, quæ est, *Perfecta*. Marius.

11. *Thessalus ancillæ.*] Achillem et Briseïdem significat. Ciof.

12. *Mycenæo duci.*] Agamemnoni. forte respexisse mihi videtur ad illa Horatiana lib. ii. carm. Ode iii.

Arsit Atrides medio in triumpho
Virgine rapta. Ciof.

Serva Phœbas.] Captiva Cassandra, quæ divinandi artem a Phœbo didicerat. Ciof.

14. *Turpe putem.*] Barberinianus, *vile.* non male. nihil tamen muto. ii. Art. 215.

Nec tibi turpe puta, quamvis sit turpe, placebit,
Ingenua speculum sustinuisse manu. Burm.

17. *Si forte refer.*] Ex hac lectione quis congruus sensus elici possit viderint alii: ego omnino legendum esse arbitror *Refert,* in tertia persona: ut in quodam codice scriptum vidi. Sensus autem talis erit: Si forte ipsa Corinna tibi refert, id est dicit: cognosces, quanto præsentior ego conflatum crimen eluerim addito jurejurando. Intelligimus enim, Cypassin non interfuisse, dum apud Corinnam se Naso expurgaret. Marius. *Si mente refers* Francius volebat. sed ut Heinsius cor-

Pro quibus officiis pretium mihi dulce repende,
  Concubitus hodie, fusca Cypassi, tuos.
Quid renuis, fingisque novos, ingrata, timores?
  Unum est e dominis emeruisse satis.
Quod si stulta negas, index anteacta fatebor;
  Et veniam culpæ proditor ipse meæ.
Quoque loco tecum fuerim, quotiesque, Cypassi,
  Narrabo dominæ, quotque quibusque modis.

ELEGIA IX.

O numquam pro me satis indignate Cupido,
  O in corde meo desidiose puer!
Quid me, qui miles nunquam tua signa reliqui,
  Lædis? et in castris vulneror ipse meis?
Cur tua fax urit, figit tuus arcus amicos?
  Gloria pugnantes vincere major erat.
Quid? non Hæmonius, quem cuspide perculit, heros
  Confossum medicâ postmodo juvit ope?

rexit, jam Douza adnotaverat legendum, et explicabat per *meministi, recolis.*

24. *Unum est e dominis emeruisse satis.*] Quum duos habeat Cypassis, qui sibi imperent, Corinnam scilicet et Ovidium, *satis* illi sit *unum* e duobus (Ovidium dicit) sibi conciliasse.—*Promeruisse,* Francofurt. cui accedunt Moreti et Douzæ codices; et lectionem tuentur Macrob. Saturn. ii. 7. et Suet. in Aug. iii. Amar.

---

1. *O nunquam pro me satis,* &c.] Invehitur in Cupidinem poeta, qui unum se telis suis petendum, præ cæteris selegerit: summa hæc totius carminis. Jure igitur nunquam satis *indignatum in se* dicit, et unius *in corde desidiosum,* id est, cessantem. Restat nunc excutiendum, an locutio hæc *pro me,* quo diximus sensu, latina sonet legitime. Ego sic accipiendam judico: nunquam *satis indignate,* ubi *de me agitur,* quem unicam tibi prædam videris vindicasse; vel *pro me,* id est, *pro illa,* quæ ad amandum propellit me, indole. Quæ sequuntur fuse satis explicant.

7. *Perculit.*] Infixit, ad terram adegit. Notum autem est Telephi et Achillis certamen. Quod autem ex Plinio dicturus sum non omnibus pervium est. is igitur hoc subtilius quærens ita scribit (loquitur enim quo modo ab Achille Telephus sanatus fuerit) cap. xv. lib. xxxiv. *Est et rubigo ipsa in remediis, et sic Telephum proditur sanasse Achilles, sive id ærea,*

Venator sequitur fugientia, capta relinquit:
  Semper et inventis ulteriora petit.
Nos tua sentimus, populus tibi deditus, arma:
  Pigra reluctanti cessat in hoste manus.
Quid juvat in nudis hamata retundere tela
  Ossibus? ossa mihi nuda relinquit amor.
Tot sine amore viri, tot sunt sine amore puellæ.
  Hinc tibi cum magnâ laude triumphus eat.
Roma, nisi immensum vires promôsset in orbem,
  Stramineis esset nunc quoque densa casis.
Fessus in acceptos miles deducitur agros:
  Mittitur in saltus carcere liber equus:
Longaque subductam celant navalia pinum:
  Tutaque deposito poscitur ense rudis.
Me quoque, qui toties merui sub amore puellæ,
  Defunctum placide vivere tempus erat.

sive ferrea cuspide fecit: ita certe eam decutiens gladio. Vide et Hyginum cap. ci. Ciof.

10. *Ulteriora.*] In tribus libris erat, *utiliora;* sed in Palatino uno, *uberiora,* quod minime spernendum puto. Burmannus.—Non sensisse miror virum doctissimum nihil hic ad sensum *uberiora,* quod recte *promissis* poeta opponit, in loco adlato. *Ulteriora* vero dicit jam *inventis* petere semper *venatorem,* quo melius nunquam cessantem in se Amorem insectetur. Amar.

12. *Cessat in hoste,*] *Ab hoste* octo codices. male. *cessare in re,* est tardum esse in re facienda, *cessare in rem,* tardum ad faciendam rem. ita distinguit Servius ad Virgil. vi. Æneid. 51. in hoste ergo est, in eo vexando, exercendo. Burm.

13. *Hamata recondere tela.*] *Retundere* Puteaneus cum Regio, uno Vaticano, et Excerptis Jureti. recte. hoc est obtusa reddere, hebetare. Heins.

18. *Stramineis esset nunc quoque tecta casis.*] Rectius legitur in exemplaribus, *densa,* ut adludat ad frequentiam magnificentissimarum ædium, quæ suo tempore spectabantur. Marius. In eodem Maffeian. *densa casis.* Probo. *Tecta casis* libri veteres. Heinsius. Ego doctis dijudicandum relinquo, an rectius Roma dicatur *tecta,* quam *densa* casis. una domus tegitur tecto suo, sed an tota urbs dici posset *tecta domibus* aut *casis* dubito; ideoque nos *densa* retulimus, quod ejecerat Heinsius. Burm.

23. *Me quoque.*] *Mereri sub amore puellæ* mihi non placet. *Sub aliquo mereri* passim apud Livium et alios occurrit. quare legerem:

Me quoque, qui toties merui sub Amore, puellâ
Defunctum placide vivere tempus erat.

Sub Amore, sive Cupidine, meruerat

Vive, Deus, posito, si quis mihi dicat, amore;
Deprecer. usque adeo dulce puella malum est.
Cum bene pertæsum est, animoque relanguit ardor,
Nescio quo miseræ turbine mentis agor.
Ut rapit in præceps dominum, spumantia frustra
Frena retentantem, durior oris equus:
Ut subitus, prope jam prensâ tellure, carinam
Tangentem portus ventus in alta rapit:
Sic me sæpe refert incerta Cupidinis aura;
Notaque purpureus tela resumit Amor.
Fige, puer; positis nudus tibi præbeor armis.
Hic tibi sint vires: hic tua dextra facit.
Huc, tamquam jussæ, veniunt jam sponte sagittæ.
Vix illis præ me nota pharetra sua est.
Infelix, totâ quicumque quiescere nocte
Sustinet, et somnos præmia magna vocat.

miles noster, ut centies dicit. *Defunctum puellâ* jam vivere tempus erat, id est, jam liberum et deposita ejus cupiditate et amore immunem et quasi emeritum vivere. Burm.

31. *Jam pressa tellure.*] Editiones priscæ et plurimi scripti *pressa* habent; *prensa* probant Marius et Ciofanus. utrumque quidem recte dicitur, sed diversa significatione: *pressa* enim tellus est, cui jam insistitur. sed prehenditur ab appellentibus nautis, cum prope tangunt manibus, et funem religandæ navi possunt injicere. *prope comprensa* codex Douzæ. Burm.

36. *Huc tua dextra valet.*] Legitur in quodam codice, *Facit:* quæ lectio non displicet. Dixit enim supra, *Pigra reluctanti cessat in hoste manus,* Expones igitur, *Facit:* id est, non est desidiosa et iners: *Facere enim* (ut Papinianus ait) *omnem omnino faciendi causam complectitur, dandi, solvendi, numerandi, judicandi, ambulandi, reddendi:* qui autem otiosus est, nihil facere dicitur. *Huc,* in me. Se (ut supra) ostendit. Marius.

38. *Vix ullis præ me nota pharetra tua est.*] Douza malebat, *Vix ulli præ me nota pharetra tua est.* nec etiam caret sua venere lectio Scriveriani codicis, qui habet, *Vix illis post me nota pharetra sua est.* postquam in me tua tela conjicere cœpisti, sponte et jussa in me veniunt, nec noscunt pharetram suam, sed quotiescumque tu sumis novas sagittas, ut pharetræ includas, evolant e manibus, quasi jussæ, in me. quare *huc* retinendum. et eleganter, *venire in aliquem,* ut lædatur, dici ostendimus ad Phædr. i. Fab. 21. Burm.

Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?
Longa quiescendi tempora fata dabunt.
Me modo decipiant voces fallacis amicæ:
Sperando certe gaudia magna feram.
Et modo blanditias dicat; modo jurgia quærat.
Sæpe fruar dominâ: sæpe repulsus eam.
Quod dubius Mars est; per te, privigne Cupido, est:
Et movet exemplo vitricus arma tuo.
Tu levis es, multoque tuis ventosior alis:
Gaudiaque ambiguâ dasque negasque fide.
Si tamen exaudis, pulchra cum Matre, rogantem;
Indeserta meo pectore regna tene.
Accedant regno, nimium vaga turba, puellæ.
Ambobus populis sic venerandus eris.

ELEGIA X.

Tu mihi, tu certe, (memini) Græcine, negabas,
Uno posse aliquem tempore amare duas.

41. *Mortis imago.*] *Noctis* perperam duo libri. Cic. Tusc. Quæst. i. *Habes somnum, imaginem mortis, eamque quotidie induis, et dubitas, quin sensus in morte nullus sit, cum in ejus simulacro videas esse nullum sensum.* Hinc Græcis, ὑπνὸς μικρὸς θανάτος. Heins.

45. *Jurgia nectat.*] In Moreti et Francofurtensi, *Jurgia quærat*, quæ multo elegantior, et ad rem accommodatior. etsi veram jurgii caussam non habeat mecum, qui omni eam officio colo, quærat caussam et prætextum jurgiorum. Burm.

51. *Pulchra cum Matre, Cupido.*] *Rogantem* pro diversa lectione Puteaneus. Heinsius. Sed *audire rogantem* magis Latinum puto, quam *exaudire.* possent quidem ex Nostro loca adferri, ubi *exaudire* occurrit, ut ii. Pont. ix. 5. xi. Metam. 18. xiii. 858. sed ibi non notat, quod vulgus putet, ita audire preces, ut vulgo Deus dicitur, cum veniam dat, sed sonum, vocem, ad aures pervenire, ut semper notat. Burm.

---

1. *Græcine.*] Hunc Græcinum eum esse opinor, ad quem in libris de Ponto tres exstant elegiæ. Ciof.

Per te ego decipior: per te deprensus inermis,
 Ecce duas uno tempore turpis amo.
Utraque formosa est: operosæ cultibus ambæ:
 Artibus, in dubio est, hæc sit, an illa, prior.
Pulchrior hac illa est: hæc est quoque pulchrior illâ:
 Et magis hæc nobis, et magis illa placet.
Errant, ut ventis discordibus acta faselos,
 Dividuumque tenent alter et alter amor.
Quid geminas, Erycina, meos sine fine dolores?
 Nonne erat in curas una puella satis?
Quid folia arboribus, quid pleno sidera cœlo,
 In freta collectas alta quid addis aquas?
Sed tamen hoc melius, quam si sine amore jacerem.
 Hostibus eveniat vita severa meis.
Hostibus eveniat viduo dormire cubili,
 Et medio laxe ponere membra toro.
At mihi sævus amor somnos abrumpat inertes:
 Simque mei lecti non ego solus onus.
Me mea disperdat, nullo prohibente, puella,
 Si satis una potest: si minus una, duæ.
Sufficiant graciles, sed non sine viribus, artus:
 Pondere, non nervis, corpora nostra carent.
Et lateri dabit in vires alimenta voluptas.
 Decepta est operâ nulla puella meâ.
Sæpe ego, lascivæ consumto tempore noctis,
 Utilis, et forti corpore mane fui.

7. *Pulchrior hæc illa est.*] Ex vetusto codice legendum, *hac*, ut sit ablativus, et *illa* sequens dictio nominativus. Marius. Præcesserat jam, *utraque formosa est.* sed recte differre hæc duo inter se docuit Manutius ad Ciceron. ix. ad Famil. 14. Burm.

18. *Late ponere.*] *Laxe* vetus lectio, non *late.* Naugerius. In antiquioribus legitur, *laxe:* utrumque bene. Ille autem, qui solus sine socia puella dormit, dicitur, *laxe ponere membra medio toro.* Marius.

26. *Decepta.*] Ita Circe illa Petronii cap. cxxix. *Quererer decepta.*

28. *Fortis corpore.*] Legitur, et

praetor, Lewis the son of Gonzaga duke of Mantua, Ladislaus king of Naples, Speusippus, Giachettus of Genova, & one of the popes died in the forbidden embraces of abused women. Jeremy Taylor Holy Dying

Felix, quem Veneris certamina mutua rumpunt!
  Dî faciant, leti caussa sit ista mei!
Induat adversis contraria pectora telis
  Miles, et æternum sanguine nomen emat.
Quærat avarus opes; et quæ lassarit arando
  Æquora, perjuro naufragus ore bibat.
At mihi contingat Veneris languescere motu;
  Cum moriar, medium solvar et inter opus:
Atque aliquis, nostro lacrimans in funere, dicat,
  Conveniens vitæ mors fuit ista suæ.

ELEGIA XI.

Prima malas docuit, mirantibus æquoris undis,
  Peliaco pinus vertice cæsa vias:

forti corpore, ut Virgil. iv. Æneid. ii.

Quam forti pectore et armis. MARIUS.

Potest utraque lectio defendi; nam est utrumque verbum in hac re proprium. BURM.

29. *Certamina mutua perdunt.*] *Rumpunt* Puteaneus a manu secundâ. quod et in aliis multis invenire est. unus Vaticanus, *produnt.* Nihil temere mutandum. infra:

Et, quæ me perdunt, oscula mille dedit. HEINS.

Illud *rumpunt* ab ipsa Ovidii manu esse profectum arbitror; et ita *rumpi equus* dicitur nimio cursu fatigatus Plinio lib. xxviii. cap. ult. BURM.

36. *Solvar et inter opus.*] Quod Cornelio Gallo prætorio, et T. Haterio equiti Romano contigisse narrant Plin. vii. 53. et Val. Max. ix. 12. 8. recentioris ævi etiam exempla recenset Broukhus. ad Propert. ii. vii. 98. BURM.

38. *Mors fuit ista tuæ.*] In uno Moreti, *suæ*, pro diversa lectione est notatum. quod sequor. Lampridius in Heliogabalo cap. xvi. *Alios ab imâ parte perfoderunt, ut mors vitæ esset consentiens.* HEINSIUS. In uno Moreti erat, *voto*, ut ad vers. 16. notavimus, etiam non male, quia tale genus optaverat. et ita subitam mortem exoptasse Cæsarem, quæ etiam ex voto et sententia obtigit, refert Sueton. cap. 87. BURM.

---

1. *Malas.*] Eleganter, pro quæ ad mortem ducunt. ut Propert. iii. Eleg. xvi. 22.

Est mala, sed cunctis illa terenda via.

Nullus plane sensus est in his versibus: Itaque lege et ex Maffeianis et utroque Vaticano:

——— *Mirantibus æquoris undis.*

Quæ concurrentes inter temeraria cautes
Conspicuam fulvo vellere vexit ovem.
O utinam, remo ne quis freta longa moveret,
Argo funestas pressa bibisset aquas!
Ecce fugit notumque torum, sociosque Penates;
Fallacesque vias ire Corinna parat.
Quid tibi (me miserum!) Zephyros Eurosque timebo,
Et gelidum Borean, egelidumque Notum?
Non illic urbes, non tu mirabere silvas;
Una est injusti cærula forma maris.
Nec medius tenues conchas, pictosve lapillos,
Pontus habet: bibuli litoris illa mora est.
Litora marmoreis pedibus signanda, puellæ.
Hactenus est tutum: cetera cæca via est.
Et vobis alii ventorum prœlia narrent;
Quas Scylla infestet, quasve Charybdis aquas:
Et quibus emineant violenta Ceraunia saxis:
Quo lateant Syrtes, quove Malêa sinu.

Id est, stupescente et admirante mari. Ciofanus. Ejusdem fere argumenti est Propertii Elegia octava libri primi: *Æquoris undis* vera est lectio. Burm.

3. *Concurrentes cautes.*] *Cyaneas*, quæ et *Symplegades* petræ dicuntur, intelligit. De his Strabo lib. i. et iii. fabulam paullo diffusius narrat Apollodorus lib. i. Bibliothecæ. Huc autem pertinet, quod scribit Hyginus cap. xxi. *Argonautæ, cum per Cyaneas cautes, quæ dicuntur petræ Symplegades, intrassent mare, quod dicitur Euxinum, et errarent, voluntate Junonis delati sunt ad insulam Diam. Ibi invenerunt*, et reliqua. Ciof.

7. *Patriosque.*] Uterque lib. Maffeian. *sociosque penates.* Ciofanus. *Sociosque* scripti. Nupta enim Corinna, ut patet ex Elegia iv. lib. i. et lib. ii. Elegia ii. tum et aliis locis. *de sociis penatibus* monui ad Epist. v. vers. 126. Heinsius.

13. *Pictosque lapillos.*] Videtur hic Ovidius ante oculos habuisse Lucretium, qui lib. iii. 374. ita canit:

Concharumque genus parili ratione videmus
Pingere telluris gremium, qua mollibus undis
Littoris incurvi bibulam pavit æquor avenam. Burm.

19. *Ceraunia.*] Ceraunia, quæ et *Acroceraunia* dicuntur, sunt altissimi montes Epiri: a crebris fulminibus, quæ eos percutiunt, dicti; Græci enim *κεραυνον* fulmen appellant. Sunt autem naufragiis insignes: unde eos Horatius *infames scopulos* dixit.

20. *Quo lateant Syrtes, quove Malea sinu.*] Dubium est nullum, quin

Hæc alii referant. at vos, quod quisque loquentur,
Credite: credenti nulla procella nocet.
Sero respicitur tellus, ubi fune soluto
Currit in immensum panda carina salum.
Navita sollicitus quâ ventos horret iniquos,
Et prope tam letum, quam prope cernit aquam.
Quid? si concussas Triton exasperet undas?
Quam tibi nunc toto nullus in ore color!
Tum generosa voces fecundæ sidera Ledæ:
Et, Felix, dicas, quam sua terra tenet!
Tutius est fovisse torum; legisse libellos;
Threïciam digitis increpuisse lyram.
At, si vana ferunt volucres mea dicta procellæ,
Æqua tamen puppi sit Galatea tuæ.

agatur de utraque Syrti, qui scopuli, ut nemo nescit, navigantibus adeo formidandi. Cur non igitur prior restituatur lectio,

Quo lateant Syrtes, magna, minorve *sinu;*

et quid hic Maleum promontorium? Quod si Propert. iii. Eleg. xvii. 7. cum Syrtibus conjunxit, non video cur Ovidius quoque. Sensit Burmann. nec quid tamen ausus est immutare, et vulgatam retinuit. Amar.

22. *Credenti nulla procella nocet.*] Mallent *quærenti* Burm. et Heins. quod e Puteaneo. Sed nisi mea me fallit opinio, *credenti* longe anteferendum. Qui enim quæ navigantibus immineant pericula narrantibus *credit,* portum tenet, neque committit, ut ipsi quondam *procella noceat. Quærere* curiosi est; *credere* vero, timidi. Amar.

25. *Navita sollicitus et ventos horret.*] Mallem:

Navita sollicitus, quum ventos horret iniquos,
Tam prope se letum quam prope cernit aquam.

Prope se ut Epist. xix. 59. *Cum ventos* vero est in Scriverii et Palatino altero. *Horret* autem est cum horrore audit. Burm.

29. *Tum generosa voces fœcundæ sidera Ledæ.*] Non videtur hunc locum satis intellexisse Commentator: neque enim Poeta de sideribus Castoris et Pollucis, quæ in cœlo videntur, hoc loco intelligit: sed de iis ignibus, qui navibus inhærent, quos Castoris et Pollucis nomine nautæ invocant: de quibus Plinius lib. ii. cap. xxxii. Micyl.

30. *Quem.*] Rectius alii, *quam.* Heinsius. *Sua terra* vero potest de patria capi; sed magis placet intelligere de tellure, quæ hominum mater credita, unde producti, et in qua educati homines. *Sua* ergo est hominibus propria, conveniens magis quam mare. Burm.

Vestrum crimen erit talis jactura puellæ,
  Nereïdesque Deæ, Nereïdumque pater.
Vade memor nostri, vento reditura secundo;
  Impleat illa tuos fortior aura sinus.
Tum mare in hæc magnus proclinet litora Nereus:
  Huc venti spirent: huc agat æstus aquas.
Ipsa roges, Zephyri veniant in lintea pleni:
  Ipsa tuâ moveas turgida vela manu.
Primus ego adspiciam notam de litore pinum;
  Et dicam, Nostros advehit illa Deos:
Excipiamque humeris, et multa sine ordine carpam
  Oscula. pro reditu victima vota cadet.
Inque tori formam molles sternentur arenæ:
  Et tumulus mensæ quilibet instar erit.
Illic adposito narrabis multa Lyæo,
  Pene sit ut mediis obruta navis aquis:
Dumque ad me properas, nec iniquæ tempora noctis,
  Nec te præcipites extímuisse Notos.
Omnia pro veris credam, sint ficta licebit.
  Cur ego non votis blandiar ipse meis?
Hæc mihi quamprimum cœlo nitidissimus alto
  Lucifer admisso tempora portet equo.

42. *Ipsa tuâ moveas.*] Recte, *ipsa*: nam et vectores aliquando nautica tractabant arma. vid. Passerat. ad Propert. iii. Eleg. vi. pag. 445.

45. *Excipiamque humeris.*] Melior lectio in iisdem libris, *Excipiamque ulnis.* CIOFANUS. *Ulnis* Excerpta Jureti et Puteani cum codice Sarraviano et sex aliis. Sed vulgata respicit ad ritum illum, quo e navi alienis humeris per primas undas deferebantur vectores in terram. HEINS.

Multa sine ordine carpam Oscula.] *Carpere oscula* nusquam dixisse Ovidium affirmat Heins. ideoque *sumam*, cum Sarraviano, duobus Palatinis, et quatuor aliis, legendum rectius proponit. Catullus tamen, Carm. lxviii. 127. de Columbo, ait:

Oscula mordenti semper decerpere *rostro.* AMAR.

ELEGIA XII.

Ite triumphales circum mea tempora lauri.
Vicimus. in nostro est ecce Corinna sinu.
Quam vir, quam custos, quam janua firma (tot
Servabant, ne quâ posset ab arte capi. [hostes!)
Hæc est præcipuo victoria digna triumpho:
In qua, quæcumque est, sanguine præda caret.
Non humiles muri, non parvis oppida fossis
Cincta, sed est ductu capta puella meo.
Pergama cum caderent, bello superata bilustri;
Ex tot, in Atridâ pars quota laudis erat?
At mea seposita est, et ab omni milite dissors
Gloria: nec titulum muneris alter habet.
Me duce ad hanc voti finem, me milite veni;
Ipse eques, ipse pedes, signifer ipse fui.
Nec casum fortuna meis immiscuit actis.
Huc ades, ô curâ parte Triumphe meâ.
Nec belli nova caussa mei. nisi rapta fuisset
Tyndaris, Europæ pax Asiæque foret.

1. *Triumphales lauri.*] Sic Tibullus lib. ii. Elegia v. quod in triumpho adhiberentur:

Ipse triumphali devinctus tempora lauro,
Dum cumulant aras, ad tua sacra veni. Ciof.

3. *Quam janua firma, tot hostes.*] *Quot hostes* unus Mediceus. bene. Heinsius. Sed *tot hostes* non moverem. Quinct. Decl. vi. 16. *Domus propria, lectus genialis, conventus amicorum,* &c. *tot voluptates obruere possunt unum dolorem.* ita Proverbium erat: *Quot servi, tot hostes.* vide Lips. ad Senec. Epist. xlvii. Burm.

6. *Præda caret.*] Francius malebat, *pugna,* vel *palma.* minime vero aliquid mutandum; est enim præda sine sanguine eadem, quæ *parata,* de qua ad Epist. viii. 82. similiter fere apud Livium lib. viii. 38. *Cæde inermes, cruentamque illis prædam redde.* Burm.

15. *Actis.*] *Armis* Mentelii prior. sed male. superbe enim et cum fastu dictum, quasi sua *acta* essent; ut Cæsaris Pompeii, Achillis et aliorum bellatorum *Acta* passim occurrunt. vid. Epist. viii. 43. Burm.

17. *Nec belli est nova cura mei.*] Marius legit, repudiata veteri lectione,

Femina silvestres Lapithas; populumque bimem-
Turpiter adposito vertit in arma mero. [brem
Femina Trojanos iterum fera bella movere
Impulit in regno, juste Latine, tuo.
Femina Romanis, etiam nunc Urbe recenti,
Immisit soceros, armaque sæva dedit.
Vidi ego pro niveâ pugnantes conjuge tauros:
Spectatrix animos ipsa juvenca dabat.
Me quoque cum multis, sed me sine cæde, Cupido
Jussit militiæ signa movere suæ.

ELEGIA XIII.

Dum labefactat onus gravidi temeraria ventris,
In dubio vitæ lassa Corinna jacet.
Illa quidem, clam me tantum molita pericli,
Irâ digna meâ: sed cadit ira metu.
Sed tamen aut ex me conceperat; aut ego credo.
Est mihi pro facto sæpe, quod esse potest.

nec belli est nova cura mei, sed ego utramque sensu carere puto. præcessit etiam modo, *cura:* quare puto legendum transpositis vocibus, *Nec belli mea caussa novi.* Nec puella, a me victa, et mihi dedita, erit caussa novi belli, ut Helene et aliæ fuerunt. BURM.

19. *Femina*, &c.] Hippodamia, de qua vide Metamorph. lib. xii. 224. AMAR.

21. *Femina Trojanos*, &c.] Lavinia, Latini regis filia. AMAR.

23. *Femina Romanis*, &c.] Bella intelligit quæ Sabinarum raptum protinus sequuta. AMAR. Sed vide annon Tarpeïam præ cæteris innuat poëta.

---

2. *Lassa Corinna.*] *Lapsa* unus Regius, quod probare poterat Francius. sed *lassa* de ægra recte dicitur. BURM.

3. *Clamat.*] Mendose sic legitur: sana enim lectio et vetusta est, *Illa quidem clam me:* id est, me inscio. Corinna enim hoc suum consilium celaverat Nasonem: unde dicit nunc, eam dignam fuisse, cui succenseret et irasceretur. MARIUS.

Isi, Parætonium, genialiaque arva Canopi
Quæ colis, et Memphin, palmiferamque Pharon,
Quâque celer Nilus, lato dilapsus ab alveo,
Per septem portus in maris exit aquas;
Per tua sistra precor, per Anubidis ora verendi:
Sic tua sacra pius semper Osiris amet,
Pigraque labatur circa donaria serpens,
Et comes in pompam corniger Apis eat:
Huc adhibe vultus; et in unâ parce duobus:
Nam vitam dominæ tu dabis; illa mihi.
Sæpe tibi sedit certis operata diebus,
Quâ cingit lauros Gallica turma tuas.

7. *Isi.*] De Iside, quæ et Iö, Inachi filia fuit, ut ex lib. i. Metamorph. constat, sic Lactantius, lib. i. *Iö Inachi filia, ut iram Junonis effugeret, ut erat jam setis obsita, jam bos, tranasse dicitur mare, in Ægyptumque venisse, atque ibi recepta pristina forma, dea facta, quæ nunc Isis vocatur.* Ciof.

Parætonium.] Urbs erat et portus Ægypti, ad ostium Canopicum, nunc *al-Barétoun*. Ammoniam olim vocatam fuisse narrat Strabo et Steph. Byzant. Memoratur autem ab omnibus geographicis; meminerunt et historici. Auct. de Bell. Alex. c. 8. Flor. iv. 11. Munimenta Justinianus instauravit; Procop. de Ædif. vi. 2. Amar.

Genitalia.] Generandi vim habentia, propter Nili inundationem. Marius. Quomodo *genitalia arva* Isidis, ubi Isis nata non esset? Puteaneus et nonnulli, *gentilia*. Regius et tres alii, *genialiaque*. quod verum est. Ægyptii enim molles et genio admodum indulgentes. Sed de Canopo rem fusius docet Strabo lib. xvii. *Ἀντὶ πάντων δ᾽ ἐστὶν ὁ τῶν πανηγυριστῶν ὄχλος τῶν ἐκ τῆς Ἀλεξανδρείας κατιόντων τῇ διώρυγι. πᾶσα γὰρ ἡμέρα καὶ νὺξ πληθύει τῶν ἐν τοῖς πλοιαρίοις καταυλουμένων καὶ κατορχουμένων ἀναίδην μετὰ τῆς ἐσχάτης ἀκολασίας καὶ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν.* Heinsius. De moris hujus vetustate vid. Herod. ii. 60.

9. *In alveo.*] *In alveo* meliores. Heinsius. Ita quoque legendum censet Celeberrimus Bentlejus ad Horat. lib. iii. Od. 29. 34. sed *dilapsus ab alveo* mihi præferendum ideo videtur quia supra Deltam Nilus uno alveo, et lato fluens, deinde in septem ora se scindens, vagus atque dispersus per omnem Ægyptum it; ut describit Mela lib. i. cap. 9. Burm.

11. *Sistra.*] Sistrum erat instrumentum tinnulum, in tympani formam, quo in Isidis sacris utebantur sacerdotes.

Per Anubidis ora.] Arnobius lib. vi. adversus gentes sic de Anubide: *Anubis canina cum facie.* Ciof.

12. *Osiris.*] De Osiride, vide quæ notavi in Metam. lib. ix. Ciof.

17. *Sæpe tibi meruit certis operata diebus.*] Sunt exemplaria, quæ scriptum habent, *sæpe tibi servit. Meruit* exponit Commentator, pro promeruit. Et sic ellipticôs accipiendum, pro *Meruit enim:* ipsumque verbum a ce-

Tuque laborantes utero miserata puellas,
  Quarum tarda latens corpora tendit onus;
Lenis ades, precibusque meis fave, Ilithya.
  Digna est, quam jubeas muneris esse tui.
Ipse ego tura dabo fumosis candidus aris:
  Ipse feram ante tuos munera vota pedes.
Adjiciam titulum, Servatâ Naso Corinnâ.
  Tu modo fac titulo muneribusque locum.
Si tamen in tanto fas est monuisse timore;
  Hac tibi sit pugnâ dimicuisse satis.

ELEGIA XIV.

Quid juvat immunes belli cessare puellas,
  Nec fera peltatas agmina velle sequi;

teris distinguendum. At si pro servivit accipias, sive militavit, a *mereo:* quale et illud dictum est, *Ære merent parvo,* &c. tum nihil neque distinguendum neque supplendum erit. Et in quibusdam etiam *Seruit,* pro *Meruit* legitur, Marius. Art. Am. iii. 635.

Cum sedeat Phariæ sistris operata juvencæ.

Atque hæc de sacris Isidis. Sed et quibuscunque in templis sedebant operatæ. huc spectat illud Pythagoricum, προσκυνήσαντα ἐπικαθῆσθαι. Heins.

18. *Qua cingit.*] Propter inventum Osirim. Solebant enim hi sacerdotes Isidi sacra celebrantes, circa octavam diei horam pila et sistra ferentes, primo cum fletu procedere: deinde canentes, et lauro coronati, triumphantium more cum maxima lætitia redibant. *Gallica.*] Galli sacerdotes tam Cybeles quam Isidis dicebantur. Denominati autem sunt Galli, a Gallo Phrygiæ fluvio, cujus aquam potantes reddebantur insani.

21. *Precibusque fave Lucina puellæ.*] *Precibusque meis fave Ilithya* optime Puteaneus. nam et Latini hoc nomine usi. Horatius Carmine Sæculari:

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithya tuere matres.

Et hinc λυσίζωνος quoque dicta Atheniensibus; quod gravidis puellis Zona solveretur. ejus templum Athenis. vid. Meurs. Athen. Attic. pag. 117, 118. etiam apud Assyrios: Lucianus pag. 1072. eodem autem modo Virgilius in fine versus dixit, *Orithya.* xii. Æneid. 83. et in Ciri, *Adrasteia.* Heins.

---

2. *Nec fera peltatas,* &c.] Pelta erat scutum parvum et leve, cetræ admodum simile. Tit. Liv. xxxi. 36:

Si sine Marte suis patiuntur vulnera telis,
  Et cæcas armant in sua fata manus.
Quæ prima instituit teneros convellere fœtus,
  Militiâ fuerat digna perire suâ.
Scilicet, ut careat rugarum crimine venter,
  Sternatur pugnæ tristis arena tuæ.
Si mos antiquis placuisset matribus idem;
  Gens hominum vitio deperitura fuit:
Quique iterum generis jaceret primordia nostri
  In vacuo lapides orbe, parandus erat.
Quis Priami fregisset opes, si numen aquarum
  Justa recusasset pondera ferre Thetis?
Ilia si tumido geminos in ventre necasset,
  Casurus dominæ conditor Urbis erat.
Si Venus Ænean gravidâ temerasset in alvo;
  Cæsaribus tellus orba futura fuit.
Tu quoque, cum posses nasci, formosa, perîsses;
  Tentasset, quod tu, si tua mater opus.
Ipse ego, cum fuerim melius periturus amando,
  Vidissem nullos, matre necante, dies.

" Nocte *cetratos*, quod *peltastas* vocant, loco opportuno inter bina castra in insidiis abdiderat." AMAR.

5. *Quæ prima instituit teneros convellere fœtus.*] *Avellere* olim editi plures. duo scripti, *divellere.* quod magis placet, visceribus enim excutitur fœtus et divellitur. ita xiv. Metam. 115. *Suo divellere trunco*, ut est in MSS. BURM.

9. *Si mos.*] Ejusdem argutiæ sententia est in Senec. Controv. vi. *Ergo si illis temporibus iste carnifex apparuisset, conditorem suum Roma non haberet.* sed nimis longe petitum. DOUZA.

10. *Gens hominum vitio deperitura foret.*] Barth. Adv. x. xxvii. *deperire* rectum est; nam notat penitus perire. *Vitio* autem simpliciter positum, pro prave, culpa matrum, quæ præcesserant. ita *vitio creati* consules, pro non rite, contra auspicia. BURM.

14. *Justa pondera.*] *Justa pondera* sunt, quæ tempus fœtui destinatum implent, quæ non intempestive excutiuntur, antequam partus sit maturus; et ita omnia *justa* vocantur, quæ numeros suos implent; ut *Justi anni* x. Met. 36. BURM.

15. *Geminos.*] Romulum et Remum. CIOF.

Quid plenam fraudas vitem crescentibus uvis;
Pomaque crudeli vellis acerba manu?
Sponte fluant matura suâ. sine crescere nata.
Est pretium parvæ non leve vita moræ.
Vestra quid effoditis subjectis viscera telis;
Et nondum natis dira venena datis?
Colchida respersam puerorum sanguine culpant,
Aque suâ cæsum matre queruntur Ityn.
Utraque sæva parens: sed tristibûs utraque caussis
Jacturâ socii sanguinis ulta virum.
Dicite, quis Tereus, quis vos irritet Iäson
Figere sollicitâ corpora vestra manu?
Hoc neque in Armeniis tigres fecere latêbris:
Perdere nec fœtus ausa leæna suos.
At teneræ faciunt, sed non impune, puellæ.
Sæpe, suos utero quæ necat, ipsa perit.
Ipsa perit, ferturque toro resoluta capillos:
Et clamant, Merito, qui modo cumque vident.
Ista sed æthereas vanescant dicta per auras:
Et sint ominibus pondera nulla meis.

23. *Quid plenam fraudas vitem crescentibus uvis? Pomaque crudeli vellis acerba manu?*] Hanc sententiam paucis mutatis e Tibullo lib. iii. Eleg. v. accepit. Ciof.

28. *Nondum natis.*] Francius malebat, *nato:* offendebat, scilicet, rythmus ille, *natis* et *datis.* sic Epist. viii. 136.

Et nondum nato funeris auctor eris.

29. *Puerorum sanguine.*] In quibusdam exemplaribus legitur etiam, *natorum.* sed optime quoque legimus, *puerorum,* id est filiorum, more Græco, ut apud Horat. Art. Poet. 185.

Nec pueros coram populo Medea trucidet. Marius.

31. *Utraque,*] Medea et Progne.

39. *Ferturque rogo.*] *Toro* Sarravianus et unus ex meis. bene. in toro enim mortui efferebantur. quod et ab aliis jam animadversum. Heins.

40. *Et merito.*] Scilicet, *ista periit:* est enim vox clamantium. In vetustissimis tamen codicibus ita scriptum est hoc carmen:

Et clamat, merito, qui modo cunque videt.

Qui modo cunque, pro *quicunque:* carminis enim necessitate coactus interposuit, *modo.* Marius.

Dî faciles, peccasse semel concedite tuto:
Id satis est. pœnam culpa secunda ferat.

ELEGIA XV.

Annule, formosæ digitum vincture puellæ,
In quo censendum nil, nisi dantis amor;
Munus eas gratum. te lætâ mente receptum
Protinus articulis induat illa suis.
Tam bene convenias, quam mecum convenit illi;
Et digitum justo commodus orbe teras.
Felix, a dominâ tractaberis, annule, nostrâ.
Invideo donis jam miser ipse meis.
O utinam fieri subito mea munera possim
Artibus Ææis, Carpathiive senis!
Tunc ego te dominæ cupiam tetigisse papillas,
Et lævam tunicis inseruisse manum.

43. *Concedite tuto.*] *Tutæ* Puteaneus a manu secunda. duo scripti, *voto.* quod fortasse recte, si ita distinguas:

Di faciles, peccasse semel concedite: voto
Id satis. at pœnam culpa secunda ferat. Burm.

2. *Censendum.*] Spectandum, faciendum. Ciof,

4. *Induat.*] Imponat. Sic Plinius lib. xxxiii. 1. *Pessimum vitæ scelus fecit, qui annulum primus induit digitis.* Marius. Legendum esse, *qui id primus induit*, id est aurum, ex quo annulus, ex MSS. docet Harduinus. satis verosimiliter, ita idem scriptor lib. xxxvii. 6. *Claudius Cæsar Zmaragdos induebat, et Sardonychas.* Burm.

10. *Artibus Ææis.*] Id est magicis. ut libr. iii. Amorum:

Aut te trajectis Ææa venefica lanis
Devovet.

Sed longe melius in manuscripto codice legitur, *Ææe*, id est Circes, Solis ex Persa nympha filiæ: quæ in feras varias homines mutabat, ut in Odyssea canit Homerus. Unde in Bucol. Maro Eclog. viii. 70.

Carminibus Circe socios mutavit Ulyssis.

Sedem habuit haud longe a Cajeta Campaniæ urbe, montem quendam, olim insulam: qui ab ejus nomine Circæus mons dicitur: et *Ææus* (ut Servius ait) ab aspernantium voce, propter celebratas illic corporum mutationes. Alii tamen volunt, Ææam dictum fuisse Circen ab insula, sive oppido, quod erat juxta Phasin: de quo Apulejus in Magia. Marius.

Elabar digito, quamvis angustus et hærens;
  Inque sinum mirâ laxus ab arte cadam.
Idem ego, ut arcanas possim signare tabellas,
  Neve tenax ceram siccave gemma trahat,
Humida formosæ tangam prius ora puellæ.
  Tantum ne signem scripta dolenda mihi.
Si dabor, ut condar loculis; exire negabo,
  Adstringens digitos orbe minore tuos.
Non ego dedecori tibi sim, mea vita, futurus,
  Quodve tener digitus ferre recuset, onus.
Me gere, cum calidis perfunderis imbribus artus:
  Damnaque sub gemmâ perfer euntis aquæ.
Sed puto te nudâ mea membra libidine surgent,
  Et peragam partes annulus ille viri.
Irrita quid voveo? parvum proficiscere munus.
  Illa datam tecum sentiat esse fidem.

18. *Tantum.*] Dummodo: solum hoc mihi dari velim, ne signem, &c. Marius.

24. *Perfer euntis.*] Lege, transpositis syllabis, *fer pereuntis aquæ*. Martial. xii. Epigr. 5.

Et pereuntis aquæ fluctus ubique sonat. Douza.

Locus his obscurior, nec ab interpretibus satis explicatus; sed illa verba *sub gemma* nolim construi cum *aquæ euntis;* quasi aqua sub gemma iret, et inde damnum inferret illi, ut obscurior fiat: sed *sub gemma*, dicitur esse puella, quæ gemmam digito gerit: ut *sub auro*, pro aurato, *sub armis*, pro armato. Si vero cum Douza legamus, *fer pereuntis*, capiendum de aqua, quam ancillæ aquariæ portabant, de qua ad l. iii, Eleg. vii. 84. et quod egregie illustratur illis ex iii. Art. Am. 96:

Quid, nisi quam sumes, dic mihi, perdis aquam?

Sed ego vulgatam servo, quia Ovidius perpetuo adhærere puellæ suæ volebat; ideoque recte *perfer*, id est, nunquam depone, sive laveris in balneo, sive te flumine vivo prolueris.—Hæc Burmannus, quem miror sane, priorem, qui sese offerebat, sensum non tenuisse; nec *τὸ perfer* ad *damna* retulisse, ex *aqua*, quæ gemmam *subiret*, in balneo: quæ damna nullius sunt apud Ovidium, dummodo annulum Corinna non deponat. Amar.

ELEGIA XVI.

Pars me Sulmo tenet Peligni tertia ruris;
  Parva, sed irriguis ora salubris aquis.
Sol licet admoto tellurem sidere findat,
  Et micet Icarii stella proterva canis;
Arva pererrantur Peligna liquentibus undis:
  Et viret in tenero fertilis herba solo.
Terra ferax Cereris, multoque feracior uvæ:
  Dat quoque bacciferam Pallada rarus ager:
Perque resurgentes rivis labentibus herbas
  Gramineus madidam cespes obumbrat humum.
At meus ignis abest. verbo peccavimus uno;
  Quæ movet ardores, est procul; ignis adest.
Non ego, si medius Polluce et Castore ponar,
  In cœli sine te parte fuisse velim.
Solliciti jaceant, terrâque premantur iniquâ,
  In longas orbem qui secuere vias.

1. *Me pars Sulmo tenet Peligni tertia ruris.*] Cur hic Noster Sulmonem tertiam Peligni ruris partem dixerit, disserui in Scholiis in lib. iv. De Ponto, a quo loco. quæ hîc dicenda essent, repete. CIOF.

4. *Icarii stella proterva canis.*] "Nonnullis hunc canem Orionis esse dixerunt; et, quod studiosus venandi fuerit, cum eo *canem* quoque inter astra collocatum. Alii autem *Icarii*, de quo ante diximus: quæ multa proposita suos habent auctores." Hygin. *Poet. astronom.* xxxv.—Vocatur autem *Sirius*, (a *σείρω desicco*) quæ *micat* præcipue stella in fronte *canis*. AMAR.

8. *Rarus ager.*] *Gratus* optime Puteaneus. Martialis notum illud, lib. x. 47.

Non ingratus ager, focus perennis.

Unus Vaticanus, *grajus ager*. duo *parvus*. *nixus* est in Scriveriano. sed *rarus ager* spisso densoque, quem dicunt, opponi potest, atque is vini, ut plurimum, feracissimus. HEINS.

9. *Resurgentes.*] *Resurgentes* herbas intelligo, ante sectas et demessas, iterum aquæ copia fœcundante, resurgentes et crescentes; ut ita urbes excisæ *resurgere* passim dicuntur. BURM.

12. *Ardor adest.*] Si ita scripsit, duobus verbis peccavit, non uno Poeta. quare cum quatuor scriptis et Douzæ codice repone, *ignis adest.* peccavit in verbo *abest*, cum debuisset dicere *adest. quod movet* etiam Vaticanus. ut dictum esset, quemadmodum *quod amas* et similia. vide ad Epist. xviii. 153. BURM.

Aut juvenum comites jussissent ire puellas,
Si fuit in longas terra secanda vias.
Tum mihi, si premerem ventosas horridus Alpes,
(Dummodo cum dominâ) molle fuisset iter.
Cum dominâ Libycas ausim perrumpere Syrtes,
Et dare non æquis vela ferenda notis.
Non, quæ virgineo portenta sub inguine latrant;
Nec timeam vestros, curva Malêa, sinus:
Non qua, submersis ratibus saturata, Charybdis
Fundit, et effusas ore resorbet aquas.
Quod si Neptunum ventosa potentia vincit,
Et subventuros auferet unda Deos;
Tu nostris niveos humeris impone lacertos.
Corpore nos facili dulce feremus onus.
Sæpe petens Hero juvenis tranaverat undas.
Tunc quoque tranasset; sed via cæca fuit.

18. *Si fuit.*] Vetus lectio est, *sic fuit*. expone igitur *sic*, id est, hac lege, ut juvenum comites puellæ irent. Marius. *Sic* Sarravianus.

19. *Si premerem ventosas horridus Alpes.*] *Turbidus* prima editio. alii, *ventosi turbine Ponti*, vel *venti*. atqui *horridus* pro frigido ponitur. Heins.

Ventosas Alpes.] Fortasse Rhipæos montes dicit, unde flat boreas. nam Alpes et Rhipæi montes iidem a quibusdam ponuntur: secundum quorum opinionem volunt Virgilium lib. iv. Æneid. 442. *Alpinum boream appellasse*. Aut *Ventosas* dixit, quia altissimi montes sunt Alpes: et (ut etiam in Artibus dixit Naso) *perflant altissima venti*. Marius.

24. *Curva Malea.*] Promontorium Peloponnesi, ad sinum Laconicum, quod quinque passuum millia in mare protenditur. Dicta autem est Malea (nunc *Cabo Malio*) a Maleo Argivorum rege, qui templum ibi magnificentissimum Apollini erexit, quod *Maleoticum* adpellavit. Amar.

25. *Saturata Charybdis.*] *Superata* Palatinus unus. *Furata* alter Mentelii. quod posset explicari non inveneste. forte tamen est pro, *furiata*. sed *saturata* melius τῷ *fundit* convenit, ut metaphora desumatur ab illis, qui graves nimio potu et cibo, iterum evomunt. quæ manifesta in variis, quæ adducit Heinsius, Poëtarum locis. Burm.

27. *Quod si Neptuni ventosa potentia.*] Plurimi, eique optimi, cum prima editione, *Neptunum*. quod non de nihilo. ut per *ventosam potentiam* intelligat Æolum, ventorum potentem, qui invito sæpe Neptuno tempestates ciet, ut apud Maronem lib. i. Æneidos, in principio, molitus exitium Æneæ, inscio et indignante Neptuno. Burm.

At sine te, quamvis operosi vitibus agri
Me teneant, quamvis amnibus arva natent,
Et vocet in rivos parentem rusticus undam,
Frigidaque arboreas mulceat aura comas;
Non ego Pelignos videor celebrare salubres:
Non ego natalem, rura paterna, locum;
Sed Scythiam, Cilicasque feros, viridesque Bri-
Quæque Prometheo saxa cruore rubent. [tannos,
Ulmus amat vitem, vitis non deserit ulmum.
Separor a dominâ cur ego sæpe meâ?
At mihi te comitem juraras usque futuram,
Per me, perque oculos, sidera nostra, tuos.
Verba puellarum, foliis leviora caducis,
Irrita, quo visum est, ventus et unda ferunt.
Si qua mei tamen est in te pia cura relicti;
Incipe pollicitis addere facta tuis:
Parvaque quamprimum rapientibus esseda mannis,
Ipsa per admissas concute lora jubas.

33. *Quamvis operosi vitibus agri Me teneant.*] Ostendit ætate sua in agro Sulmonensi vineas esse innumerabiles, ut ad hunc quoque diem videmus. CIOF.

39. *Sed Scythiam, Cilicasque feros.*] Credo ego Poëtam ad propiora respexisse: utpote piraticam, quam Cilices passim per totum mare exercuerunt: donec a Pompejo devicti, et in ordinem redacti fuere. Quanquam et alias efferi iidem fuere, præsertim qui interiora Ciliciæ ad Taurum montem habitarunt. MARIUS.

Viridesque Britannos.] Cæsar, de Bell. Gall. v. 14: "Omnes vero se Britanni *vitro* inficiunt, quod cæruleum efficit colorem, atque hoc horridiore sunt in pugna adspectu." Ubi vide quæ adnotarunt nostri Cæsaris Editores.—Unde Propert. ii. Eleg. xiv. 25. *infectos;* Martialis *depictos* vocat Britannos. AMAR.

44. *Perque oculos, sidera nostra, tuos.*] Legebatur olim, *perque oculos, qui rapuere, tuos,* subintellecto pronom. *me;* quod ut duriusculum respuens Marius, e vetustissimi codicis auctoritate, qui nunc legitur, versum restituit. AMAR.

49. *Esseda.*] Genus vehiculi Britannici, ut patet ex Propert. lib. ii. i. 86. scribente:

Esseda cælatis siste Britanna jugis.

A quovis etiam, sive viro, sive adeo femina, quemadmodum hinc constat, agi vehique solitum, absque opera mulionis, aut aurigæ. DOUZA. *Mannis:* Mannus est equus brevior, quem vulgo *Burichum*, vel *Burichium* vocant. Isid. xii. i. Græcis est Βουρίχος. AMAR.

At vos, quà veniet, tumidi subsidite montes:
  Et faciles curvis vallibus este viæ.

ELEGIA XVII.

Si quis erit, qui turpe putet servire puellæ;
  Illo convincar judice turpis ego.
Sim licet infamis; dum me moderatius urat,
  Quæ Paphon, et fluctu pulsa Cythera tenet.
Atque utinam dominæ miti quoque præda fuissem;
  Formosæ quoniam præda futurus eram.
Dat facies animos. facie violenta Corinna est;
  (Me miserum! cur est tam bene nota sibi?)
Scilicet a speculi sumuntur imagine fastus;
  Nec nisi compositam se prius illa videt.
Non tibi si facies nimium dat in omnia regni;
  (O facies oculos nata tenere meos!)
Collatum idcirco tibi me contemnere debes.
  Aptari magnis inferiora licet.

51. *At vos, qua veniet, tumidi subsidite montes, Et faciles curvis vallibus este viæ.*] Prosopopoeia. describit autem optime Pelignorum situm, ad quos ex Urbe discedentibus, nisi montibus, ac vallibus peragratis, accedere non licet. CIOFANUS.

---

3. *Sim licet infamis.*] Hoc verbum *infamis* cum altero *turpis*, quod est in superiori carmine, idem sunt. CIOFANUS. *Infamis.* Interpretatur Robert. Stephan. quasi *sine fama:* rectius, meo quidem judicio, si quemadmodum *famam* a *fando*, sic ab *infando* infamem derivatum dixisset. Non enim is *infamis*, de quo rumor omnino nullus: sed ille qui nec nominatur quidem, præ pudore. AMAR.

4. *Quæ Paphon.*] Periphrasis Veneris. CIOF.

Pulsa Cythera.] *Cythera* plurali numero dixisse docet Servius ad lib. i. Æneid. 680. et x. 51. BURM.

9. *Scilicet a speculi,* &c.] De speculis, eorumque generibus, usu et materia, consulend. Sextus Empir. Plin. xxxvi. 26. et Senec. Quæst. Nat. i. 17. AMAR.

10. *Prius compositam.*] Prius ornatam. Sic omnino ex manuscriptis codicibus legendum est hoc carmen:

Nec nisi compositam se prius illa videt.

MARIUS.

Creditur et Nymphe, mortalis amore, Calypso,
Capta, reluctantem detinuisse virum.
Creditur æquoream Phthio Nereïda Regi,
Egeriam justo concubuisse Numæ;
Volcano Venerem: quamvis, incude relictâ,
Turpiter obliquo claudicet ille pede.
Carminis hoc ipsum genus impar: sed tamen apte
Jungitur herôus cum breviore modo.
Tu quoque me, mea lux, in quaslibet accipe leges,
Te deceat medio jura dedisse toro.
Non tibi crimen ero, nec quo lætere remoto.
Non erit hic nobis inficiandus amor.
Sint tibi pro magno felicia carmina censu:
Et multæ per me nomen habere volunt.
Novi aliquam, quæ se circumferat esse Corinnam.
Ut fiat, quid non illa dedisse velit?

18. *Egeriam justo,* &c.] Specus Egeriæ, quo Numa ad nocturnos cum Dea congressus, et sacerdotes ad sacrificandum Deæ fidei ventitabant, spectatur adhuc in valle Egeria, non procul a Circo Caracallæ. Borrich. Antiq. Urb. c. 3. sect. 4. Amar.

Nostro.] Scilicet regi. Loquitur enim Naso ut Romanus. Sed veterem lectionem magis approbo, ut legatur *Justo.* nam justissimum fuisse Numam constat: ut non immerito ei Poëta justi epitheton dederit. Dixit enim Livius libro primo ab urbe condita: *Inclyta justitia religioque ea tempestate Numæ Pompilii erat. Curibus Sabinis habitabat consultissimus vir, ut in illa quisque ætate esse poterat, omnis divini atque humani juris.* Hinc (ut Plutarchus ait) honestius consortium degustavit, divinumque conjugium meruit. Marius.

24. *Te decet in medio.*] *Te decet e medio* Farnesianus et Francof. ut sit torus ipsi quasi thronus, aut tribunal, e quo jus dicat.

25. *Nec quo lædere remoto.*] Huic sensui cohærere videtur illud superius, *In quaslibet accipe leges.* Nam puellæ quandoque veteres amatores excludunt ad tempus, ut potiorem admittant, id est largiorem. quod priores amantes non facile æquo animo ferunt, et sæpe numero insolenter obstant: unde puellis et damnum et dedecus paritur. Se talem fore negat Naso. qui alibi etiam ait:

Sæpe fruar domina, sæpe repulsus eà,

Marius.

27. *Sunt mihi.*] Tres scripri, *sint tibi*, quod amplector. duo alii, *sunt tibi*, unus, *sint mihi.* Heinsius. Non cepisse sensum emendationis Heinsianæ videtur Crispinus, qui est, valeant apud te carmina felicia loco magni census, hæc tu pluris facias, quam munera et divitias, quibus alii amatores puellas suas faciunt.

Sed neque diversi ripâ labuntur eâdem
Frigidus Eurotas, populiferque Padus:
Nec nisi tu, nostris cantabitur ulla libellis.
Ingenio caussas tu dabis una meo.

ELEGIA XVIII.

Carmen ad iratum dum tu perducis Achillen,
Primaque juratis induis arma viris;
Nos, Macer, ignavæ Veneris cessamus in umbrâ:
Et tener ausuros grandia frangit Amor.
Sæpe meæ, Tandem, dixi, discede, puellæ:
In gremio sedit protinus illa meo.
Sæpe, Pudet, dixi. lacrimis vix illa retentis,
Me miseram! jam te, dixit, amare pudet?
Implicuitque suos circum mea colla lacertos:
Et, quæ me perdunt, oscula mille dedit.
Vincor; et ingenium sumtis revocatur ab armis:
Resque domi gestas, et mea bella, cano.
Sceptra tamen sumsi; curâque Tragœdia nostrâ
Crevit: et huic operi quamlibet aptus eram.

3. *Nos, Macer.*] Macer Æmilius Veronensis, Virgilio, Tibullo et Ovidio conjunctissimus; non minus eruditionis, quam poeseos fama sua ætate clarus, nec sine laude a Quintiliano, x. 1. memoratus. Carmen scripserat *De serpentibus;* alterumque *de rebus Trojanis,* quorum exstat omnino nihil. Vid. Broukh. ad Tibull. ii. Eleg. vi. 1. Diversum vero fuisse ab eo qui *Iliaca* scripsit; et male cum ipso confusum, contendit Wernsdorff, P. L. M. tom. iv. p. 579. Amar.

13. *Curaque Tragœdia nostra.*] In nonnullis, *Versuque Tragœdia nostro.* Naugerius. *Cura nostra,* nostra diligentia. Sed mihi probabilior videtur antiquissimi codicis vetus lectio, quæ est: *Versuque Tragœdia nostro Crevit.* Expone igitur: *Nostro versu,* id est, carmine Elegiaco. Quod autem Ovidii Medea Elegis carminibus scripta fuerit, præter carmina, quæ Seneca citat, ostendit ipse Eleg. i. libr. 3. Amorum, inducens Elegiæ personam ad Tragœdiam sic loquentem:

Risit Amor, pallamque meam, pictosque cothurnos,
  Sceptrăque privata tam bene sumta manu.
Hinc quoque me dominæ numen deduxit iniquæ:
  Deque cothurnato vate triumphat amor.
Quod licet, aut Artes teneri profitemur Amoris:
  (Hei mihi! præceptis urgeor ipse meis.)
Aut, quod Penelopes verbis reddatur Ulixi,
  Scribimus: aut lacrimas, Phylli relicta, tuas.
Quod Paris, et Macareus, et quod male gratus Iäson,
  Hippolytique parens, Hippolytusque legant:
Quodque tenens strictum Dido miserabilis ensem
  Dicat, et Æoliæ Lesbis amica lyræ.
Quam celer e toto rediit meus orbe Sabinus,
  Scriptaque diversis retulit ille locis!
Candida Penelope signum cognovit Ulixis:
  Legit ab Hippolyto scripta noverca suo.

Imparibus tamen es numeris dignata moveri,
In me pugnasti versibus usa meis.
MARIUS.

Illud facile concedo, sparsim admistos fuisse pentametros: quemadmodum apud Euripidem, et ceteros videmus, varia metrorum genera passim admisceri. Sed ut tota Elegis constiterit, adduci non possum ut credam: est enim hoc genus tenerius ac mollius, quam ut tragicæ gravitati conveniat. Deinde et nomen ipsum repugnat. Elegiæ enim magis quam Tragœdiæ nomine appellandum tale scriptum fuisset. MICYLLUS.

16. *Tam cito.*] *Tam bene* Francofurt. Sarravii, Scriverii et sex alii. non male: Medeam enim Ovidii omnes admirati fuere veteres, quibus eam legendi felicitas contigit, ita ut Ovidius potuisset dicere, quod bene ait Epist. v. 86.

Sunt mihi, quas possint sceptra decere, manus. BURM.

21. *Reddatur.*] Proprie dixit. nam *reddit* literas, qui eas perfert: *dat*, qui ferendas tabellariis tradit. Cicero sæpissime: *Redditæ*, inquit, *sunt mihi literæ tuæ.* MARIUS.

26. *Aoniæ Lesbis amica lyræ.*] Alii, *Aonio Lesbis amata viro.* Puteaneus, *Æoliæ Lesbis amata lyræ.* et a manu secundâ, *amica.* recte. sic Sappho ipsa apud Nostrum, *Lesbides Æolia nomina dicta lyrâ.* Inde et *Æolia puella* Horatio iv. Od. 9. dicta. et apud eundum ii. Od. 13. habes, *Æoliis fidibus querentem Sappho.* In Anthologia, versibus incerti Poëtæ, Σαπφοῦς τ' Αἰολίδες χάριτες. HEINSIUS.

29. *Candida Penelope.*] Candorem

Jam pius Æneas miseræ rescripsit Elissæ:
Quodque legat Phyllis, si modo vivit, habet.
Tristis ad Hypsipylen ab Iäsone litera venit:
Det votam Phœbo Lesbis amata lyram.
Nec tibi (quâ tutum vati, Macer, arma conenti)
Aureus in medio Marte tacetur Amor.
Et Paris est illic, et adultera nobile crimen;
Et comes extincto Laodamia viro.
Si bene te novi; non bella libentius istis
Dicis: et a vestris in mea castra redis.

ELEGIA XIX.

Si tibi non opus est servatâ, stulte, puellâ;
At mihi fac serves: quo magis ipse velim.
Quod licet, ingratum est: quod non licet, acrius urit.
Ferreus est, si quis, quod sinit alter, amat.
Speremus pariter, pariter metuamus amantes,
Et faciat voto rara repulsa locum.
Quo mihi fortunam, quæ numquam fallere curet?
Nil ego, quod nullo tempore lædat, amo.

Penelopæ, quæ vafra, et lusisse procos passim legitur, vix agnosco. et ideo Francius correxisse videtur, *Callida*. Burm.

38. *Et comes extincto Laodameia viro.*] Hinc licet colligere, non tantum ea persecutum Macrum, quæ post occisum Hectorem consecuta sunt: sed et illa, quæ ab initio belli gesta sunt. Nam de Protesilao et Laodamia quæ dicuntur, longe ante iram Achillis acciderunt. Micyl.

40. *In mea castra redis.*] Recte. nam Macrum amatoria scripsisse jam ante, ex istis Tibullianis patet ii. 64.

Castra Macer sequitur: tenero quid fiet Amori?
Sit comes, et collo fortiter arma gerat. Heins.

---

7. *Quid mihi fortuna, quæ numquam fallere possit?*] Quidam codices, *Quid cum fortuna.* alii, *Quid fortuna mihi,* vel, *Quid mihi fortuna est.* Puteaneus cum Excerptis Scaligeri, *Quo mihi fortunam.* eleganter et vere. de quo loquendi modo copiose egimus ad Epistolam ii. vers. 53. Deinde *fallere curet* idem Puteaneus et unus Vatican. bene. septem alii, *curat.* Heinsius.

Viderat hoc in me vitium versuta Corinna;
Quâque capi possem, callida norat opem.
Ah quoties sani capitis mentita dolores,
Cunctantem tardo jussit abire pede!
Ah quoties finxit culpam, quantumque libebat,
Insontis speciem præbuit esse, nocens!
Sic ubi vexarat, tepidosque refoverat ignes;
Rursus erat votis comis et apta meis.
Quas mihi blanditias, quam dulcia verba parabat!
Oscula (Dî magni) qualia, quotque dabat!
Tu quoque, quæ nostros rapuisti nuper ocellos,
Sæpe time insidias, sæpe rogata nega:
Et sine me, ante tuos projectum in limine postes,
Longa pruinosâ frigora nocte pati.
Sic mihi durat amor, longosque adolescit in usus:
Hoc juvat: hæc animi sunt alimenta mei.
Pinguis amor, nimiumque patens, in tædia nobis
Vertitur; et stomacho, dulcis ut esca, nocet.

De verbo *curare* vide Broukh. ad Tibul. i. i. 57.

14. *Insontis speciem præbuit esse, nocens.*] Hanc lectionem prætuli. Nam *esse* etiam optimus Palatin. et Neapolitanus et Arundelianus, cum Scaligeri excerptis. Quidam codices, *illa*. Latet aliquid. Forte:

Insontis speciem prætulit ore nocens. H.

—Jure vir cl. *latere aliquid* suspicatur; est certe quod desideres, ut plane quod voluerit poeta, et protinus intelligas. Malim igitur cum omnibus priscis edd. legere:

Insontis speciem præbuit, ipsa nocens;

ita ut sit sensus: ah! quoties sontem me finxit; et, licet *ipsa nocens, insontis speciem præbuit!* Quod pariter ex ingenio puellæ et scribentis. Amar.

20. *Sæpe face insidias.*] *Time* Puteaneus, et plures ex præstantioribus alii. recte. time me tibi insidiari, nec serio amare. posset et *cave* pro *face* legi. Heinsius. Ego vero explicarem illud *time*, scilicet mariti, vel custodis tui insidias, ne te deprehendant: finge te id metuere. Burm.

25. *Nimiumque potens.*] *Latens* Puteaneus. et emendatum manu secunda, *patens.* quomodo et optimus Palatinus et quinque alii. ut *patens amor* sit expositus, ad quem aditus non intercluditur. Heinsius. Ita et de amore Propert. i. ix. 29.

Qui non ante patet, donec manus attigit ossa.

26. *Dulcis ut esca.*] Horat. ii. Sat. ii. 75.

Dulcia se in bilem vertunt, stomachoque tumultum
Lenta feret pituita. ———

Si numquam Danaën habuisset aënea turris;
Non esset Danäe de Jove facta parens.
Dum servat Juno sinuatam cornibus Iö;
Facta est, quam fuerat, gratior illa Jovi.
Quod licet et facile est, quisquis cupit arbore fron-
Carpat, et e magno flumine sumat aquam. [des
Si qua volet regnare diu; deludat amantem.
Hei mihi, quod monitis torqueor ipse meis!
Cuilibet eveniat, nocet indulgentia nobis.
Quod sequitur, fugio: quod fugit, usque sequor.
At tu, formosæ nimium secure puellæ,
Incipe jam primâ claudere nocte domum.
Incipe, quis toties furtim tua limina pulset,
Quærere: quid latrent nocte silente canes.
Quo ferat, aut referat sollers ancilla tabellas:
Cur toties vacuo secubet ipsa toro.
Mordeat ista tuas aliquando cura medullas:
Daque locum nostris materiamque dolis.

27. *Ahenea turris.*] *Ferrea* Palatinus. ut infr. lib. iii. Eleg. iv. 21. *Thalamum saxo ferroque perennem.* sed nihil muta. Horat. iii. Od.

Inclusam Danaën turris aënea,
Robustæque fores munierant satis.

Vid. hic Marium. *Clausisset* etiam, ut Francius conjecerat, erat in primo Moreti pro diversa lectione. Burm.

36. *Ipse sequor.*] *Usque* cum prima editione et duobus scriptis. Heinsius. Martialis, lib. v. 84.

Insequeris, fugio; fugis, insequor. Douza.

38. *Prima nocte.*] Ab eo tempore quo noctescit. Cior.

Claudere nocte domum.] *Forem* meliores, ut sæpe alibi Noster. multi *fores.* Heinsius. Nescio cur *domum,* quod est in editionibus antiquis et multis scriptis, ejiciendum sit. Burm.

39. *Lumina.*] Sic quidem in omnibus impressis exemplaribus legitur, sed quis non videt *limina* legendum esse? Marius. Si antiqua lectio servanda esset, intelligendæ, quæ hodie fenestræ vocantur, quas furtim pulsare etiam nocturni amatores solent. et hoc forte cogitans librarius, ex sui seculi more, lectionem illam supposuit veræ, quæ est, *limina.*

40. *Quid latrent nocte silente canes.*] Canes solemne fuisse mulierum impudicarum satellitium docuit Broukhus. ad Tibul. i. Eleg. vii. 32. Burm.

41. *Quas ferat.*] *Quo* multi. nonnulli, *quid.* Heinsius. *Aut referat* Politiani et Vaticanus. rectius. an ferat ab amatore, aut referat a puella ad eum. ut recte Marius. vid. iii. Amor. xiv. 31. Burm.

Ille potest vacuo furari litore arenas,
  Uxorem stulti si quis amare potest.
Jamque ego præmoneo; nisi tu servare puellam
  Incipis, incipiet desinere esse mea.
Multa diuque tuli: speravi sæpe futurum,
  Cum bene servâsses, ut bene verba darem.
Lentus es, et pateris nulli patienda marito;
  At mihi concessi finis amoris erit.
Scilicet infelix numquam prohibebor adire?
  Nox mihi sub nullo vindice semper erit?
Nil metuam? per nulla traham suspiria somnos?
  Nil facies, cur te jure perisse velim?
Quid mihi cum facili, quid cum lenone marito?
  Corrumpis vitio gaudia nostra tuo.
Quin alium, quem tanta juvet patientia, quæris?
  Me tibi rivalem si juvat esse, veta.

49. *Multa, diuque tuli.*] Recte utrumque conjunxit: potuisset enim diu, sed pauca ferre: et e contrario multa, et non diu. Sic Cicero in Rhetoricis, *Sæpe et multum hoc mecum cogitavi.* Sic etiam Elegia undecima libri tertii Amorum Naso:

Multa diuque tuli, vitiis patientia victa est. MARIUS.

Recte Marius. est enim quasi ex formula dictum. vid. ad lib. iii. Eleg. xi. vers. i. BURM.

P. OVIDII NASONIS
AMORUM
LIBER TERTIUS.

ELEGIA I.

Stat vetus, et multos incædua silva per annos.
  Credibile est illi numen inesse loco.
Fons sacer in medio, speluncaque pumice pendens:
  Et latere ex omni dulce queruntur aves.
Hic ego dum spatior tectus nemoralibus umbris,
  Quod mea, quærebam, Musa moveret opus.
Venit odoratos Elegeïa nexa capillos:
  Et, puto, pes illi longior alter erat.
Forma decens: vestis tenuissima, cultus amantis:
  In pedibus vitium caussa decoris erat.

1. *Stat vetus, et multos,* &c.] Intermissa paullulum, quam aggressus erat, Tragœdia, Elegos scribere deliberat. Ciof.

Vetus, et multos incidua silva per annos.] Simile quiddam lib. iv. Fast.

Silva vetus, nullaque diu violata securi
Stabat. ———

Est autem hoc loco venusta admodum topothesia. Cior.

3. *In medio.*] Scil. sylvæ. Fortasse describit Poëta Aricinum nemus. Per *fontem sacrum* Egeriam intelligere possumus. Marius.

5. *Nemoralibus undis.*] Id est, frondibus, quæ vento agitatæ, undarum speciem præbent. Sed quia hoc duriusculum est, rectius (ut vidi in manuscriptis exemplaribus) legetur, *Nemoralibus umbris.* Marius.

6. *Quod mea quærebam Musa moveret opus.*] *Movendi,* id est exordiendi, verbo etiam usus est lib. iii. Fast. ii. Cior.

9. *Vultus.*] Rectius Moreti codex,

Venit et ingenti violenta Tragœdia passu:
  Fronte comæ torvâ, palla jacebat humi.
Læva manus sceptrum late regale tenebat:
  Lydius alta pedum vincla cothurnus erat.
Et prior, Ecquis erit, dixit, tibi finis amandi?
  O argumenti lente Poëta tui!
Nequitiam vinosa tuam convivia narrant:
  Narrant in multas compita secta vias.
Sæpe aliquis digito vatem designat euntem:
  Atque ait, Hic, hic est, quem ferus urit Amor.
Fabula (nec sentis) tota jactaris in Urbe;
  Dum tua præterito facta pudore refers.

cultus. quod ad vestem tenuissimam refer. Heinsius. Recte. ut i. Amor. Eleg. 5. *Nec multum rara nocebat.* male hic Marius, et eum ducem sequens Crispinus, capiunt de tenui materia elegorum, quibus amatoria describuntur. Marius.

12. *Palla jacebat humi.*] Peplum Græci vocabant, et dictam tradit Varro *ἀπὸ τοῦ πάλλειν*, quia incedentis motu et ipsa movebatur: vel quod *palam* et foris gerebatur. De Ling. Lat. iv. 30. Male quidam pallam cum pallio confuderunt; Nonus enim, xiv. 7. "Palla est honestæ mulieri vestimentum, hoc est, *tunicæ pallium.*" Pallium igitur pallæ quoque superinjiciebant. Amar.

13. *Regale tenebat.*] *Movebat* meliores libri magno numero cum primâ editione. Heinsius. *Tenebat* retineo. Epist. xvi. 175. *Sceptra parens Asiæ tenet.* et melius convenit *τῷ late.* De læva manu quod Marius notat, nugæ sunt. Burm.

14. *Lydius apta pedum vincla cothurnus erat.*] *Lydium* pro Hetrusco hic accipit Commentator. quasi Græci ab Hetruscis Tragœdiam et ejus ornatum accepissent. Ego vero proprie dictum *Lydius* accipere malim: propterea quod multa, quæ ad rem ludicram pertinent, a Lydis inventa fuere. Id quod et Herodotus testatur libro primo, cujus hæc sunt verba: *Φασὶ δὲ αὐτοὶ Λυδοὶ καὶ τὰς παιγνίας τὰς νῦν σφίσι τε καὶ Ἕλλησι κατεστεώσας, ἑωυτῶν ἐξεύρημα γένεσθαι*, &c. Neque tamen anxie pro hac re contenderim. Micyl.

20. *Atque ait, Hic, hic est.*] *Hic ille est* Sarravianus cum primâ editione. Adi Notas Metam. xi. vers. 6. Heinsius. Nihil muto, nec tamen nego, etiam sæpe reperiri, *hic ille est*, vide exempla apud Ramirez. ad Martial. i. 1. quibus adde insignem locum Terent. Andr. iv. iv. 47. *Hic est ille.* ubi Donat. *Cum ἐμφάσει quasi vir magnus, sed hoc Chremetem ostendens dicit cum εἰρωνείᾳ.* et ita apud Græcos *οὗτος*, ut Actor. xxi. 28. ubi plura Pricæus. Burm.

21. *Fabula.*] Ita Terentius, Propertius, et quis non? et omnibus notum. sed in primis huc facit locus Jobi cap. xxx. 9. ubi Jobus dicit, *se cantilenam factum impiorum.* ubi Græci *θρύλλημα*, quod notat in omnium ore esse; ut Helena dicit Epist. xvii. 34. ita ele-

Tempus erat Thyrso pulsum graviore moveri.
Cessatum satis est: incipe majus opus.
Materiâ premis ingenium. cane facta virorum:
Hæc animo, dices, area digna meo est.
Quod teneræ cantent, lusit tua Musa, puellæ;
Primaque per numeros acta juventa suos.
Nunc habeam per te Romana Tragœdia nomen.
Implebit leges spiritus iste meas.
Hactenus: et movit pictis innixa cothurnis
Densum cæsarie terque quaterque caput.
Altera (si memini) limis subrisit ocellis.
Fallor, an in dextrâ myrtea virga fuit?
Quid gravibus verbis, animosa Tragœdia, dixit,
Me premis? an numquam non gravis esse potes?
Imparibus tamen es numeris dignata moveri.
In me pugnasti versibus usa meis.

ganter Quinctil. Decl. xiv. *Quod nos in fabulas sermonesque misisti.* vid. ad ii. Art. 561.

23. *Dudum.*] Pridem, jamdudum. Marius. Burm.

25. *Facta virorum.*] Cur etiam non veteris ævi fœminarum, quæ æque Tragœdiarum sunt argumenta, ac viri? egregie ergo Barberinianus et Francofurtensis, *priorum.* ita enim vocantur sæpe seculi antiqui Heroes. Burm.

28. *Primaque per numeros apta.*] Rectius in exemplaribus legitur, *Acta.* ut sit sensus et ordo: Prima juventa tua, ô Naso, acta, supple est, per suos numeros: hoc est, amatoria carmina ætati tuæ juvenili convenientia satis scripsisti: nunc quando ex prima juventa exis, majora aggredere. Marius.

29. *Nunc habeat per te Romana Tragœdia nomen, Implebit leges spiritus iste meas.*] In correctioribus legitur, *habeam.* Marius. Ex his verbis, quam postea scripsit Medeam Tragœdiam, omnes alias Latino sermone scriptas, una excepta, quam edidit Varius, Thyeste, superare apertissime colligitur. Idque et Corn. Tacitus, et Fab. Quinctilian. testantur. Ciof.

37. *Imparibus tamen es numeris dignata moveri,* &c.] Multum fallitur hoc loco Commentator, qui Medeam Ovidii Elegiaco carmine scriptam fuisse putat. Nam quod hic Poëta dicit, *Imparibus numeris dignata es moveri,* non ad Medeam, sed ad præsentem contentionem Tragœdiæ et Elegiæ referendum est: utraque enim Elegiaco metro suam causam agit. Et quod alibi idem dixit, *Versuque Tragœdia nostro Crevit:* ibi pronomen *nostro* non de Elegiaco (neque enim Elegiaca tantum scripsit Poeta, sed et heroica, ut in Metam.) sed possessive

Non ego contulerim sublimia carmina nostris;
Obruit exiguas regia vestra fores.
Sum levis; et mecum levis est, mea cura, Cupido.
Non sum materiâ fortior ipsa meâ.
Rustica fit sine me lascivi mater Amoris;
Huic ego proveni lena, comesque Deæ.
Quam tu non poteris duro reserare cothurno,
Hæc est blanditiis janua laxa meis.
Et tamen emerui plus, quam tu, posse, ferendo
Multa, supercilio non patienda tuo.
Per me decepto didicit custode Corinna
Liminis adstricti sollicitare fidem;
Delabique toro tunicâ velata recincta;
Atque impercussos nocte movere pedes.
Vel quoties foribus duris incisa pependi,
Non verita a populo prætereunte legi!
Quin ego me memini, dum custos sævus abiret,
Ancillæ missam delituisse sinu.
Quid? cum me munus natali mittis? at illa
Rumpit, et adpositâ barbara mersit aquâ?

accipiendum est, de eo versu quem ipse fecit, sive hujus, sive illius metri fuerit. perinde ac si dicas: Hoc mea opera effectum est, illud meo Marte peregi, &c. Sed de hac re etiam supra meminimus. Micyl.

52. *Atque impercussos.*] Lego vel invitis libris, *imperculsos pedes*, hoc est intrepidos. Heinsius. Male: *impercussos* est non sauciatos. ut contra apud Petron. lxxix. *Cruentos pedes* nocte per vias euntes faciebant. Burm.

53. *Ah quoties foribus duris incisa pependi!*] *Incisa* non mutandum; inscribebant enim amicarum foribus elegia et carmina. Plaut. Mercat. ii. iii. 34. *Impleantur meæ fores elegiorum carbonibus.* nisi forte legendum esset, *irrisa pependi.* Heins.

58. *Mersit aqua.*] Id vero se fecisse Gnathæna Diphili Poëtæ versibus professa est, quæ cum Diphilo poculum ex nive misceret, et is diceret, quam frigidum puteum habes, respondit, huc soleo jacere exordia fabularum tuarum. Athenæus. lib. xiii. cap. 5. vide Scip. Gentil. i. Parerg. 39. qui tamen male, ut puto, hic legit, *an illa,* &c. per interrogationem, quasi Naso gloriaretur, sibi id minime evenisse. Nam contra Elegia hic merita sua jactat Poëtæ, ex iis quæ passa est, quod missa ad amicam, ab illa in vicinam fuerit projecta aquam: nam ita

Prima tuæ movi felicia semina mentis.
Munus habet, quod te jam petit, ista meum.
Desierant; cœpi: Per vos utramque rogamus,
In vacuas aures verba timentis eant.
Altera me sceptro decoras, altoque cothurno.
(Jam nunc contacto magnus in ore sonor,)
Altera das nostro victurum nomen amori.
Ergo ades, et longis versibus adde breves,
Exiguum vati concede, Tragœdia, tempus.
Tu labor æternus: quod petit illa, breve est.
Mota dedit veniam. teneri properentur amores,
Dum vacat; a tergo grandius urget opus.

solitas fuisse, vel igne, abolere carmina, docet etiam Horat. i. Od. 16.

Quem criminosis cumque voles modum
Pones iambis; sive flamma,
Sive mari libet Adriano. Burm.

62. *In vacuas auras.*] *Vacuas aures* Puteaneus, tertius Palatinus et prima editio. atque ita legit Tanaquillus Faber in Phædrum lib. iii. Prolog. Noster Metam. iv. 41.

— *Aliquid vacuas referamus ad aures.*

Quod non est mutandum. Heins.

66. *Et longis versibus adde breves.*] Hexametros et Pentametros versus significat, quibus Elegia conficitur. Ciof.

Longis versibus.] Hoc Ennii exemplo dicit, qui (Cicerone teste lib. ii. De legibus) heroicos versus, *longos* appellabat. Ciof.

70. *A tergo grandius urget opus.*] Hæc Marius de sequentibus Elegiis capit, quæ longiores et pulchriores. Crispinus de Metamorphoseôn libris. uterque perperam, nam illud opus grandius, quod a tergo urget, opponit amoribus, quos ideo calente maxime juventa properare vult, dum Tragœdia, quæ magis gravem et severum Poetam requirit, ipsi aliquod adhuc tempus concedit, mox ad Tragœdiam aggressurus. de Metamorphoseon libris forte nondum cogitabat; nam, nisi fallit calculus doctissimi Massonii, libri Amorum præcesserunt diu artem amandi, et primum conjunctim edidisse videtur libros Amorum circa A. U. C. dccxxxix. quo anno autem hanc Elegiam, quæ certe primæ editioni inserta fuit, incertum puto: sed Elegias plurimas scripsisse in prima juventute apparet ex vers. 59. hujus Elegiæ. in exilium vero missus, quo tempore demum absolverat Metamorphoses, nondum vero emendaverat, anno ætatis li. vel lii. U. C. dccxlii. intelligimus ergo ipsam Tragœdiam, quæ instabat et urgebat, ut simul ac teneros properasset amores, sibi manum admoveret, antequam omnis ejus spiritus defervesceret. Burm.

ELEGIA II.

LUDI CIRCENSES *.

Non ego nobilium sedeo studiosus equorum:
Cui tamen ipsa faves, vincat ut ille precor.
Ut loquerer tecum veni, tecumque sederem:
Ne tibi non notus, quem facis, esset amor.
Tu cursus spectas, ego te. spectemus uterque
Quod juvat, atque oculos pascat uterque suos.
O, cuicumque faves, felix agitator equorum!
Ergo illi curæ contigit esse tuæ;
Hoc mihi contingat; sacro de carcere missis
Insistam forti mente vehendus equis.
Et modo lora dabo; modo verbere terga notabo:
Nunc stringam metas interiore rota.

* *Ludi Circenses.*] In circo maximo celebrabantur annui, *magnique* dicebantur, ait Asconius, *quod magnis impensis dati*; vel quod, ut ex Cicerone et Livio discimus, *magnis Diis*, Jovi, Junoni et Minervæ fierent. Instituti primum ab Evandro fuerant; deinde a Romulo instaurati, in honorem Consi, qui idem ac Neptunus; et quo suadente, Sabinas rapi jusserat. De quo autem agitur hic *Circus*, a Tarquinio Prisco designatus erat, inter Aventinum et Palatinum, in valle Murtia, a Myrteto, et Veneris Murtiæ, seu Myrteæ. sacello. Tit. Liv. i. 35. Quod opus, eo, annis procedentibus, amplitudinis et magnificentiæ devenit, testib. Dionys. Halic. iii. et Plin. xxxvi. 15. ut inter pulcherrima urbis monumenta adscriberetur. Conflagravit autem Neronis incendio, vide Tac. Ann. xv. et nemo, ante Trajanum, restituit; sed ampliorem multo et elegantiorem ille, ut constat e Plinio, in Paneg. et ex Dione Cassio. Amar.

1. *Non ego nobilium venio spectator equorum.*] Omnes editi, *sedeo spectator* ante Heinsium, qui recte tamen ex Puteaneo utroque, Barberin. et quatuor aliis reposuit, *studiosus*. quæ vox propria in factionibus et studiis Circensibus. vid. ad i. Art. Am. 145. et infr. ad vers. 67. *nobiles* vero equi sunt noti jam populo et spectatæ celeritatis; qui palmas jam sæpe retulerant. ita Virgilius, Horatius et alii passim. et ita *nobiles* gladiatores, Athletæ, &c. *spectator* librarii arripuerunt ex lib. x. Metam. 575. *venio spectator* ex Epist. xvi. 33. Burm.

8. *Contigit esse tuæ.*] Nescio an Latine, aut saltem perspicue satis dicatur, *Illi contigit esse tuæ curæ*, id est, ut de eo sis sollicita. in Moreti et quatuor aliis et prima editione est, *esse meæ*. rectius; illi contigit esse curæ, amicæ meæ. sic millies *mea* pro amica, *tuus, suus*, pro viro, conjuge, vel amatore. vid. supr. ad Epist. xiii. 7. *Ergo illum* Junii codex. Burm.

12. *Nunc stringam metas interiore rota.*] Gestum exprimit aurigæ, ubi

Si mihi currenti fueris conspecta, morabor:
  Deque meis manibus lora remissa fluent.
Ah quam pene Pelops Pisæa concidit hastâ,
  Dum spectat vultus, Hippodamia, tuos!
Nempe favore suæ vicit tamen ille puellæ.
  Vincamus dominæ quisque favore suæ.
Quid frustra refugis? cogit nos linea jungi.
  Hæc in lege loci commoda Circus habet.
Tu tamen, a dextrâ quicumque es, parce puellæ.
  Contactu lateris læditur ista tui.
Tu quoque, qui spectas post nos, tua contrahe crura,
  Si pudor est, rigido nec preme terga genu.
Sed nimium demissa jacent tibi pallia terræ.
  Collige; vel digitis en ego tollo meis.

currum flectere necesse est. Ciofanus. Vide Turneb. xiv. Adv. xxiv. 24. et Torrent. ad Horat. i. Od. i.

15. *Ah quam pene Pelops Pisæo concidit axe.*] *At quam pene* Puteaneus cum Menteliano et Neapolitano. idem cum Barberiniano et duobus aliis, *Pisæa hasta.* quod verum est. neque aliter Jureti et Scaligeri Excerpta. habes fabulam apud Pindarum Olymp. Od. i. qui Œnomao Pelopen insequenti ἔγχος χάλκεον quoque dat. Apollonius, lib. i. 755.

Τὸν δὲ μεταδρομάδην ἐπὶ Μυρτίλος
  ἤλασεν ἵππους,
Σὺν τῷ δ' Οἰνόμαος προτενὲς δόρυ
  χειρὶ μεμαρπώς.

Claudianus laude Serenæ 166.

——— *Curru Pisæa marito*
Fugit tela Pelops.——— Heins.

19. *Cogit nos linea jungi.*] Quid sit *linea* hoc loco quæritur a viris summis; per lineam non designari funem, Scaliger arbitrabatur, sed certum limitem spectatorum sedilibus præfixum Salmasius contendit. Nostra hæc est sententia. Cum apud agrimensores vetustos lineæ plurimis locis ponantur pro viis angustioribus, per quas agri disterminabantur, ac patebat transitus ultro citroque commeantibus, in certos ordines descriptæ, simile quid in Circensibus observatum fuisse opinor. Linea igitur hæc Circensis nihil aliud, quam intervallum angustum, quod inter sedilia vacuum relinquebatur, ut transeuntibus commodior esset locus. Heinsius. Ego cum Salmasio intelligerem perpetuum ordinem fuisse sedilium sive subselliorum, quem tamen viis intersectum fuisse non negarem, sed vias et semitas fuisse intermedias crediderim. post tergum vero fuisse lignum aliquod, quod terga spectatorum tangebat, et prohibebat, ne retrocedere possent. unde dixit, *quid frustra refugis, cogit nos linea jungi.* nam prona et studiose spectans, ubi Ovidius eam tangere volebat, reducebat corpus ad lineam, sed non ultra aut in alium poterat post se ordinem refugere, quia linea prohibebat. *Linea*

Invida vestis eras, quæ tam bona crura tegebas:
Quoque magis spectes, invida vestis eras.
Talia Milanion Atalantes crura fugacis
Optavit manibus sustinuisse suis.
Talia succinctæ pinguntur crura Dianæ,
Cum sequitur fortes, fortior ipsa, feras.
His ego non visis arsi. quid fiet ab istis?
In flammam flammas, in mare fundis aquas.
Suspicor ex istis et cetera posse placere,
Quæ bene sub tenui condita veste latent.
Vis tamen interea faciles arcessere ventos,
Quos faciat nostrâ mota tabella manu?
An magis hic meus est animi, non aëris, æstus,
Captaque femineus pectora torret amor?
Dum loquor, alba nigro sparsa est tibi pulvere ves-
Sordide de niveo corpore pulvis abi. [tis.

nempe illa est, quæ cogebat spectatores intra suum quemque ordinem manere. Burm.

28. *Quoque magis spectes.*] *Pecces* in tribus libris, quod non invenustum, Heinsius notaverat. sed *spectes* recte Marius, pro *aliquis spectaret*, capit. *spectare* vero hic est æstimare, reputare, examinare. Burm.

29. *Talia Milanion, &c.*] Vel potius *Melanion*, idem qui Hippomene, Atalantes conjux: vid. Apollod. Bibl. iii. 9. et quæ in Obss. Clar. *Heyne.* Nihil ad rem nostram, quæ de Melanione quodam apud Aristoph. Lysistrat. 786. narratur: nostri vero meminit Propert. i. Eleg. i. 9.

Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores,
Sævitiam duræ contudit Iasidos.
Amar.

Atalantes.] Duæ fuerunt: altera Schœnei filia, nobilis cursu. altera Arcadica, quam perdite amavit Milanion, et quæ speciosissima crura habuit.

Fugacis.] Velocis, celeris. Ciof.

38. *Quos faciat nostrâ mota tabella manu.*] Male quidam *flabella*, contra metri leges et sermonis: flabella enim, *tabellæ* erant e ligno exili confectæ, quas avium plumis, et rarissimarum quidem, induebant. Sæpe etiam in hunc usum pavonum caudæ adhibebantur; nec raro varii panni in unum fasciculum inter se colligati. Duplex autem flabellorum apud veteres usus, quæ et *umbellas* adpellabant, seu aeris refrigerandi causa, seu ad abigendas a somniantibus muscas. Gerendis ac custodiendis flabellis peculiares ancillas habebant, quas a munere ipso *flabelliferas* vocari, e Plauto et Terentio colligimus. Amar.

Sed jam pompa venit. linguis animisque favete.
Tempus adest plausûs: aurea pompa venit.
Prima loco fertur passis victoria pennis:
Huc ades; et meus hic fac, Dea, vincat amor.
Plaudite Neptuno, nimium qui creditis undis.
Nil mihi cum pelago: me mea terra capit.
Plaude tuo, miles, Marti: nos odimus arma.
Pax juvat, et mediâ Pace repertus Amor.
Auguribus Phœbus, Phœbe venantibus adsit:
Artifices in te verte, Minerva, manus.
Ruricolæ Cereri, teneroque adsurgite Baccho:
Pollucem pugiles, Castora placet eques.
Nos tibi, blanda Venus, puerisque potentibus arcu
Plaudimus, inceptis adnue, Diva, meis.
Daque novæ mentem dominæ, patiatur amari.
Adnuit; et motu signa secunda dedit.
Quod Dea promisit, promittas ipsa rogamus.
Pace loquar Veneris: tu Dea major eris.
Per tibi tot juro testes, pompamque Deorum,
Te dominam nobis tempus in omne peti.

43. *Sed.*] Particula hæc comica semper novum aliquid demonstrat. ut apud Terentium Andr. i. iii. 41. *Sed Mysis ab ea egreditur.* Marius.

Sed jam pompa venit.] Pompa hæc solemnis, quam egregie describit Dionys. Halicarn. vii. 72. a Capitolio in Circum magno apparatu, eoque ordine per forum procedebat. Amar.

51. *Adsit.*] *Adsis* Mentelii liber.

52. *Artifices.*] *Lanificas* volebat Francius. ex i. Amor. xiii. 24. sed non solis lanam facientibus, sed omnium artium studiosis præerat, *Dea mille operum*, ut Nostro lib. iii. Fast. 833. dicitur. nec solæ lanificæ spectabant Circenses, sed varii artifices, qui omnes Minervæ plaudere jubentur. Burm.

53. *Teneroque.*] Francius malebat, *plenoque*. sed tenerum et formosum, non ventricosum fuisse et deformem Bacchum docuit Broukh. ad Tibul. ii. iii. 30. ubi et *Tener* dicitur. Burm.

55. *Puerique potentibus armis.*] Heinsius. Forte melius esset, *potentibus arcûs*. ut ita passim Deæ Diique *potentes* illarum rerum, quibus valent et præsunt dicuntur. Burm.

61. *Per superos juro testes.*] *Per tibi tot juro testes. juro tibi* eleganter. Heinsius. Solere in jurandi formulis præpositionem *per*, interjecta vocula, a suo casu separare veteres, docuerunt plurimi. Burm.

Sed pendent tibi crura: potes, si forte juvabit,
Cancellis primos inseruisse pedes.
Maxima jam vacuo Prætor spectacula Circo,
Quadrijuges æquo carcere misit equos.
Cui studeas video: vincet cuicumque favebis.
Quid cupias ipsi scire videntur equi.
Me miserum! metam spatioso circuit orbe.
Quid facis? admoto proximus axe subit.
Quid facis, infelix? perdis bona vota puellæ.
Tende precor validâ lora sinistra manu.
Favimus ignavo. sed enim revocate, Quirites;
Et date jactatis undique signa togis.

64. *Cancellis primos inseruisse pedes.*] Ad cancellos podii refer, quibus proximi spectabant Naso et puella. qui remotiores a podio sedebant scabellis imponebant pedem. Heinsius. Hæc ex Salmas. Exerc. Plin. pag. 645. sed ego *cancellos* fuisse asseres puto inferiores, (ut linea erat, superior) quibus sedili altiori insidentes poterant pedes imponere. nam quæ Marius somniat de foraminibus, per quæ spectant, nugæ sunt. *imposuisse pedes* Putean. Moreti et tredecim alii. Burm.

65. *Vacuo.*] Male Marius a turba populi intelligit. *vacuo*, a pompa scilicet Circensi, quæ jam prætererat.

70. *Axe subi.*] *Subit* recte meliores. Heinsius. Si ita legatur per proximum debemus alterum agitatorem intelligere, qui flectente primo nimis ad dextram, subibat admoto curru metam. sed et *subi*, recte, ut adhortantis sit, potest retineri. Burm.

72. *Tende precor valida lora sinistra manu.*] Hic mirari licet insignem Crispini eruditionem, qui explicat, *ut equi, qui nimium in dexeram pertem et ad metam inclinant, ad sinistram reducantur.* Quis umquam audivit metam ad dextram fuisse? *a meta declinant* debuisset dicere, si Circi aliquam cognitionem habuisset. ne in re protrita verba perdam, vide post Onuphrium et Bulengerum, Fabretti Syntagm. ad Columu. Traj. cap. vi. pag. 146. et seq. clamat ergo Poeta, ut ad sinistram, prope metam equos flecteret, qui spatioso nimis orbe facto a meta longius abibant. Burm.

73. *Sed eum.*] Illud *revocate* non intellexit Crispinus, qui per *repetite* exponit: sed respicit morem, quo in Circensibus, si lenti et ignavi fuissent currus, alios proscebant. sic hunc agitatorem revocatum fingit, sed, ut puto, novos equos agitaturum: primi enim et fessi et ignaviores visi erant spectatoribus. hujus moris vestigium deprehendisse me puto apud Plutarch. in Syll. pag. 463. ubi de prœlio Sullæ cum Archelao agens ait: *Primos currus ignaviter emissos et lente invectos Romani propellentes cum risu et plausu, ut ludis Circensibus solent, alios poscebant.* Burm.

My love has broke her vow,
And yet her face so lovely once,
Is just as lovely now!

En revocant. at, ne turbet toga mota capillos,
  In nostros abdas te licet usque sinus.
Jamque patent iterum reserato carcere postes.
  Evolat admissis discolor agmen equis.
Nunc saltem supera, spatioque insurge patenti.
  Sint mea, sint dominæ fac rata vota meæ.
Sunt dominæ rata vota meæ: mea vota supersunt.
  Ille tenet palmam: palma petenda mihi est.
Risit, et argutis quiddam promisit ocellis.
  Hoc satis hic. alio cetera redde loco.

While she was true, her long locks waved
  All sportive in the air,
And now she's false, yet still I see
  The same long waving hair.

Compare Hor. Car. II. 8.

ELEGIA III.

Esse Deos, i, crede. fidem jurata fefellit:
  Et facies illi, quæ fuit ante, manet.
Quam longos habuit nondum jurata capillos,
  Tam longos, postquam numina lusit, habet.
Candida candorem roseo suffusa rubore
  Ante stetit: niveo lucet in ore rubor.
Pes erat exiguus: pedis est aptissima forma.
  Longa decensque fuit: longa decensque manet.

Her lips were as the roses red,
  When she was kind & true;

78. *Discolor.*] De coloribus Circensium agitatorum, et de pluribus ad Circum spectantibus, vid. Salmas. Exerc. Plin. pag. 629. et seqq.

---

1. *Esse Deos credamne.*] Puteaneus et optimus Palatinus, *hic crede.* Scribe, *i, crede.* elegans loquendi modus, sed non raro ab oscitantibus librariis interversus. Heins.

Credam?] Omnino (ut est in manuscriptis) apponenda est interrogativa particula, *ne:* ut stet versus. nam *fides* corripit primam syllabam. Legendum igitur est, *Esse Deos credamne? Jurata,* quæ juravit. Legitur etiam, *perjura.* Marius.

7. *Aptissima.*] *Artissima* meliores, ab edit. princip. Frustra damnant Heins. et Burm. qui non senserunt nihil aliud hic poetam dixisse, nisi *pedem* amicæ eum esse, post perjurium, qui ante fuerat, *exiguum; formæ* igitur *artissimæ.* Amar.

And now she's false, & yet those lips
  Wear the same glorious hue.
Her foot, a fairy might have owned,
  Is still as neat & small;
And she the model of all grace
  Is just as fair & tall.

Argutos habuit, radiant ut sidus, ocellos;
  Per quos mentita est perfida sæpe mihi.
Scilicet æterno falsum jurare puellis
  Dî quoque concedunt; formaque numen habet.
Perque suos illam nuper jurasse recordor,
  Perque meos oculos; et doluere mei.
Dicite, Dî; si vos impune fefellerit illa,
  Alterius meritis cur ego damna tuli?
At non invidiæ vobis Cepheïa virgo est,
  Pro male formosâ jussa parente mori.
Non satis est, quod vos habui sine pondere testes,
  Et mecum lusos ridet inulta Deos:
Ut sua per nostram redimat perjuria pœnam,
  Victima deceptus decipientis ero?
Aut sine re nomen Deus est, frustraque timetur;
  Et stultâ populos credulitate movet:
Aut, si quis Deus est, teneras amat ille puellas;
  Et nimium solas omnia posse jubet.

9. *Radiant ut sidus.*] Divini hoc aliquid esse credebant: vide Suet. Aug. cap. lxxix. et ita Schol. Apoll. pag. 172. dicit ex Augeæ oculis visos fuisse radios effulgere. vid. Barth. ad Claud. iv. de Laud. Stilich. 458. præcipue in puellis, *fulgentes lucidum oculos,* ut ait Horat. ii. Od. xii. probabant. unde tot comparationes cum sideribus, Lucifero, Luna &c. vide Jun. de Pictura lib. iii. cap. ix. sect. 8. *Ocelli* multi editi et scripti. Burm.

11. *Scilicet æterni.*] *Æterno* prima editio cum Puteaneo, optimo Palatino et sex aliis. quod esset pro, *æternum.* Heinsius. Ita *tacito* Epist. xiii. 69. malebamus. Petron. cap. xlv. *Et sempiterno nominabitur.* ita dixerunt *matutino,* (vid. ad i. Art. 367.) *hesterno, cotidiano* et similibus, de quibus ad Quinct. xii. Inst. cap. 8. ita *verno* Amm. Marc. xv. 10. et xviii. 4. ubi vide Valesium. in quibus omnibus, *tempore,* vel simile quid subintelligi debet. Burm.

13. *Jurasse recordor.*] Palatinus et sex alii, *jurare,* quomodo veteres verbum *memini* semper construxisse tradunt Grammatici. vide Agroet. de Orthogr. pag. 2268. qui semel modo Virgilium necessitate metri cum præterito composuisse observat. Vide et Servium ad ii. Æneid. 12. Burm.

18. *Male formosa.*] Formæ pulchritudine nimium elata Calliopea, Andromedæ mater, pulchriorem se Nereidibus jactitaverat: inde Nereidum iræ. Amar.

Her eyes were as the moon's soft rays,
  So mild, yet piercing bright,
And still those eyes, though turned from me,
  Pierce with as mild a light.
Lord John Manners

Nobis fatifero Mavors adcingitur ense:
  Nos petit invictâ Palladis hasta manu.
Nobis flexibiles curvantur Apollinis arcus:
  In nos alta Jovis dextera fulmen habet.
Formosas Superi metuunt offendere læsi:
  Atque ultro, quæ se non timuere, timent.
Et quisquam pia tura focis imponere curet?
  Certe plus animi debet inesse viris.
Juppiter igne suo lucos jaculatur et arces.
  Missaque perjuras tela ferire vetat.
Tot meruere peti. Semele miserabilis arsit:
  Officio est illi pœna reperta suo.
At si venturo se subduxisset amanti,
  Non pater in Baccho matris haberet onus.
Quid queror, et toti facio convicia cœlo? [habent.
  Dî quoque habent oculos; Dî quoque pectus
Si Deus ipse forem; numen sine fraude liceret
  Femina mendaci falleret ore meum.
Ipse ego jurarem verum jurare puellas;
  Et non de tetricis dicerer esse Deus.
Tu tamen illorum moderatius utere dono:
  Aut oculis certe parce, puella, meis.

33. *Curat?*] Non incommode fortasse in subjunctivo legeretur, *Curet?* ut est in exemplo Virgiliano lib. ii. 48.

Et quisquam numen Junonis adoret.
Sed nullum ex multis exemplaribus, quæ mihi sunt, habeo, cujus auctoritate nitar. Idcirco non ausim immutare, cum præsertim sic quoque sensus optime procedat. Damnat enim Naso tanquam dementem illum, qui diis sacrificare curat. MARIUS.

37. *Tot meruere peti.*] Id est, fulminibus feriri. Naso in Remed. 370.

Summa petunt dextrâ fulmina missa Jovis.

Id est feriunt. in nonnullis tamen exemplaribus legitur, *Pati:* quæ lectio valde placet. MARIUS. Elliptica locutio est: pro, Cum tot aliæ meruerint pati, sola Semele fulmine conflagravit. Sunt tamen codices, qui pro *Pati* habeant, *Peti,* quod ad fulmen proprie referendum: ut si dicas, *Meruere fulmine peti.* MICYLLUS. Imo, *peti.* fulmine nimirum. atque ita libri præstantiores. HEINS.

ELEGIA IV.

Dure vir, imposito teneræ custode puellæ,
 Nil agis. ingenio quæque tuenda suo.
Si qua metu demto casta est; ea denique casta est:
 Quæ, quia non liceat, non facit, illa facit.
Ut jam servaris bene corpus; adultera mens est:
 Nec custodiri, ni velit, illa potest.
Nec mentem servare potes, licet omnia claudas.
 Omnibus occlusis intus adulter erit.
Cui peccare licet, peccat minus. ipsa potestas
 Semina nequitiæ languidiora facit.
Desine (crede mihi) vitia irritare vetando:
 Obsequio vincas aptius illa tuo.
Vidi ego nuper equum, contra sua vincla tenacem,
 Ore reluctanti fulminis ire modo.
Constitit, ut primum concessas sensit habenas,
 Frenaque in effusâ laxa jacere jubâ.
Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.
 Sic interdictis imminet æger aquis.
Centum fronte oculos, centum cervice gerebat
 Argus: et hos unus sæpe fefellit Amor.
In thalamum Danaë saxo ferroque perennem
 Quæ fuerat virgo tradita, mater erat.
Penelope mansit, quamvis custode carebat,
 Inter tot juvenes intemerata procos.

1. *Imposito custode.*] *Apposito* volebat Francius. sed licet non obvia sit locutio, pro præposito, præfecto regendæ uxori; ita tamen verbum hoc sumi docet Barth. ad Stat. vi. Theb. 321.] Burm.

13. *Contra sua frena tenacem.*] Legitur etiam, *sua vincla* Marius. *Vincla* meliores omnes recte. *frena* alterius interpretamentum est, quod et mox sequitur. Heins.

16. *In effusâ laxa jacere jubâ.*] Mollius erit carmen, si ut est in manuscriptis, *effusas jubas*, id est crines, legerimus. Marius.

24. *Inter tam multos.*] *Inter tot*

Quidquid servatur, cupimus magis: ipsaque furem
Cura vocat. pauci, quod sinit alter, amant.
Nec facie placet illa suâ, sed amore mariti.
Nescio quid, quod te ceperit, esse putant.
Non proba sit, quam vir servat, sed adultera. cara est;
Ipse timor pretium corpore majus habet.
Indignere licet; juvat inconcessa voluptas.
Sola placet; Timeo, dicere si qua potest.
Nec tamen ingenuam jus est servare puellam.
Hic metus externæ corpora gentis agat.
Scilicet ut possit custos, Ego, dicere, feci,
In laudem servi casta sit illa tui.
Rusticus est nimium, quem lædit adultera conjux;
Et notos mores non satis Urbis habet:
In quâ Martigenæ non sunt sine crimine nati
Romulus Iliades, Iliadesque Remus.
Quo tibi formosam, si non nisi casta placebat?
Non possunt ullis ista coïre modis.

juvenes Puteaneus, quod sequor, quomodo et Scaligeri Excerpta et Arondelianus. Heinsius. Recte: *juvenis* enim adjective sæpe ponitur. vid. ad Phædr. ii. Fab. 2.

26. *Præda.*] Non quæ est, sed futura sit. ut apud Virgilium lib. iv. 536.

Quos ego sum toties jam dedignata maritos.

Manuscripta tamen exemplaria habent, *Cura*, id est, servandi diligentia, et accurata custodia. et sic legendum esse, sequentia suadent. *Vocat*, provocat. Legitur etiam, *Cura facit*. Marius.

30. *Ipse timor.*] Ne scilicet custos sentiat furtum, et marito indicet. Heins.

Ipse timor &c.] Variant interpretes, censeam ego sic intelligendum: ipse *timor*, ne furtum custos sentiat, vel maritus, ipsi furto *pretium* addit, et pretium quidem *majus corpore*, id est, propter quod sui copiam amanti facere puella non dubitet. Amar.

34. *Corpora.*] Id est ancillas. vid. ad Epist. iii. 30.

40. *Romulus Iliades, Iliadesque Remus.*] Iliæ filii ex Marte. Ciof.

41. *Si non tibi casta placebit?*] Ita quidem, sed corrupte in omnibus impressis exemplaribus legitur: ex hac enim lectione congruus sensus elici non potest. unde ex vetustissimi ac manuscripti codicis auctoritate legendum est, *Si non nisi casta placebat?* ut sit sensus: Si casta uxor tibi placebat, non formosam ducere debebas. Juxta Biantis sententiam illam, quæ dissua-

Si sapis, indulge dominæ; vultusque severos
  Exsue: nec rigidi jura tuere viri.
Et cole, quos dederit (multos dabit) uxor amicos.
  Gratia sic minimo magna labore venit.
Sic poteris juvenum convivia semper inire:
  Et, quæ non dederis, multa videre domi.

ELEGIA V.

Nox erat: et somnus lassos submisit ocellos.
  Terruerunt animum talia visa meum.
Colle sub aprico celeberrimus ilice lucus
  Stabat; et in ramis multa latebat avis.
Area gramineo suberat viridissima prato,
  Uvida de guttis lene sonantis aquæ.
Ipse sub arboreis vitabam frondibus æstum;
  Fronde sub arboreâ sed tamen æstus erat.
Ecce, petens variis immixtas floribus herbas,
  Constitit ante oculos candida vacca meos.
Candidior nivibus, tunc cum cecidere recentes;
  In liquidas nondum quas mora vertit aquas.
Candidior, quod adhuc spumis stridentibus albet,
  Et modo siccatam, lacte, relinquit ovem.

det uxorem ducendam esse: Si deformem duxeris, pœnam habebis: Si pulchram, communis erit. MARIUS.

---

1. *Nox erat, et somnus lassos summisit ocellos.*] Hæc Elegia, quæ sub finem operum Ovidianorum fragmenti nomine perperam hactenus legebatur, huc revocanda est ex fide optimorum ac veterrimorum codicum. uti parens meus jampridem monuit. HEINSIUS. Gryphius et Bersmannus, ut fragmentum ex Epigrammatis, ad calcem primi tomi rejecerunt. in prima editione est sexta libri secundi, in Juniano codice legitur post Elegiam de Nuce, ubi et Aldus collocavit. in aliis post Elegiam in mortem Tibulli, in Francof. post Ibin. BURM.

14. *Siccatam.*] Vide ad Quinctil. Decl. x. 3.

Taurus erat comes huic, feliciter ille maritus:
Cumque suâ teneram conjuge pressit humum.
Dum jacet, et lente revocatas ruminat herbas,
Atque iterum pasto pascitur ante cibo;
Visus erat, somno vires adimente; ferenti
Cornigerum terræ deposuisse caput.
Huc levibus cornix pennis delapsa per auras
Venit; et in viridi garrula sedit humo.
Terque bovis niveæ petulanti pectora rostro
Fodit; et albentes abstulit ore jubas.
Illa locum taurumque diu cunctata relinquit.
Sed niger in vaccæ pectore livor erat.
Utque procul vidit carpentes pabula tauros;
(Carpebant tauri pabula læta procul)
Illuc se rapuit, gregibusque immiscuit illis;
Et petiit herbæ fertilioris humum.
Dic, age, nocturnæ, quicumque es, imaginis augur,
(Si quid habent veri) visa quid ista ferant.
Sic ego: nocturnæ sic dixit imaginis augur,
Expendens animo singula visa suo:

17. *Dum jacet et lente.*] Hunc versum citat Servius ad illa Virgilii Eclog. vi. ver. 54.

——*Pallentes ruminat herbas. Removit* (lege e MS. *revomit*) *atque iterum consumit, atque iterum pacto pascitur ante cibo.* Sic Ovidius. ubi etiam mendose legitur, *pacto*, quod tamen V. C. retinet. Heins.

19. *Somno vires adimente ferendi.*] *Ferenti* Puteaneus, Arandelianus, et unus Moreti. scilicet, *terræ*. Heins.

24. *Fodit et albentes.*] *Cædit* Fragmentum Patavinum, quod placet. Heinsius. Ego nihil mutem: nam *fodiebat* v. 39. repetitum, hic verbum illud ponendum esse jubet. ita vii. Metam. 314.

Marcentia guttura cultro Fodit.

Rodit erat in Juniano, sed *rostro rodere*, non est Ovidianum. Burm.

Ore notas.] In eodem Maffeian. *jubas.* in uno Vaticano, *comas.* mihi non liquet pronuntiare, ut legendum sit. Ciofan. *Jubas* aut *comas* de tauro dici non memini. quare ego legerem cum vulgatis, *notas.* et, cum Francof. qui pro *ore* habeat *inde*, refingerem, *albentes abstulit inde notas.* Burmannus. *Notas* ego quoque malim; *jubæ* enim pili longiores, quam quos vellicando cornix potuerit *auferre*. Cæterum metaphorice hæc omnia. Amar.

34. *Excudens animo singula dicta meo.*] In eodem lib. Maffeian. *Exponens.* In altero, *Expendens.* Non dis-

Quem tu mobilibus foliis vitare volebas,
Sed male vitabas, æstus amoris erat.
Vacca pŭella tua est. aptus color ille puellæ.
Tu vir, et in vaccâ compare taurus eras.
Pectora quod rostro cornix fodiebat acuto;
Ingenium dominæ lena movebit anus.
Quod cunctata diu taurum sua vacca reliquit;
Frigidus in viduo destituere toro.
Livor, et adverso maculæ sub pectore nigræ,
Pectus adulterii labe carere negant.
Dixerat interpres. gelido mihi sanguis ab ore
Fugit; et ante oculos nox stetit alta meos.

ELEGIA VI.

Amnis, arundinibus limosas obsite ripas,
Ad dominam propero; siste parumper aquas.

plicet. Ciofanus. Vulgati quidam, *Excudens.* quod fortasse sit, *Excutiens.* ut lib. ii. Trist. v.

Excutias oculis otia nostra tuis.

Excudere rarius Poëtis est usitatum; licet ita locutus sit Virgil. i. Æneid. 174.

Ac primum silicis scintillam excudit Achates.

Sed ibi, ut ex suis MSS. annotat Piërius, legendum, *excussit.* et pro *silicis, silici.* Heinsius. Mihi *excutiens,* quod Bersmanno se probabat, magis arridet, cujus alia verba sunt glossemata. vid. ad i. Eleg. viii. Burm.

1. *Amnis, arundinibus limosas obsite ripas, Ad dominam propero; siste parumper aquas.*] Amnis, de quo hic agit Poëta, is est, qui prope Sulmonis mœnia labitur, quem nostro idiomate *Vellam* dicimus. Vide quæ jam notavi lib. xii. in Metamorph. ver. 555. Hic autem amnis adulto vere, liquefactis nivibus, et interdum ineunte autumno, imbribus mirandum in modum augeri solet, et alicubi pristinum alveum relinquere, ita ut nemo hinc vel inde eum transire possit. Tale nactus impedimentum Ovidius, qui non longe ab Amoris fonte, ad Moroni montis radices, domum, cujus ingentia adhuc vestigia supersunt, quæque *le botteghe d'Ovidio* vulgo vocantur, habuisse dicitur, Sulmonem ad amicam proficiscens, hanc pulcherrimam et venustissimam indignatus scripsit Elegiam. Ciofanus. Hic vero amnis sive tor-

Nec tibi sunt pontes, nec quæ sine remigis ictu
Concava trajecto cymba rudente vehat.
Parvus eras, memini; nec te transire refugi;
Summaque vix talos contigit unda meos.
Nunc ruis opposito nivibus de monte solutis;
Et turpi crassas gurgite volvis aquas.
Quid properasse juvat? quid parca dedisse quieti
Tempora? quid nocti conseruisse diem?
Si tamen hic standum; si non datur artibus ullis
Ulterior nostro ripa premenda pedi.
Nunc ego, quas habuit pennas Danaeïus heros,
Terribili densum cum tulit angue caput;
Nunc opto currum; de quo Cerealia primum
Semina venerunt in rude missa solum.
Prodigiosa loquor veterum mendacia vatum;
Nec tulit hæc: nec fert, nec feret ulla dies.
Tu potius, ripis effuse capacibus amnis,
(Sic æternus eas) labere fine tuo.

rens ex eo genere fuit, quos Græci *ἀναύρους* vocant et *χειμάῤῥους*. Burm.

3. *Non tibi sunt pontes.*] Duo nunc ibi sunt pontes; si qui alii fiunt, aquarum vi atque impulsu evelluntur, a quo verbo hic amnis nomen accepisse videtur. Ciofanus. Sed unus Vaticanus, *Nec tibi sunt lintres.*

7. *Oppositis.*] Rectius in manuscriptis legitur, *Opposito*, id est, adverso monte: hic enim mons e regione et in conspectu fluminis erat. Fortasse de Soracte intelligit, de quo Horat. lib. i. Od. 9. ait:

Vides, ut alta stet nive candidum
Soracte.

Est autem hic mons (ut lib. v. scribit Strabo) juxta Flaminiam viam in Phaliscis, unde oriunda erat uxor Nasonis, ut ipse inferius ostendet. Marius. Hunc montem jam dixi *Majellam* vocari, qui adeo altus et sublimis est, ut cum altissimis quibusque Italiæ montibus de sublimitate certare possit, in quo nix perpetuo servatur. Ciof.

18. *Nec tulit hæc unquam.*] *Nec tulit hæc, nec fert* duo Moreti, cum Neapolitano, Menteliano, ac uno Palatino, placet. sic Homerus:

Ὃς ἤδη τά τ᾽ ἐόντα, τά τ᾽ ἐσσόμενα,
πρό τ᾽ ἐόντα.

De Calchante. Apollo apud Nostrum Metam. i.

——*Per me quod eritque fuitque*
Estque patet. Heins.

19. *Effuse capacibus.*] Hoc vix intelligo. si dixisset, *ripis superfuse*, id est qui egressus es alveum, redi ad fines tuos, sensus constaret; sed neque *capacibus* placet conjungi cum *effuse.*

Non eris invidiæ, torrens, (mihi crede) ferendæ,
  Si dicar per te forte retentus amans.
Flumina deberent juvenes in amore juvare?
  Flumina senserunt ipsa, quid esset amor.
Inachus in Melie Bithynide pallidus îsse
  Dicitur, et gelidis incaluisse vadis.
Nondum Troja fuit lustris obsessa duobus,
  Cum rapuit vultus, Xanthe, Neæra tuos.
Quid? non Alpheon diversis currere terris
  Virginis Arcadiæ certus adegit amor?
Te quoque promissam Xantho, Penêe, Creüsam
  Phthiotum terris occuluisse ferunt.
Quid referam Asopon, quem cepit Martia Thebe,
  Natarum Thebe quinque futura parens?

si enim ripæ caperent, vel capaces essent aquæ, nihil esset quod quereretur Poëta transiisse aquam fines suos: ripis enim, qui continetur fluvius, fine suo labitur. in Francofurtensi optimo codice erat, *rapacibus*. forte scripserit, *rivis effuse rapacibus*. sic *rapaces undæ* vii. Metam. 550. et *rapidæ aquæ* mox ver. 80. et passim. *ripam* et *rivum* confundi vidimus ad Epist. v. 27. si vulgata servetur, potest votum intelligi, ut intra alveum, satis capacem, fluat. BURMANNUS. Nihil certe mutandum. Vertitur hic omnis difficultas (si qua tamen) in interpretanda voce hac *capacibus*, quam si de *ripis* quæ flumen *prius* capiebant, intellexeris, nihil prorsus mirum *effundi* illud e ripis *suis*, quum nivibus solutis et pluvia repente adauctus. AMAR.

21. *Non eris invidiæ torrens (mihi crede) ferendæ.*] Id est, non eris satis, sive sufficiens ad invidiam omnem ferendam ac sustinendam. MICYL.

25. *Inachus in Melie Bithynide* &c.] Meminit hujus Nymphæ, quæ Amycum, Bebrycum regem, e Neptuno suscepit, Apoll. ii. 2. ubi de Amyco.

———————"Ον ποτε νύμφη
Τίκτε Ποσειδάωνι γενεθλίῳ εὐνηθεῖσα,
Βιθυνὶς Μελίη, ὑπεροπληέστατον ἀνδρῶν.

Meliam quoque dici posse patet ex ipso scholiaste, ad locum cit. ἄδηλον γὰρ, inquit, ποῖόν ἐστι τὸ κύριον. AMAR.

31. *Neæram.*] Commentator hoc loco addit, in quibusdam exemplaribus scriptis, *Creüsam*, pro *Neæra* legi. quod non caret prorsus ratione: nam et Pindarus Ode ix. (vers. 22.) Pythiorum, ex Creüsa Naïde et Peneo Hypseam regem Lapitharum, patrem Cyrenes natum dicit. ipsam autem Creüsam γαίας θυγατέρα vocat. MICYLLUS.

34. *Natarum Thebe quinque futura parens.*] Has quinque recenset interpres Pindari Ode vi. (vers. 144.) Olympiorum, his nominibus: *Corcyra*, *Ægina*, *Salamis*, *Thebe*, et *Harpinna*: easque natas ex Metope dicit, quæ filia Ladonis. Sed Ovidius alios se-

Cornua si tua nunc ubi sint, Achelöe, requiram;
Herculis iratâ fracta querere manu.
Nec tanti Calydon, nec tota Ætolia tanti;
Una tamen tanti Deïanira fuit.
Ille fluens dives septena per ostia Nilus,
Qui patriam tantæ tam bene celat aquæ,
Fertur in Euadne collectam Asopide flammam
Vincere gurgitibus non potuisse suis.
Siccus ut amplecti Salmonida posset Enipeus,
Cedere jussit aquam: jussa recessit aqua.
Nec te prætereo, qui, per cava saxa volutans,
Tiburis Argei spumifer arva rigas.
Ilia cui placuit, quamvis erat horrida cultu,
Ungue notata comas, ungue notata genas.
Illa, gemens patruique nefas, delictaque Martis,
Errabat nudo per loca sola pede.

cutus auctores videtur, qui matrem harum *Theben* facit, non *Metopen*: alii etiam plures Asopi filias annumerant: ut *Cleonem*, a qua Cleionæ oppidum juxta Nemeam: *Platæam*, a qua Plateæ oppidum Bœotiæ: *Beroen*, a qua Beroë oppidum: item Euboiam, a qua insulæ nomen: et *Comben*, quæ et *Chalcis* dicta. de quibus partim Pausanias in Bœotia, partim Eustathius in 2. Iliad. Micyllus. Rittershusius notat ad Oppiani lib. i. vers. 25. Herodotum duas nominare filias, *Theben* et *Æginam*. quarum hanc, cum pater indicio Sisyphi cognovisset ab Jove raptam, persequens fulmine tactus est. Diodorus Siculus lib. iv. duodecim filias ei tribuit, quarum et nomina recenset. Ceterum Scholiastes Pindari. sex recenset, illis, quas Micyllus enumerat, addens *Nemeam*. Burm.

43. *Siccus.*] Forte, *fictus*. Neptunus enim Enipei formam adsumserat. Propert. lib. i. Eleg. xiii. Heins.

46. *Spumifer arva rigas.*] *Pomifer* Puteaneus et alii magno numero. optime. Tibur enim copia et præstantia pomorum laudatissimum antiquis. Heinsius. Quia hic Poeta agit de rapidis fluviis et magnis, recte censuit Broukhusius, optimus Poëtarum interpres, *Pomiferi* epitheton hoc loco valde esse debile, neque ad rem multum facere. vide eum ad Propert. lib. iv. Eleg. vii. vers. 81. et certe melius *Spumifer* convenit fluvio, qui *per cava saxa volutat*, unde spuma oritur. et Dionys. Halicar. lib. v. cap. 37. de Aniene: Ὅς ἐκ πολέως μὲν Τιβύρων καθ' ὑψηλοῦ πολὺς ἐκχεῖται σκοπέλου. Burm.

Hanc amnis rapidis animosus vidit ab undis:
Raucaque de mediis sustulit ora vadis:
Atque ita, Quid nostras, inquit, teris anxia ripas,
Ilia, ab Idæo Laomedonte genus?
Quo cultus abiere tui? quid sola vagaris?
Vitta nec evinctas impedit alba comas?
Quid fles, et madidos lacrimis corrumpis ocellos?
Pectoraque insanâ plangis aperta manu?
Ille habet et silices, et vivum in pectore ferrum,
Qui tenero lacrimas lentus in ore videt.
Ilia, pone metus; tibi regia nostra patebit:
Teque colent amnes; Ilia, pone metus.
Tu centum, aut plures, inter dominabere Nymphas:
Nam centum, aut plures flumina nostra tenent.
Ne me sperne, precor, tantum, Trojana propago:
Munera promissis uberiora feres.
Dixerat. illa, oculos in humum dejecta modestos,
Spargebat tepidos flebilis imbre sinus.
Ter molita fugam, ter ad altas restitit undas,
Currendi vires eripiente metu.
Sera tamen scindens inimico pollice crinem,
Edidit indignos ore tremente sonos:

56. *Vitta nec evinctas.*] Virginitatis insigne vitta.

58. *Plangis.*] *Tundis inepta* prior Mediceus. quod admodum placet, et *aperta* ex alio loco huc a librario intrusum puto. non est acerbum autem convicium *inepta*, cum et Deus dicat, et blanda additurus sit verba. vid. Donat. ad Terent. Adel. vi. iv. 7. et ita sæpe apud Nostrum et comicos *inepti* dicuntur, qui aliquid rebus, personis aut tempori non congruens faciunt. Burm.

67. *Oculos humum.*] Et sensus et carminis ratio exigit, ut omnino legatur, *In humum:* et sic est in manuscriptis exemplaribus. *Dejecta:* pro, dejectos habens oculos modestos in terram. Est enim Synecdoche. ut apud Virgil. lib. i. 561.

Tum breviter Dido vultum demissa profatur. Marius.

68. *Flebilis.*] Pro flente et mœsta poni videtur, ita Horat. iv. Od. 2. *Flebili sponsæ juvenem raptum.* Burm.

71. *Sera tamen.*] Tarda ad loquendum, quia scilicet diu tacuit. Marius.

O utinam mea lecta forent, patrioque sepulcro
  Condita, dum poterant virginis ossa legi!
Cur modo Vestalis tædas invitor ad ullas
  Turpis, et Iliacis inficianda focis?
Quid moror? en digitis designor adultera vulgi.
  Desit famosis, qui notet ora, pudor.
Hactenus; et vestem tumidis prætendit ocellis:
  Atque ita se in rapidas perdita misit aquas.
Supposuisse manus ad pectore lubricus amnis
  Dicitur; et socii jura dedisse tori.
Te quoque credibile est aliquâ caluisse puellâ:
  Sed nemora et silvæ crimina vestra tegunt.
Dum loquor, increvit latis spatiosius undis,
  Nec capit admissas alveus altus aquas.
Quid mecum, furiose, tibï? quid mutua differs
  Gaudia? quid cœptum, rustice, rumpis iter?
Quid? si legitimum flueres, si nobile flumen?
  Si tibi per terras maxima fama foret?
Nomen habes nullum, rivis collecte caducis;
  Nec tibi sunt fontes, nec tibi certa domus.

78. *Desit famosus.*] Legerem, *Desit famosis, qui notet ora, pudor;* adulteris notis, et jam criminibus se polluere adsuetis, desit pudor; sed mihi, Vestali virgini, et intactæ, pudor, quod digitis designer, subit, et prohibet plura loqui. et ideo vestem pudore subeunte oculis prætendit. BURM.

79. *Tumidis.*] Recte *tumidis* Puteaneus et quatuor alii, ex fletu tumentes intelligit. Tibullus lib. i. Eleg. viii.

Et tua jam fletu lumina fessa tument. HEINS.

Confirmat Heinsii, quæ et Douzæ fuit olim, correctionem Francofurtensis. et ita capienda illa Suetonii, Tiber. cap. 7. *Semel ex occursu visam adeo contentis et tumentibus oculis prosecutus est.* ubi frustra corrigunt viri eruditi, et alii *tumentes* oculos, amatorios, exstantes, et nescio quos exponunt. et sic *turgentes genas* Senecæ Agamem. 760. vindicavit Gronovius. notat vero Douza obnuptam et velatam hic induci Iliam ex ritu prisco nuptiarum. BURM.

82. *Socii jura dedisse tori.*] Sepulta dicitur Ilia ad Tybridis ripas, unde cum ipso fluvio nupsisse poetæ tradiderunt; et egregie dictus ab Hor. i. Od. ii. 20. *Uxorius amnis.* AMAR.

Fontis habes instar pluviamque nivesque solutas;
Quas tibi divitias pigra ministrat hiems.
Aut lutulentus agis brumali tempore cursus:
Aut premis arentem pulverulentus humum.
Quis te tum potuit sitiens haurire viator?
Quis gratâ dixit voce, Perennis eas?
Damnosus pecori curris, damnosior agris.
Forsitan hæc alios; me mea damna movent.
Huic ego væ demens narrabam fluminum amores?
Jactasse indigno nomina tanta pudet.
Nescio quid spectans, Acheloon et Inachon amnes,
Et potui nomen, Nile, referre tuum.
At tibi pro meritis opto, non candide torrens,
Sint rapidi soles, siccaque semper hiems.

ELEGIA VII.

At non formosa est, at non bene culta puella;
At, puto, non votis sæpe petita meis!
Hanc tamen in nullos tenui male languidus usus,
Sed jacui pigro crimen onusque toro.

97. *Quis te unquam potuit.*] *Quis te tum potuit* Puteaneus. probe. æstivo tempore nimirum, quando arentem humum pulverulentus premis. Heins.

99. *Damnosus pecori curris, damnosior agris.*] Comment. de potu nocivo, et quod ex eo in morbos incidant pecora: sed fortasse magis de inundatione stabulorum et pascuorum intelligendum. In quibusdam etiam legitur:

Damnosus pecori, cultis damnosior agris. Micyl.

101. *Væ demens.*] *Væ demens*, valde demens. ut apud Virgil. in Buc.

Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ.

Væ enim particula (ut docet Gell. lib. v. Noctium Atticarum) interdum auget, interdum minuit: inde *væhemens*, *vagrande*, *væsanos*, et *væcordes* dicimus. Marius.

106. *Rapidi soles.*] *Rabidi* Neapolitan. sed et *rapidus sol* potest dici, quia calore suo omnia rapit, ut ita Virgil. iv. Georg. 425. *rapidum sirium* dixit. et *rapidæ flammæ*, *rapidus ignis* passim dicuntur. vid. vii. Metam. 327. Burm.

Nec potui cupiens, pariter cupiente puellâ,
Inguinis effœti parte juvante frui.
Illa quidem nostro subjecit eburnea collo
Brachia, Sithoniâ candidiora nive:
Osculaque inseruit cupidæ luctantia linguæ:
Lascivum femori supposuitque femur.
Et mihi blanditias dixit, Dominumque vocavit:
Et quæ præterea publica verba juvant.
Tacta tamen veluti gelidâ mea membra cicuta,
Segnia propositum destituere suum.
Truncus iners jacui, species, et inutile pondus:
Nec satis exactum est, corpus an umbra forem.
Quæ mihi ventura est (siquidem ventura) senectus,
Cum desit numeris ipsa juventa suis?
Ah pudet annorum! quo me juvenemque virumque,
Nec juvenem, nec me sensit amica virum.
Sic flammas aditura pias æterna sacerdos
Surgit, et a caro fratre verenda soror.
At nuper bis flava Chlide, ter candida Pitho,
Ter Libas officio continuata meo.

12. *Publica.*] Apprime huc facit Seneca Epist. iii. *Itaque sic priore verbo, quasi publico usus es: et sic illum amicum vocasti, quomodo omnes candidatos bonos viros dicimus, quomodo obvios, si nomen non succurrit, dominos salutamus.* et Epist. lix. *Magnam ex epistola tua percepi voluptatem. permitte enim mihi uti verbis publicis, nec illa ad significationem Stoïcorum revoca.* Ovid. i. Art. 144.

Et moveant primos publica verba sonos. HEINS.

22. Post hunc versum duo inseruntur in Bernensi codice:

Factus ita imbellis, doleo, dolet ipsa puella,
Quum non humanis utimur officiis. AMAR.

23. *Chie.*] Alii aliter. Puteaneus, *Clide.* hoc est, χλιδή. *Clyte* Barberinianus. forte, *Chloe.* quæ et Horatianum scortum. Martial. ix. Epigr. 16.

Inscripsit tumulo septem scelerata virorum
Se fecisse Chloe. quid pote simplicius. HEINS.

Pitho.] *Pitho,* inquit Commentator, dicta est, quod credula esset, et facile persuaderi ei aliquid posset. *Libas* autem a Libano monte forsitan, &c. Hæc quam sint frivola, alii judicent. *Pitho* a Græco Πειθῶ sumptum est,

Exigere a nobis angustâ nocte Corinnam,
Me memini numeros sustinuisse novem.
Num mea Thessalico languent devota veneno
Corpora? num misero carmen et herba nocent?
Sagave pœniceâ defixit nomina cerâ,
Et medium tenues in jecur egit acus?
Carmine læsa Ceres sterilem vanescit in herbam:
Deficiunt læsi carmine fontis aquæ;
Ilicibus glandes, cantataque vitibus uva
Decidit; et nullo poma movente fluunt.
Quid vetat et nervos magicas torpere per artes?
Forsitan impatiens sit latus inde meum.
Huc pudor accessit: facti pudor ipse nocebat:
Ille fuit vitii caussa secunda mei.
At qualem vidi tantum tetigique puellam,
Sic etiam tunicâ tangitur ipsa suâ.

quod nomen suadelam, ut Latini verterunt, significat. Quare non credulo, sed active potius, ea quæ facile persuadeat aliis, accipienda est. *Libas* autem a Græco Λιβεῖν derivari videtur, quod libare ac degustare significat: sive a libandis osculis, sive a libando vino appellatam dicas. Aut certe a Λιβάζω, quod stillare significat: unde Λιβάς, gutta, vel scaturigo. Micyl.

29. *Sagave Pœnicea defixit nomina cera.*] Locus non satis intellectus ab interpretibus. Duplicem defixionis magicæ modum a Nasone describi observamus, qua absentem devovebant sagæ quemcumque. Alterum habes Hypsipyles Epistola vi. 91. de Medea, *Devovet absentes simulacraque cerea figit.* Sæviebant nimirum stylis æneis acubusve veneficæ ac magæ in simulacra ex cerâ formata ad similitudinem illorum, quos devovendos sibi proponebant, additis incantamentis. nonnumquam et igni admovebant hæc simulacra, sic ut paullatim liquescerent. qua de re habes nonnihil in Pharmaceutria Virgiliana. Alterum incantamenti ac devotionis genus, cum tabellis inscribebant illorum nomina, quos defixos ac devotos cupiebant, eademque nomina pari, ut dictum est, modo confodiebant, aut imprecationibus adscriptis devovebant, ut mox videbimus. Tabellas cerâ rubra plerumque oblitas fuisse discimus ex Amorum libro primo Elegia xii. ubi inter alia ad ceram tabellarem:

At, tamquam minio, penitus medicata rubebas,
Ille color vere sanguinolentus erat.

Ut jam intelligamus cur, *cera Punicea defigi nomina* dixerit hic loci Naso. Heins.

[illegible]
That I had Nestor's hernia thou wouldst think
I do degenerate to abuse my nature.
The Troy. III. 5.

Illius ad tactum Pylius juvenescere possit,
 Tithonosque annis fortior esse suis.
Hæc mihi contigerat; sed vir non contigit illi.
 Quas nunc concipiam per nova vota preces?
Credo etiam magnos, quo sum tam turpiter usus,
 Muneris oblati pœnituisse Deos.
Optabam certe recipi; sum nempe receptus:
 Oscula ferre; tuli: proximus esse; fui.
Quo mihi fortunæ tantum? quo regna sine usu?
 Quid, nisi possedi dives avarus opes?
Sic aret mediis taciti vulgator in undis;
 Pomaque, quæ nullo tempore tangat, habet.
A tenerâ quisquam sic surgit mane puellâ,
 Protinus ut sanctos possit adire Deos.
Sed non blanda, puto, non optima perdidit in me
 Oscula: non omni sollicitavit ope.
Illa graves potuit quercus, adamantaque durum,
 Surdaque blanditiis saxa movere suis.
Digna movere fuit certe vivosque virosque;
 Sed neque tum vixi, nec vir, ut ante, fui.
Quid juvet, ad surdas si cantet Phemius aures?
 Quid miserum Thamyran picta tabella juvet?

41. *Illius a tactu.*] *Ad tactus* Barberin. elegans ille usus præpositionis *ad;* id est quam primum *tangeret.* ita *ad ventum* Horat. i. Od. 23. id est quam primum flaret. Burm.

Pylius.] *Pelius* Palatinus, *Peleus* Francof. sed legendum puto, *Pelias.* non enim nunc de sene Nestore agitur, sed de talibus senibus, qui olim in juventutem rediisse dicuntur. quare et Peliæ Tithonus jungitur, qui revera renovavit juventutem. Peliæ autem eadem spes per Medeam facta fefellit. hinc efficaciorem hujus puellæ tactum omnibus Medeæ succis innuit. Burm.

43. *Hæc mihi.*] Palatini duo, *Hoc mihi contigerat.* sed frustra. Proprie contingit puella, cujus copia fit. Burm.

61. *Quid juvat ad surdas si cantet Phineus aures.*] *Phineus* quidem scriptum et impressum legitur in omnibus exemplaribus: sed corruptam esse dictionem autumo, nam apud Homer. i. Odyss. inducitur *Phæmius* citharista in convivio procorum canere improsperam Græcorum a Troja profectionem. Sed Naso pro quocumque optimo citharœdo *Phæmium* posuit. Marius.

62. *Quid miserum Thamyrin,* &c.]

At quæ non tacitâ formavi gaudia mente!
Quos ego non finxi disposuique modos!
Nostra tamen jacuere, velut præmortua, membra
Turpiter, hesternâ languidiora rosâ,
Quæ nunc ecce rigent intempestiva, valentque:
Nunc opus exposcunt militiamque suam.
Quin istic pudibunda jaces, pars pessima nostri;
Sic sum pollicitis captus et ante tuis.
Tu dominam fallis: per te deprensus inermis
Tristia cum magno damna pudore tuli.
Hanc etiam non est mea dedignata puella
Molliter admotâ sollicitare manu.
Sed postquam nullas consurgere posse per artes,
Immemoremque sui procubuisse videt;
Quid me ludis, ait? quis te, male sane, jubebat
Invitum nostro ponere membra toro?
Aut te trajectis Ææa venefica lanis
Devovet: aut alio lassus amore venis.
Nec mora: desiluit tunicâ velata recinctâ:
Et decuit nudos proripuisse pedes.

De Thamyri a Musis cœcato ex Mythologis nota fabula. Videantur Zenobius, et Apostolius, in *Θάμυρις μαίνεται*. Hunc Philammonis et Argiopes filium Apollodorus in Bibliotheca facit, qui amore Hyacinthi flagravit, ac primus Veneris masculæ sit inventor. De patre cum Apollodoro consentiunt Scholiastes Homeri et Phavorinus in Lexico. Sed apud utrumque male scribitur: *Οὗτος παῖς ἦν Φιλάμμωνος καὶ Ἀρσίου τῆς νύμφης*, pro *Ἀργιόπης*. Heins.

66. *Hesternâ languidora rosâ.*] Eleganter hesternæ rosæ comparat languida sua membra, et mortua: ita *ἡμιθανεῖς στεφάνους* dixit Poeta in Anthol. lib. iii. cap. xii. pag. 340. et Ciceronem pro Gallio *coronas languidulas* dixisse, quas Plutarchus *ἑώλους* vocavit, observavit Victor. Burm.

79. *Lanis.*] Quod autem in hujusmodi Cocytiis sacris lana uterentur, ostendit et Theocritus in Pharmaceutria illo hexametro: *Στέψον τὰν κελέβαν φοινικέῳ οἰὸς ἀώτῳ*. Marius. Τὸ *lanis* non esse mutandum, et capi debere de laneis imaginibus, quas acu transsuebant sagæ, supra diximus hac ipsa Elegia ad vers. 29. Fortassis tamen, *trajectis lamnis* reponendum. ut de laminis litteratis seu tabellis plumbeis intelligatur, de quibus paullo ante agebamus. Heins.

Neve suæ possent intactam scire ministræ,
Dedecus hoc sumtâ dissimulavit aquâ.

ELEGIA VIII.

Et quisquam ingenuas etiamnum suspicit artes,
Aut tenerum dotes carmen habere putat?
Ingenium quondam fuerat pretiosius auro:
At nunc barbaries grandis, habere nihil.
Cum pulchre nostri dominæ placuere libelli;
Quo licuit libris, non licet ire mihi.
Cum bene laudavit, laudato janua clausa est.
Turpiter huc illuc ingeniosus eo.
Ecce recens dives, parto per vulnera censu,
Præfertur nobis, sanguine pastus eques.
Hunc potes amplecti formosis, vita, lacertis?
Hujus in amplexus, vita, venire potes?
Si nescis, galeam caput hoc portare solebat:
Ense latus cinctum, quod tibi servit, erat.
Læva manus, cui nunc serum male convenit aurum,
Scuta tulit. dextram tange, cruenta fuit. 16

5. *Pulchræ.*] Rectius sine diphthongo legitur, *pulchre*, ut sit adverbium, et significet bene. MARIUS. *Pulchræ* prima editio et Putean. cum undecim aliis. sed male. ita sæpe Plautus et Terentius hoc adverbio utuntur.

9. *Ecce recens dives parto per vulnera censu Præfertur nobis, sanguine factus eques.*] Aristoteles lib. ii. Rhetoricorum tradit eos, qui nobili, et illustri loco nati sunt, indignari, cum aliquem vident, qui nuper ad divitias pervenerit, sibi præferri. Merito igitur Ovidius ejusmodi homini indignatur, quod sibi ab amica prælatus sit. CIOF.

11. *Hunc potes amplecti formosis stulta lacertis? Hujus in amplexu, &c.*] Invehitur in amicam interrogationibus, quæ hominem, qui humana cæde pollutus ac contaminatus erat, amplecteretur, cumque eo rem haberet. CIOF.

Formosis stulta lacertis.] Pro *stulta* tam hic, quam sequenti versu Puteaneus, *vita : mea vita, mea lux*, blanditiæ amatorum. HEINS.

Qua periit aliquis, potes hanc contingere dextram?
Heu! ubi mollities pectoris illa tui?
Cerne cicatrices, veteris vestigia pugnæ.
Quæsitum est illi corpore, quidquid habet.
Forsitan et, quoties hominem jugulaverit, ille
Indicet. hoc fassas tangis, avara, manus?
Ille ego Musarum purus, Phœbique sacerdos
Ad rigidas canto carmen inane fores.
Discite, qui sapitis, non quæ nos scimus inertes,
Sed trepidas acies, et fera castra sequi:
Proque bono versu primum deducite pilum.
Hoc tibi, si velles, possit, Homere, dari.
Juppiter admonitus nihil esse potentius auro,
Corruptæ pretium virginis ipse fuit.
Dum merces aberat; durus pater, ipsa severa,
Ærati postes, ferrea turris erat:
Sed postquam sapiens in munera venit adulter;
Præbuit ipsa sinus: et dare jussa dedit.
At cum regna senex cœli Saturnus haberet;
Omne lucrum tenebris alta premebat humus.
Æraque et argentum, cumque auro pondera ferri
Manibus admôrat: nullaque massa fuit.

17. *Qua periit aliquis.*] Egregie Lucianus tom. ii. pag. 551. in Dialogo Meretricum, Leontichi et Hymnidis, exprimit horrorem puellæ, quæ cum sanguinolento milite concumbere fastidiebat. ubi plura hanc Elegiam illustrantia videbis. Burm.

21. *Quoties hominem jugulaverit, ille Indicet.*] Forte, *iste*, per contemtum, ut sæpe apud Nostrum et alios. *hominem* non muto: nam *hostem* jugulare laudi foret. sed ambigue loquens etiam innocentium sanguine fœdatum indicare potest. Burm.

27. *Proque bono versu, primum deducite pilum.*] Nihil vobis proderit versus, et optimos quidem, condidisse, *deduxisse;* sed centuriæ primæ cohortis primæ præfuisse, et in hostem *deduxisse*. *Primus* autem *Pilus* vocabatur hæc centuria; et qui præerat *Primipilus*, quia ipsi parebant sexaginta Centuriæ, id est, tota Legio. Præerat aquilæ, ut docet Veget. ii. 8. *Pilum* autem a *pereundo* dictum ait Varro: a *pellendo* hostes, Festus. Amar.

At meliora dabat; curvo sine vomere fruges,
Pomaque, et in quercu mella reperta cavâ.
Nec valido quisquam terras findebat aratro:
Signabat nullo limite mensor humum.
Non freta demissi verrebant eruta remi.
Ultima mortali tum via litus erat.
Contra te sollers, hominum Natura, fuisti;
Et nimium damnis ingeniosa tuis.
Quo tibi, turritis incingere mœnibus urbes?
Quo tibi, discordes addere in arma manus?
Quid tibi cum pelago? terrâ contenta fuisses.
Cur non et cœlum, tertia regna, petis?
Quâ licet, adfectas cœlum quoque. templa Quiri-
Liber, et Alcides, et modo Cæsar, habent. [nus,
Eruimus terrâ solidum pro frugibus aurum.
Possidet inventas sanguine miles opes.
Curia pauperibus clausa est: dat census honores;
Inde gravis judex; inde severus eques.

43. *Demissi verrebant eruta remi.*] *Demissi* illi *remi* possunt intelligi ex navi in mare. sed tamen forte scripserit:

Non freta demissi verrebant eruta rami.

Ut ad primam et adhuc rudem navigandi originem adludat, cum ramos deformes et infabricatos adhiberent. *Demissi* vero rami possunt capi dejecti, amputati ex arboribus. Burm.

52. *Liber et Alcides.*] Non damno hanc lectionem; cum tamen optimus Palatinus, *Viribus et Alcides.* Forte scribendum, *Virbius, Alcides.* Bacchus enim inter vetustissimos Deos, cui nihil cum his recentioribus: hi autem Romulus, Hercules, Cæsar sunt omnes a Latinis culti. Certe in antiquis inscriptionibus, *Virbialis Flaminis* occurrit mentio. Heinsius. Non persuadet hoc loco Heinsius. Bacchum enim hic præteriri nefas esset, qui fere semper cum Hercule, Dioscuris, et aliis Heroibus, qui virtute cœlum meruerunt, a Poëtis memoratur, quibus Romulum et Cæsarem adulatores Romani addere solebant. Ex formula ergo quasi Noster sollemni et omnibus usitata hos semideos conjungit, quos veteres eodem numero habuisse vidimus. Æsculapium quidem his a nonnullis accenseri fatemur, sed ab omnibus Bacchum, ut principem quasi huic Deorum novorum turbæ inseri videmus. Burm.

Omnia possideant: illis Campusque Forumque
Serviat: hi pacem crudaque bella gerant.
Tantum ne nostros avidi prædentur amores;
Et satis est, aliquid pauperis esse sinant.
At nunc, exæquet tetricas licet illa Sabinas,
Imperat ut captæ, qui dare multa potest.
Me prohibet custos: in me timet illa maritum.
Si dederim, totâ cedet uterque domo.
O, si neglecti quisquam Deus ultor amantis,
Tam male quæsîtas pulvere mutet opes!

ELEGIA IX.

Memnona si mater, mater ploravit Achillen,
Et tangunt magnas tristia fata Deas;
Flebilis indignos, Elegeïa, solve capillos.
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit!
Ille tui vates operis, tua fama, Tibullus
Ardet in extructo, corpus inane, rogo.
Ecce, puer Veneris fert eversamque pharetram,
Et fractos arcus, et sine luce facem.

59. *Nostros avidi lucrentur amores.*] *Liceantur* jam Bersmannus in margine notavit, et explicuit, pretium in auctione offerant pro mea puella. sed non agitur hic de ancillis, quæ venales esse solebant, quare mihi præplacet lectio Palatini et Francofurtensis, *venentur:* vel *prædentur*. Burm.

60. *Et satis est, aliquid pauperis esse sinant.*] *Queis satis est* Douza legebat, id est, qui amore et opibus abundant. vid. et supr. Eleg. ii. vers. ult. est vero hic ellipsis τοῦ *si*, ut sæpe alibi notavimus. vid. ad i. Am. iv. 29. et satis est, si sinant aliquid esse pauperis. Burm.

66. *Pulvere mutet.*) Id est ad nihilum redigat. Tibul. i. x. 12. Marius.

---

1. *Mater.*] Aurora. *Mater.* Thetis.

5. *Tui vates operis.*] Id est sacrorum tuorum antistes. ut *opus* et *operari* proprie de sacris. Burm.

Adspice, demissis ut eat miserabilis alis;
Pectoraque infestâ tundat aperta manu.
Excipiunt sparsi lacrimas per colla capilli,
Oraque singultu concutiente sonant.
Fratris in Æneæ sic illum funere dicunt
Egressum tectis, pulcher Iüle, tuis.
Nec minus est confusa Venus, moriente Tibullo,
Quam juveni rupit cum ferus inguen aper.
At sacri vates, et Divûm cura vocamur:
Sunt etiam, qui nos numen habere putent.
Scilicet omne sacrum mors importuna profanat:
Omnibus obscuras injicit illa manus.
Quid pater Ismario, quid mater, profuit Orpheo?
Carmine quid victas obstupuisse feras?
Ælinon in silvis idem pater, Ælinon, altis
Dicitur invitâ concinuisse lyrâ.

9. *Aspice demissis.*] *Dejectis* Barthius; qui literarum sonum quodammodo referre celerem alarum plausum putat.

15. *Confusa.*] Duo scripti, *concussa.* sed frustra. *confusus* pro tristi passim ponitur. vid. Epist. xix. 193. et vi. Fast. 582. apud Petronium sæpius. *concuti* gravioris adfectionis verbum. vid. Perizon. ad Liv. xxxiii. 19. Burm.

18. *Sunt etiam qui nos numen habere putent.*] Expresse Socrates, vel Plato potius, ad *Ionem*, in Dial. qui sic inscribitur: Οὐ τέχνῃ, ἀλλὰ θείᾳ μοίρᾳ. Et ipse Noster, Fast. vi. 6. sed ornatius:

Est Deus in nobis; agitante calescimus illo:
Impetus hic sacræ semina mentis habet. Amar.

20. *Omnibus obscuras.*] Heinsius conjecerat olim, *obscænas*; si addicerent MSS. laudarem. sed postea cum Mario *nigras* explicandas censuit. et recte: nam omnia inferis et morti adscripta *nigra* dicuntur. male hic Barthius *obscuras* manus interpretatur. quia latebant omnes, quo colore manus mortiferæ essent. Burm.

23. *Ælinon.*] *Et Linon altis* Puteaneus cum optimo Palatino, Arondeliano, et tribus aliis. venustâ mehercules repetitione. pro quo alii, *edidit*, *abditum in*, vel, *expositum.* et similia. Ceterum Puteaneus a manu primâ, *Elinon.* ut utroque forsan loco sit scribendum, *Ælinon.* sed nec αἴλινος semper carmen lugubre. Athenæus lib. xiv. Λίνος δὲ καὶ αἴλινος οὐ μόνον ἐν πένθεσιν, ἀλλὰ καὶ ἐπ' εὐτυχεῖ μολπῷ κατὰ τὴν Εὐριπίδην. Ceterum ut a Lino Αἴλινος θρῆνος derivatur, sic ab Ialemo Calliopes filio θρῆνος Ἰάλεμος. Scholiast. Apoll. Rhodii ad illum versum lib. iv. 1304.

Παννύχιαι ἐλεεινὸν Ἰάλεμον ὠδύροντο. Heins.

Here burnt, whose small return
Of ashes scarce suffice
To fill a little urn!

Adjice Mæoniden, a quo, ceu fonte perenni,
Vatum Piëriis ora rigantur aquis;
Hunc quoque summa dies nigro submersit Averno;
Diffugiunt avidos carmina sola rogos.
Durat opus vatum, Trojani fama laboris,
Tardaque nocturno tela retexta dolo.
Sic Nemesis longum, sic Delia, nomen habebunt;
Altera, cura recens, altera, primus amor.
Quid vos sacra juvant? quid nunc Ægyptia prosunt
Sistra? quid in vacuo secubuisse toro?
Cum rapiant mala fata bonos, (ignoscite fasso)
Sollicitor nullos esse putare Deos.
Vive pius; moriere pius. cole sacra; colentem
Mors gravis a templis in cava busta trahet.
Carminibus confide bonis. jacet ecce Tibullus.
Vix manet e tanto parva quod urna capit.

Ælinon ego cum Scaligero et Heinsio veram esse lectionem puto; de quo vide Euripid. Suppl. 281. ibique Barnesium, et Scholiasten Apollonii lib. i. vers. 862. vid. et Zinzerl. Promuls. cap. xxxi. et Barth. Ad. xxiii. 20. Burm.

25. *Ceu fonte perenni.*] Ita passim Homerus prædicatur: Plin. lib. xvii. cap. 5. *Terra post vomerem nitescens, qualem fons ingeniorum Homerus in armis a Deo cælatis dixit, addiditque miraculum nigrescentis, quamvis fieret in auro.* et eleganter huc facit quod narrat Ælianus lib. xiii. Var. cap. 22. de Galathone pictore, qui dicitur Homerum vomentem depinxisse, cujus vomitum alii Poëtæ adstantes absorbent.

29. *Durat opus Vatum, Trojani fama laboris, Tardaque nocturno tela retexta dolo.*] Eos Poëtas intelligit, qui de bello Trojano et de Penelopa scripserunt. Ciofanus. Repone vel invitis libris, *vatis. Vates* per excellentiam Homerus. Heinsius. Ita et Francius conjecerat, et intelligit Iliada et Odysseam.

35. *Cum rapiant.*] *Cum mala fata bonos perdant* Regius: quæ de voce *bonus* Barthius observat, nescio an huc quadrent. sed respicere videtur ad sollemnem formulam, qua, cum obiisset aliquis, incusabant fatum, quod tam bonum virum rapuisset. quo adludit Petron. cap. xli. *Homo bellus, tam bonus Chrysantus animam ebulliit.* et ita sæpe in titulis sepulchralibus laudari ostenderunt ibi interpretes. quibus adde Fabret. pag. 712. et 716. et pag. 203. *Bonus homo et pius;* ut mox apud Nostrum, *vive pius.* Reines. xi. 1. et passim. Burm.

Trust to good verses, then;
They only will aspire,
When pyramids, as men,
Are lost i' th' funeral fire.
Herrick

Tene, sacer Vates, flammæ rapuere rogales;
   Pectoribus pasci nec timuere tuis?
Aurea sanctorum potuissent templa Deorum
   Urere, quæ tantum sustinuere nefas.
Avertit vultus, Erycis quæ possidet arces.
   Sunt quoque, qui lacrimas continuisse negent.
Sed tamen hoc melius, quam si Phæacia tellus
   Ignotum vili supposuisset humo.
Hinc certe madidos fugientis pressit ocellos
   Mater; et in cineres ultima dona tulit:
Hinc soror in partem miserâ cum matre doloris
   Venit, inornatas dilaniata comas.
Cumque tuis sua junxerunt Nemesisque priorque
   Oscula: nec solos destituêre rogos.
Delia discedens, Felicius, inquit, amata
   Sum tibi: vixisti, dum tuus ignis eram.
Cui Nemesis, Quid ais? tibi sint mea damna dolori,
   Me tenuit moriens deficiente manu.

45. *Avertit vultus.*] Superstitionem illam non respiciendi ad sacra funebria egregie illustrat Dan. Heinsius ad Sil. iii. 180.

47. *Quam si Phæacia tellus.*] Corcyra insula, a Phæacibus populis sic dicta, quo Messalam Tibullus sequutus fuerat; ibique morbo correptus, redeuntem Romam patronum quum non posset comitari, Elegiam ad eum scripsit suavissimam, quæ tertia libri primi. AMAR.

53. *Cumque tuis.*] Marius subintelligi *osculis* vult. sed Barthius rectius cognatis et agnatis, ne Tibullum etiam osculantem post mortem faciat. Cicer. iv. ad Fam. 7. *A tuis reliquis non adhibemur*, et Noster Epist. i. 41. *Nimium oblite tuorum.* ita passim, *mei, tui, sui,* dicuntur. sed in Scriveriano erat, *cumque tuis oculis Nemesis junxere priorque oscula.* BURM.

57. *Tibi sunt mea.*] *Sint* Moreti. HEINSIUS. Ego in vulgata vix sensum video, ideoque malo cum Junii et Palatino tertio:

Cui Nemesis, quid ais? tibi sint mea
   damna dolori.

Ut sit oratio vehementior et objurgantis. quid me Delia tangis et perstringis, quasi non fuisset felix dum me amaret, te posthabita. imo ut etiam meis damnis doleas, scias illum aliter sensisse: nam moriens tenuit adhuc me manu deficiente, quod tibi dolet; et licet mihi mors illa damnosissima exstititerit; non est tamen quod tu exsultes, et putes illum te mihi prætulisse, aut me non amasse ad extremum vitæ halitum. BURM.

Si tamen e nobis aliquid, nisi nomen et umbra,
Restat; in Elysiâ valle Tibullus erit.
Obvius huic venias, hederâ juvenilia cinctus
Tempora, cum Calvo, docte Catulle, tuo.
Tu quoque (si falsum est temerati crimen amici)
Sanguinis atque animæ prodige Galle tuæ.
His comes umbra tua est; si quid modo corporis umbra est.
Auxisti numeros, culte Tibulle, pios.
Ossa quieta, precor, tutâ requiescite in urnâ:
Et sit humus cineri non onerosa tuo.

ELEGIA X.

Annua venerunt Cerealis tempora sacri.
Secubat in vacuo sola puella toro.
Flava Ceres, tenues spicis redimita capillos,
Cur inhibes sacris commoda nostra tuis?

63, *Tu quoque si verum est.*] Mirum est quam diversa de hujus Poëtæ morte tradant veteres. Noster lib. ii. Tristium 496. caussam ait fuisse, quod *linguam nimio mero non tenuerit.* quod Marius ad lib. i. Amor. Eleg. 15. explicat, quod male de Augusto fuerit locutus. alii narrant caussam fuisse, quod Ægypto præfectus, nomen suum et res gestas Pyramidibus inscripserit, vel quod Ægyptum, et præcipue Thebas, rapinis exhauserit. quod vero hæc Poëtæ verba capiant de Augusto, quem *amici* nomine Poëta *temerati* designaret, non persuadent. neque tam familiari appellatione Nasonem designavisse Augustum credibile est. sed recte aliquid inimicitiarum inter Gallum et Tibullum intercessisse suspicatur Scaliger ad Eusebii Chron. n. MDCCCCXC. quem recte cepisse putamus. quod si crimen falsum est, tum, Naso dicit, eum inter Poëtarum umbras etiam Tibullo occursurum. si vero verum sit crimen, eum removeri vult a Tibulli adspectu. BURM.

1. *Annua venerunt* &c.] Ludos indicat qui Romæ unoquoque anno a matronis et virginibus, v Id. April. in honorem Cereris celebrabantur: quo tempore, mulieres secubabant a viris, quibus ne aditus quidem ad sacrarium Deæ patebat. Quod quum non æquius ferret Naso, quam Propertius Isidis festa (ii, Eleg. xxiv,) in Cererem sic invehitur. AMAR.

Te, Dea, munificam gentes ubicumque loquuntur:
Nec minus humanis invidet ulla bonis.
Ante nec hirsuti torrebant farra coloni:
Nec notum terris area nomen erat.
Sed glandem quercus, oracula prima, ferebant.
Hæc erat, et teneri cespitis herba, cibus.
Prima Ceres docuit turgescere semen in agris;
Falce coloratas subsecuitque comas.
Prima jugo tauros supponere colla coegit;
Et veterem curvo dente revellit humum.
Hanc quisquam lacrimis lætari credit amantum,
Et bene tormentis secubituque coli?
Nec tamen est (quamvis agros amet illa feraces)
Rustica: nec viduum pectus amoris habet.
Cretes erunt testes; nec fingunt omnia Cretes:
Cretes, nutrito terra superba Jove.
Illic, sideream mundi qui temperat arcem,
Exiguus tenero lac bibit ore puer.
Magna fides testi: testis laudatur alumno.
Fassuram Cererem crimina nota puto.
Viderat Iäsium Cretæâ Diva sub Idâ
Figentem certâ terga ferina manu.

6. *Nec minus humanis invidet illa bonis.*] Omnino ex manuscripti codicis auctoritate legendum est, *Invidet ulla.* ut sit sensus idem, qui et in superiori carmine: nullam esse Deam, quæ magis cupiat mortalium commoda, quam Ceres: idcirco pene incredibile esse, ut amantum tormentis et lachrymis gaudeat. Marius. *Invidiosa bonis* Sarravii et duo alii.

15. *Ridet.*] Vetus lectio est, *Credat:* et sic omnino legendum. ut sit sensus: Credibile non esse, tam liberalem et mitem Deam lætari cruciatibus et tormentis amantum. Marius.

19. *Nec fingunt.*] Tale quippiam, nisi falsus sum, apud Callimachum me legisse memini. nec facile locus subit. Ciofanus. Est in Hymno in Jovem vers. 8. ubi vide interpretes.

20. *Cretes nutrito.*] *Crete* Puteaneus. *Crete est* Palatinus. sed nihil necesse. credebant enim librarii, *Cretes* non recte posse per appositionem *terram* dici. sed ita et iv. Metam. 668.

Æthiopum populos, Cepheïa conspicit arva. Burm.

25. *Viderat Iäsium Cretæâ Diva sub Idâ.*] Hunc Iäsium alii quidam *Iäsio-*

Vidit, et ut teneræ flammam rapuere medullæ;
Hinc pudor, ex aliâ parte trahebat amor.
Victus amore pudor. sulcos arere videres,
Et sata cum minimâ parte redire sui.
Cum bene jactati pulsarant arva ligones,
Ruperat et duram vomer aduncus humum,
Seminaque in latos iërant æqualiter agros;
Irrita decepti vota colentis erant.
Diva, potens frugum, silvis cessabat in altis:
Deciderant longæ spicea serta comæ.
Sola fuit Crete fecundo fertilis anno.
Omnia, quâ tulerat se Dea, messis erant.
Ipse locus nemorum canebat frugibus Ide,
Et ferus in silvâ farra metebat aper.
Optavit Minos similes sibi legifer annos:
Optavit Cereris longus ut esset amor.
Quod tibi secubitus tristes, Dea flava, fuissent;
Hoc cogor sacris nunc ego ferre tuis.
Cur ego sim tristis, cum sit tibi nata reperta;
Regnaque, quam Juno, sorte minora regat?

nem vocant: adduntque, a Jove postremo fulmine percussum, eo quod cum Cerere concubuisset. MICYLLUS. Locum hunc adduxi lib. ix. Metam. et simul illustravi. CIOFANUS. Facit hunc Theocriti scholiast. Minoïs et Phroniæ Nymphæ filium. De illo Heraclid. Allegor. Homeric.: "Iasion quidam fertur agriculturam excoluisse; et quum fructus abunde ex agris suis reciperet, occasionem fabulæ dedit, ut a Cerere amatus existimaretur." Non idem, qui Atalantæ pater. Hyg. Fab. lxx. Plutum ex eo Ceres, teste Hesiodo, Theog. 969, suscepit filium. AMAR.

31. *Jactati ligones.*] *Jactatos* dicit, quia manibus summa vi terræ infigebantur, ut evellerentur herbæ malæ et nocentes. BURM.

49. *Metebat aper.*] Nimis forte luxuriat hic contra veritatem Poeta. nam Plinius lib. viii. cap. 58. cum dixisset, nec lupos, nec vulpes, nec ursas, neque ullum maleficum animal in Creta esse. addit mirabilius esse, neque apros reperiri, nisi in regione Cydoniatarum. Statuendum ergo est, nunc ira Cereris excessisse apros fines suos, et vastasse omnem Cretam. BURM.

46. *Quæ Juno.*] Rectius in manuscriptis legitur, *Quam Juno.* ut sit sensus; Proserpina tertiam mundi partem, quemadmodum Juno, regit:

Festa dies, Veneremque vocat, cantusque merum-
  Hæc decet ad dominos munera ferre Deos. [que.

ELEGIA XI.

Multa diuque tuli : vitiis patientia victa est.
  Cede fatigato pectore, turpis Amor.
Scilicet adserui jam me, rupique catenas :
  Et quæ depuduit ferre, tulisse pudet.
Vicimus ; et domitum pedibus calcamus Amorem.
  Venerunt capiti cornua sera meo.
Perfer, et obdura: dolor hic tibi proderit olim.
  Sæpe tulit lassis succus amarus opem.

sed Junonis regna sorte majora sunt. quia (ut supra diximus) in orbis divisione Jovi cœlum obtigit. Marius.

---

1. *Diu tuli.*] In multis codicibus est, *multa diu tulimus.* sed frustra: formula enim est ordinaria, quam in prosa, *multum diuque* efferunt. Flor. ii. 3. *Itaque cum diu multumque eluderent Salyi.* Burm.

3. *Scilicet adserui jam me* &c.] Vindicavi me in libertatem. "*Sertorem* quidam dictum putant a prendendo, quia quum cuipiam *adserat* manum, educendi ejus gratia ex servitute in libertatem, vocatur *adsertor,* &c." Festus. *Adsertionis* autem formula videtur ejusmodi fuisse: *hunc liberali causa manu adsero.* Ratio, quia quem quis liberali causa in libertatem vindicabat, eum manu *adserebat;* id est, admovebat, seu prope se statuebat. Hinc *adsertores* dicti, vindices alienæ libertatis. Amar.

5. *Vicimus.*] *Vincimus* Neapolitanus et alii. vide lib. ii. Eleg. xii. ver. 2. et 4. Metam. 356. pro *domitum* alter Mediceus, *dominum.* sic *domini Dei* Eleg. præcedenti, versu ultimo et Epist. Phædr. *Venus domina.* i. Art. Am. 148. Heinsius. Utraque lectio habet quo se tueatur, et *adserui* præcedens, *dominum* videri posset exigere: ab illis enim in libertatem se adserebant. Sed quia *vincimus* quoque præcedit, *domitum* aptius congruit. Burm.

6. *Venerunt capiti cornua sera meo.*] Id est: Sero tandem cœpi indignari, et me velle contra opponere. Sic dixit, lib. i. Art. Amat. 219. *Tunc pauper cornua sumit:* hoc est, incipit rebellare et recalcitrare. Sumpta metaphora a tauris, cum se cornibus mutuo petunt. Micyl.

Ergo ego sustinui, foribus tam sæpe repulsus,
Ingenuum durâ ponere corpus humo.
Ergo ego nescio cui, quem tu complexa tenebas,
Excubui clausam, servus ut, ante domum.
Vidi ego, cum foribus lassus prodiret amator,
Invalidum referens emeritumque latus.
Hoc tamen est levius, quam quod sum visus ab illo.
Eveniat nostris hostibus ille pudor.
Quando ego non fixus lateri spatiantis adhæsi,
Ipse tuus custos, ipse vir, ipse comes?
Scilicet et populo per me cantata placebas.
Caussa fuit multis noster amoris amor.
Turpia quid referam vanæ mendacia linguæ,
Et perjuratos in mea damna Deos?
Quid juvenum tacitos inter convivia nutus;
Verbaque compositis dissimulata notis?
Dicta erat ægra mihi: præceps amensque cucurri.
Veni; et rivali non erat ægra meo.
His, et quæ taceo, duravi sæpe ferendis.
Quære alium pro me, qui queat ista pati.
Jam mea, votivâ puppis redimita coronâ,
Lenta tumescentes æquoris audit aquas.

19. *Scilicet ut populo per me comitata placebat.*] *Comitata per me* potest quidem tolerari, ut Epist. iii. 29. *Per quos comitata redirem.* sed jam præcedenti disticho de hoc egerat. Francof. et Palatinus, *cantata*, quod magis placet. Sic Eleg. seq. v. 7. dicit, *suis libellis innotuisse.* et notum est, quanti Poëtæ faciant et jactent operam suam, qua puellas carminibus celebres faciant. BURM.

27. *His, et quæ taceo, duravi sæpe ferendis.*] Pro, Obdurui: est enim hic absolutum *Durare*, eodem modo positum, ut apud Virg. lib. i. 207.

Durate, et vosmet rebus servate secundis. MICYL.

Vid. ad Quinctil. ix. 2.

29. *Jam mea votiva puppis redimita corona Læta tumescentes æquoris audit aquas.*] Solebant veteres nautæ, ubi in portum pervenerant, naves coronare. Virg. lib. iv. Æneid. 418.

Puppibus et læti nautæ imposuere coronas. CIOF.

Desine blanditias, et verba potentia quondam,
Perdere. non ego sum stultus, ut ante fui.
Luctantur, pectusque leve in contraria tendunt,
Hac amor, hac odium: sed, puto, vincit amor.
[Odero, si potero: si non, invitus amabo.
Nec juga taurus amat: quæ tamen odit, habet.]
Nequitiam fugio: fugientem forma reducit.
Aversor morum crimina: corpus amo.
Sic ego nec sine te, nec tecum vivere possum:
Et videor voti nescius esse mei.
Aut formosa fores minus, aut minus improba, vellem.
Non facit ad mores tam bona forma malos.
Facta movent odium; facies exorat amorem.
Me miserum! vitiis plus valet illa suis.
Parce, per ô lecti socialia jura, per omnes
(Qui dent fallendos se tibi sæpe) Deos,
Perque tuam faciem, magni mihi numinis instar,
Perque tuos oculos, qui rapuere meos;
Quidquid eris, mea semper eris. tu selige tantum,
Me quoque velle velis, anne coactus amem?
Lintea dem potius, ventisque ferentibus utar;
Ut quamvis nolim, cogar amare tamen.

35. *Odero, si potero.*] Distichon hoc Ovidianum non videtur esse. Heins.

43. *Facta merent odium.*] *Movent* quidam codices. *merent* pro merentur. Medicamine Faciei, *mundicie crimina nulla merent.* si tamen locus iste est sanus. Heins.

47. *Magni mihi numinis instar.*] Martialis vii. 11.

Perque tuas aures, magni mihi numinis instar.

ELEGIA XII.

Quis fuit ille dies, quo tristia semper amanti
  Omina non albæ concinuistis aves?
Quodve putem sidus nostris occurrere fatis?
  Quosve Deos in me bella movere querar?
Quæ modo dicta mea est, quam cœpi solus amare,
  Cum multis vereor ne sit habenda mihi.
Fallimur? an nostris innotuit illa libellis?
  Sic erat: ingenio prostitit illa meo.
Et merito. quid enim formæ præconia feci?
  Vendibilis culpâ facta puella meâ est.
Me lenone placet. duce me perductus amator.
  Janua per nostras est adaperta manus.
An prosint, dubium; nocuerunt carmina certè.
  Invidiæ nostris illa fuere bonis.
Cum Thebe, cum Troja forent, cum Cæsaris acta;
  Ingenium movit sola Corinna meum.

1. *Quis fuit ille dies.*] Imitatus auctor Elegiæ de spe in Catal. Pith. pag. 38. *O Superi! quis fuit ille dies?*

5. *Quam cœpi solus amare.*] De Corinna exponit hanc Elegiam Commentator: sed quod de hac proprie intelligendum sit, certe nusquam docet. Potest autem et de altera intelligi, quando supra ad Græcinum Elegia decima libri secundi, se duas amare cœpisse dicit. Et de Corinna, quam dixit, sedulo semper cavit, ne quæ esset, vulgo innotesceret. Itaque ne hodie quidem verum ejus nomen certo scitur. Micyl.

11. *Duce me productus.*] *Perductus* Puteaneus et quatuor alii. hinc *perductores* pro lenonibus apud Comicos. Apulej. Metam. ix. *Jamque nocte promota solum perducit ad domum, probeque capite contectum amatorem strenue infert adusque dominæ cubiculum.* idem et *deducere* dicebant. Heinsius. *Productus* hic maluit Douza, ut patet ex ejus adnotatis ad lib. i. Art. Am. 126. de *deducere*, vid. ad Epist. ix. 121. et xvi. 313. *conductus* habebant Bernensis, Junii, Moreti unus et quatuor alii. *adulter* etiam Moreti primus. Burm.

15. *Cum Thebæ, cum Troja foret.*] *Forent* prima editio cum quinque scriptis. eadem *Thebe* quoque agnoscit. atque ita Puteaneus. neque aliter Statius pluresque ex antiquis singulari numero. Heinsius. Vid. ad Metam. xii. 108. conjungit autem hæc duo bella, Thebanum et Trojanum, ut ce-

Aversis utinam tetigissem carmina Musis;
Phœbus et inceptum destituisset opus!
Nec tamen, ut testes mos est audire Poëtas,
Malueram verbis pondus abesse meis.
Per nos Scylla, patri canos furata capillos,
Pube premit rabidos inguinibusque canes.
Nos pedibus pennas dedimus, nos crinibus angues.
Victor Abantiades alite fertur equo.
Iidem per spatium Tityon porreximus ingens:
Et tria vipereo fecimus ora cani.
Fecimus Enceladon jaculantem mille lacertis;
Ambiguæ captos virginis ore viros.
Æolios Ithacis inclusimus utribus Euros:
Proditor in medio Tantalus amne sitit.
De Niobe silicem, de virgine fecimus ursam:
Concinit Odrysium Cecropis ales Ityn.

leberrimam Epici carminis materiam. ita et ii. Trist. 317. et Anacreon Od. i.

Θελω λέγειν 'Ατρείδας,
Θέλω δὲ Κάδμον ᾄδειν.

Et Od. xvi.

Σὺ μὲν λέγεις τὰ Θήβης,
'Ο δ' αὖ Φρυγῶν ἀϋτάς. Burm.

19. *Nec tamen.*] Scripsisse credo Nasonem, *nunc tamen.* Burm.

24. *Abantiades.*] Huetius in notis ad Epigrammata Græca lib. i. pag. 3. putat Ovidium hic memoria lapsum, *Abantiadem* vocare Bellerophontem, cum nullus Abas inter ejus majores referatur, sed inter Persei. quia nullus Poëtarum Pegasum dat Perseo, sed omnes uno ore Bellerophonti. Hinc quia Pegasum Poëtæ fingunt natum ex sanguine Medusæ, cum ipsi caput a Perseo esset resectum, (vide late Tzetz. ad Lycophr. Alexand. v. 17.) recte dicit eum victorem Pegaso vectum remeasse in patriam. Burm.

28. *Ambiguæ captos virginis ore viros.*] Dubito valde, an hic vel Sirenes vel Circe intelligi debeant. Certe Circem virginem dici posse non puto, quæ teste Diod. Sic lib. iv. pag. 173. nupta antea fuerat Regi Sarmatarum, quo occiso in Italiam demum venit. nec tam captos ejus ore viros, quam veneficiis versos in porcos Poëtæ canunt. major species est in Sirenibus, sed dura hæc enallage, ut una virgo ponatur pro plurimis. Quare forte Sphinga intellexerit Naso, quæ cepit revera viros. Burm.

30. *Proditor Tantalus.*] Quod, ut puto, Deorum arcana cum mortalibus communicasset. Idque ostendit Euripides initio Orestis, ubi ita est:

———"Οτι θεοῖς, ἄνθρωπος ὢν,
Κοινῆς τραπέζης ἀξίωμ' ἔχων ἴσον
'Ακόλαστον ἔσχε γλῶσσαν, αἰσχίστην νόσον. Ciof.

Juppiter aut in aves, aut se transformat in aurum:
Aut secat impositâ virgine taurus aquas.
Protea quid referam, Thebanaque semina, dentes?
Qui vomerent flammas ore, fuisse boves?
Flere genis electra tuas, Auriga, sorores?
Quæque rates fuerint, nunc maris esse Deas?
Aversumque diem mensis furialibus Atrei?
Duraque percussam saxa secuta lyram?
Exit in immensum fecunda licentia vatum:
Obligat historicâ nec sua verba fide.
Et mea debuerat falso laudata videri
Femina. credulitas nunc mihi vestra nocet.

37. *Flere genis Auriga suis electra sorores?*] Ita legendum ut est in manuscriptis:

Flere genis electra tuas, Auriga, sorores.

Ordo est, ô Auriga, subaudi a superioribus *Quid referam*, tuas sorores flere electra genis. Marius. Hyginus cap. cliv. *Phaeton Clymeni Solis filii, et Meropes Nymphæ filius, quam Oceanitidem accepimus, cum indicio patris avum Solem cognovisset, impetratis curribus male usus est: nam cum esset propius terram vectus, vicino igni omnia conflagrarunt; et fulmine ictus, in flumen Padum cecidit. Hic amnis a Græcis Eridanus dicitur, quem Pherecydes primus vocavit. Indi autem, quod calore vicini ignis, sanguis in atrum colorem versus est, nigri sunt facti. Sorores autem Phaëtontis dum interitum deflent fratris, in arbores populos sunt versæ. Harum lacrymæ, ut Hesiodus indicat, in Electrum sunt duratæ: Heliades tamen nominantur. Sunt autem Merope, Helie, Ægle, Lampetie, Phœbea, Etherie, Dioxippe.* Vide et lib. ii. Metamorphoseos. Ciof.

40. *Percussam lyram.*] *Percussas lyras* Francof. Bern. Serravii et multi alii, ut et ad Orphei et Amphionis fabulas respiciatur.

44. *Nostra.*] Mendose sic. Rectius in manuscriptis exemplaribus legitur, *Vestra:* alloquitur enim rivales suos Poëta. Quod, inquit, meis carminibus nimium creduli fuistis, id mihi nocet. Marius.

ELEGIA XIII.

Cum mihi pomiferis conjux foret orta Faliscis;
  Mœnia contigimus victa, Camille, tibi.
Casta sacerdotes Junoni festa parabant
  Per celebres ludos, indigenamque bovem.
Grande moræ pretium, ritus cognoscere: quamvis
  Difficilis clivis huc via præbet iter.
Stat vetus, et densâ prænubilus arbore lucus.
  Adspice; concedas numen inesse loco.
Accipit ara preces, votivaque tura piorum;
  Ara per antiquas facta sine arte manus.
Hinc ubi præsonuit sollemni tibia cantu;
  It per velatas annua pompa vias.
Ducuntur niveæ, populo plaudente, juvencæ,
  Quas aluit campis herba Falisca suis:
Et vituli, nondum metuendâ fronte minaces;
  Et minor ex humili victima porcus harâ:

1. *Conjux orta Faliscis.*] Eam Etruriæ partem incolebant Falisci, qui omnino diversi a Tyrrhenis, moribus et ipso sermone, quam interiorem dicebant, vel Mediterraneam. Celebre apud illos Junonis Argivæ templum; et urbs princeps Falerinum aut Faliscum, nam utroque nomine a Strabone v. 8. designatur; quod male interpretatus Solin. ex una eademque duas effecit. Narrat autem Cato apud Plin. iii. 5. conditam urbem Falerium aut Faliscum, ab Haleso, vel Halisco, Agamemnonis comite, qui, adventante in Italiam Ænea, pro Turno contra Trojanos stetit, Æn. vii. 723. et a Pallante occisus est, ibidem x. 352. Pelasgis Faliscos adscribit Dion. Halic. i. 21. AMAR.

2. *Mœnia contigimus victa, Camille, tibi.*] Apostrophe ad M. Furium Camillum, qui Vejentes vicit. CIOF.

14. *Quas aluit campis herba Falisca suis.*] Plinius lib. ii. cap. 103. *In Falisco,* inquit, *Clitumni amnis potata aqua, candidos boves facit.* Cum igitur dixisset Poëta:

Ducuntur niveæ, populo plaudente, juvencæ.

Statim subjungit:

Quas aluit campis herba Falisca suis.

Perinde ac si dicat: Quales peculiariter in agro Falisco habentur, propter amnem Clitumnum, cujus aqua candidas facit. MICYL.

16. *Et minor ex humili victima,* &c.] Quæ *majores* victimæ, quæ *minores,* e Livio et aliis in promptu colligere est. *Victimas* autem post victoriam; sed quum in hostem irent, *hostias* immolabant, inquit Serv. ad Æn. i. 338. Rectius, si *victimas* de ma-

Duxque gregis cornu per tempora dura recurvo.
Invisa est dominæ sola capella Deæ.
Illius indicio silvis inventa sub altis
Dicitur inceptam destituisse fugam.
Nunc quoque per pueros jaculis incessitur index;
Et pretium auctori vulneris ipsa datur.
Quâ ventura Dea est, juvenes timidæque puellæ
Præverrunt latas veste jacente vias.
Virginei crines auro gemmâque premuntur:
Et tegit auratos palla superba pedes.
More patrum Grajo velatæ vestibus albis
Tradita supposito vertice sacra ferunt.
Ore favent populi, tunc cum venit aurea pompa:
Ipsa sacerdotes subsequiturque suas.
Argiva est pompæ facies. Agamemnone cæso,
Et scelus et patrias fugit Halesus opes.
Jamque pererratis profugus terrâque, fretoque,
Mœnia felici condidit alta manu.
Ille suos docuit Junonia sacra Faliscos.
Sint mihi, sint populo semper amica suo.

joribus sumi dixisset; *hostias* vero, de minoribus quæ ante aras cadebant, animalibus. AMAR.

19. *Illius indicio sylvis inventa sub altis, Dicitur incœptam destituisse fugam.*] Obscura fabula est, quam hic tangit Poëta: neque alibi apud eos auctores, qui extant, tradita. Bis autem fugisse Juno traditur. Semel, quando virgo adhuc existens, Jovem amoris impulsu illam persequentem fugiebat: quo tempore Jupiter se etiam in cuculum convertisse dicitur, ut fugientem ea specie falleret. Quam avem illa postea cepit, et inter ludicra sua habuit: ut in Corinthiacis meminit Pausanias. Et iterum, quando Dii communiter omnes fugerunt in Ægyptum, metu gigantum. Sed hic de priore fuga intelligere malim: tametsi nihil certi pronuntiare possum. MICYL.

25. *Gemmaque premuntur.*] Puteaneus alter, Regius unus, duo Moreti, et tres alii, *teguntur.* hic *premuntur* præferendum, tantam enim auri et gemmarum copiam indicat, ut vix ferendo sufficiant. BURM.

28. *Tradita sacra.*] *Tradita* retinerem, sed exponerem a sacerdotibus tradita ferenda virginibus. BURM.

Tradita sacra.] Quæ *tradiderat* Halesus, Græco more perficienda. AMAR.

34. *Condidit alta.*] *Apta* Francofurt. Bernensis et quatuordecim alii, cum prima editione. *aucta* Politian. sed recte ex vers. 6. Marius in monte positam urbem docuit.

ELEGIA XIV.

Non ego, ne pecces, cum sis formosa, recuso;
Sed ne sit misero scire necesse mihi.
Nec te nostra jubet fieri censura pudicam:
Sed, tantum tentes dissimulare, rogat.
Non peccat quæcumque potest peccasse negare:
Solaque deformem culpa professa facit.
Quis furor est, quæ nocte latent, sub luce fateri?
Et quæ clam facias, facta referre palam?
Ignoto meretrix corpus junctura Quiriti
Adpositâ populum submovet ante serâ.
Tu tua prostitues famæ peccata sinistræ;
Commissi perages indiciumque tui?
Sit tibi mens melior, saltemve imitere pudicas;
Teque probam, quamvis non eris, esse putem:
Quæ facis, hæc facito; tantum fecisse negato:
Nec pudeat coram verba modesta loqui.
Est qui nequitiam locus exigat. omnibus illum
Deliciis imple. stet procul inde pudor.
Hinc simul exieris; lascivia protinus omnis
Absit: et in lecto crimina pone tuo.
Illic nec tunicam tibi sit posuisse rubori;
Nec femori impositum sustinuisse femur:

4. *Rogo.*] In MSS. legitur, *rogat.* scil. censura nostra. MARIUS.

6. *Deformem.*] Cum editiones antiquiores et Palatinus cum octo aliis, *deformem* exhibeant, eam vocem ab Ovidio promanasse, *famosam* a glossatoribus, arbitror. *deformis* enim turpem et famosam notat. ita Suetonius Aug. 35. *Inconditam et deformem turbam Senatorum* vocat. per *inconditos* Barbaros et Gallos, per *deformes*, notatos a Censoribus, quos Cæsar in Senatum allegerat, (vid. Cæs. 41.) innuens. BURM.

7. *In luce.*] *Sub luce* duo ex melioribus. HEINSIUS. Mentelianus vero, *cum luce.* quod majorem in profitendo crimine festinationem et impudentiam notat. *Cum luce* est enim, simul ac lux orta est. BURM.

Illic purpureis condatur lingua labellis;
Inque modos Venerem mille figuret amor.
Illic nec voces, nec verba juvantia cessent:
Spondaque lascivâ mobilitate tremat.
Indue cum tunicis metuentem crimina vultum:
Et pudor obscænum diffiteatur opus.
Da populo, da verba mihi: sine nescius errem;
Et liceat stultâ credulitate frui.
Cur toties video mitti recipique tabellas?
Cur pressus prior est interiorque torus?
Cur plus, quam somno, turbatos esse capillos,
Collaque conspicio dentis habere notam?
Tantum non oculos crimen deducis ad ipsos.
Si dubitas famæ parcere; parce mihi.
Mens abit, et morior; quoties peccasse fateris:
Perque meos artus frigida gutta fluit.
Tunc amo: tunc odi frustra, quod amare necesse est.
Tunc ego, sed tecum, mortuus esse velim.
Nil equidem inquiram; nec, quæ celare parabis,
Insequar: et falsi criminis instar erit.
Si tamen in mediâ deprensa tenebere culpâ,
Et fuerint oculis probra videnda meis;

29. *Da populo, da verba mihi.*] Illustrat hæc Douza filius ad Propertii lib. i. Eleg. xvi. 12.

32. *Prior est.*] Ad Liviam 328. *Quæris et in vacui parte priore tori.* Douza.

39. *Nunc amo, nunc odi.*] Ex manuscripti codicis auctoritate legendum est, *tunc amo, tunc odi frustra*, ne ineptus videatur Poëta. Marius. Tò *amo* huic loco minime convenit. scribendum fortasse:

Tunc amens odi frustra, quod amare necesse est.

Tanaquil. Faber ad Lucret. lib. ii. tentabat, *Tunc ah, tunc odi frustra. amans* pro *amens* exaratum erat aberrantis culpa librarii. quod cum literator nonnemo sentiebat ferri non posse, et peccare in leges metricas, *amo tunc* reposuit. Heins.

Quæ bene visa mihi fuerint, bene visa negato.
Concedent verbis lumina nostra tuis.
Prona tibi vinci cupientem vincere palma est.
Sit modo, Non feci, dicere lingua memor.
Cum tibi contingat verbis superare duobus;
Et si non caussâ, judice vince tuo.

ELEGIA XV.

Quære novum vatem, tenerorum mater Amorum:
Raditur hîc Elegis ultima meta meis.
Quos ego composui, Peligni ruris alumnus:
Nec me deliciæ dedecuere meæ.
Si quid id est, usque a proavis vetus ordinis heres,
Non modo militiæ turbine factus eques.
Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo:
Pelignæ dicar gloria gentis ego.
Quam sua libertas ad honesta coegerat arma,
Cum timuit socias anxia Roma manus.

6. *Non modo militiæ turbine factus eques.*] *Turbine* puto dixit, pro turbulentia et inquietudine: aut certe pro rotatione equorum, quos in gyrum circumagere solebant. Metaphora sumpta vel a vento tempestuoso, vel ab instrumento lusorio. Quasi dicat: Non bello, aut arte aliqua militari equestrem dignitatem consecutus sum: sed a majoribus accepi, &c. MYCIL.

7. *Mantua.*] Hoc distichon ponendum esse, post sequens, *Quem tua,* censebat Douza.

8. *Pelignæ dicar gloria gentis ego.*] De Pelignis jam diximus, ad Eleg. i. lib. ii. quorum civitates primariæ Corsinium, Maruvium et Sulmone (quæ nunc *Sulmona*) ex qua Naso oriundus. Strab. v. 9. AMAR.

9. *Quam sua libertas,* &c.] Quum jus civitatis diu frustraque a Romanis Peligni, Marsi et Marucini petiissent, id sociis armis extorquere tentaverunt, quod ipsis exarmatis, et precantibus denegatum fuerat; bellumque Romanis indixerunt, quod *Marsicum* adpellatur, quia moverunt priores Marsi. Rem sic narrant Strabo, lib. v. 9; et Diod. Sicil. Exc. lib. xxxvii; sed paulo aliter Velleius Paterculus lib. ii. 15. ubi motum primo ab Asculanis bellum, susceptum deinde et protractum a Marsis refert. AMAR.

10. *Cum timuit socias anxia Roma*

Atque aliquis spectans hospes Sulmonis aquosi
Mœnia, quâ campi jugera pauca tenent,
Quæ tantum, dicet, potuistis ferre Poëtam,
Quantulacumque estis, vos ego magna voco.
Culte puer, puerique parens Amathusia culti,
Aurea de campo vellite signa meo.
Corniger increpuit thyrso graviore Lyæus:
Pulsanda est magnis area major equis.
Imbelles Elegi, genialis Musa, valete:
Post mea mansurum fata superstes opus.

manus.] Bellum Italicum, quod et *Sociale* dixerunt, intelligit: cujus causa maxima ex parte Livius Drusus Trib. pleb. extitit, qui socias hactenus urbes ad spem libertatis, cupidine dominationis, erexerat, ut Florus ait. MICYL.

17. *Corniger increpuit thyrso graviore Lyæus: Pulsanda est magnis area major equis.*] Hoc dicit propter Tragœdiam, quam erat aggressus, atque intermiserat. CIOF.

Graviore thryso.] Sublimiori stylo. sic in Elegia i. hujus libri:

Tempus erat thyrso pulsum graviore moveri. CIOF.

Lyæus.] Hinc apparet Tragœdiam Medeam Amorum libros esse subsecutam: in Bacchi enim fide Tragœdiæ. Firmat conjecturam nostram locus Elegiæ primæ hujus libri:

Exiguum vati concede Tragœdia tempus. &c. DOUZA.

P. OVIDII NASONIS

ARTIS AMATORIÆ

LIBRI TRES.

P. OVIDII NASONIS

ARTIS AMATORIÆ

LIBER PRIMUS.

SI quis in hoc artem populo non novit amandi;
  Me legat; et lecto carmine doctus amet.
Arte citæ veloque rates remoque moventur:
  Arte leves currus, arte regendus Amor.
Curribus Automedon, lentisque erat aptus habenis:
  Tiphys in Hæmoniâ puppe magister erat.
Me Venus artificem tenero præfecit Amori.
  Tiphys et Automedon dicar Amoris ego.
Ille quidem ferus est, et qui mihi sæpe repugnet,
  Sed puer est; ætas mollis et apta regi.

De Arte Amandi hactenus inscripti sunt in vulgatis editionibus hi libri. nos veram inscriptionem revocavimus. Vocat quidem Artem Amandi ipse Ovidius primo hujus operis versu, sed legi carninis id dedit, quæ verum Poëmatis hujus titulum non admittebat. unde et errorem natum existimo. *Πρωταγορίδου ἀκροάσεις ἐρωτικὰς* laudat Athenæus lib. iv. non dissimilis argumenti scriptum. sed et Zenon Stoicus *τέχνην ἐρωτικὴν* composuisse dictus est Diogeni Laërtio. laudatur et *τέχνη ἐρωτικὴ* Ephodrii Cynici, ut omittam *ἐρωτικὰ* Theophrasti, Clearchi, Aristonis, Demosthenis, Plutarchi et id genus complurium gravissimorum hominum. Heins.

5. *Curribus Automedon,* &c.] Ἱππηλάτης celeberrimus Automedon, qui, postquam egregiam Achilli in regendo curru operam præstitisset, munus idem apud Pyrrhum obiit. Occurrit frequens in Iliad. Π. 145. Ρ. 429. Τ. 392. Ω. 474, 573. Æn. libro ii. 477. Amar.

6. *Tiphys in Hæmonia,* &c.] De Tiphy vidend. Apollon. Rhod. i. 105; ii. 175—854. Valer. Flaccus, i. 481; v. 15 et seqq. Narrat Pausan. Bœotic. xxxii. ostendi locum non procul ab urbe Tipha, *ἔνθα ἐκ Κόλχων ὀπίσω κομιζομένην κομίσασθαι τὴν Ἀργὼ λέγουσιν.* Amar.

9. *Et qui mihi sæpe repugnat.*] *Repugnet* Excerpta Puteani et Scali-

Phillyrides puerum citharâ perfecit Achillen;
 Atque animos placidâ contudit arte feros.
Qui toties socios, toties exterruit hostes,
 Creditur annosum pertimuisse senem.
Quas Hector sensurus erat, poscente magistro,
 Verberibus jussas præbuit ille manus.
Æacidæ Chiron, ego sum præceptor Amoris.
 Sævus uterque puer: natus uterque Deâ.
Sed tamen et tauri cervix oneratur aratro:
 Frenaque magnanimi dente teruntur equi.
Et mihi cedet Amor: quamvis mea vulneret arcu
 Pectora, jactatas excutiatque faces.
Quo me fixit Amor, quo me violentius ussit;
 Hoc melior facti vulneris ultor ero.
Non ego, Phœbe, datas a te mihi mentior artes:
 Nec nos aeriæ voce monemur avis:
Nec mihi sunt visæ Clio Cliûsque sorores,
 Servanti pecudes vallibus, Ascra, tuis.

geri, cum optimo Regio et Bodlejano. recte omnino. proximo versu malim:

Sed pueris ætas mollis et apta regi.

Ne *τὸ est* bis repetatur inconcinne. Heinsius. Nihil omnino mutandum: genus loquendi est elegans et venustum, *puer est ætas mollis.*

11. *Cithara perfecit Achillem.*] Sic nos legendum putavimus, ut sit *perfecit*, exacte erudivit. ut ii. Amor. 8.

Ponendis in mille modis perfecta capillis. Nauger.

13. *Perterruit hostes.*] *Exterruit*, Libri meliores constanter. nam sequitur, *pertimuisse;* qui concursus *τοῦ per* duriusculus. Heins.

15. *Quas Hector sensurus erat,* &c. *Verberibus præbuit manus.*] Narrat Achilles, apud Stat. ii. 382 et seqq. qua ipsum morum severitate Centaurus erudierit; nec locum adiisse lectorem pœnitebit. Amar.

18. *Sævus uterque.*] Douza explicabat, *iracundus.* nam Homero Achilles iracundus animique impotentis et pertinacis fingitur. recte: centies enim ita *sævus* et *sævire* Terentio, Virgilio et aliis dicitur. vid. ad Virgil. vi. 544. Serv. et Donat. et *iram Achillis* pro ipsa Iliade dici notum est. hæc scisse decebat Crispinum; quæ hodie tirones non ignorant. Burm.

28. *Ascra.*] Vicus est in Thespiis, juxta Heliconis partem: quam Dius et Pycimede, Hesiodi parentes incoluerunt, relicta patria Cuma.

Usus opus movet hoc. vati parete perito.
  Vera canam. cœptis, mater Amoris, ades.
Este procul vittæ tenues, insigne pudoris;
  Quæque tegis medios, instita longa, pedes.
Nos Venerem tutam, concessaque furta, canemus:
  Inque meo nullum carmine crimen erit.
Principio, quod amare velis, reperire labora,
  Qui nova nunc primum miles in arma venis.
Proximus huic labor est, placitam exorare puellam.
  Tertius, ut longo tempore duret amor.
Hic modus; hæc nostro signabitur area curru:
  Hæc erit admissâ meta terenda rotâ.
Dum licet, et loris passim potes ire solutis;
  Elige, cui dicas, Tu mihi sola places.
Hæc tibi non tenues veniet delapsa per auras:
  Quærenda est oculis apta puella tuis.
Scit bene venator, cervis ubi retia tendat:
  Scit bene, quà frendens valle moretur aper.
Aucupibus noti frutices. qui sustinet hamos,
  Novit quæ multo pisce natentur aquæ.
Tu quoque, materiam longo qui quæris amori,
  Ante frequens quo sit disce puella loco.

29. *Usus opus movet hoc.*] Quidam legunt, *usus opus monet hoc*, ut sit, utilitatis caussa hoc scribo. sed placet prior lectio. id est usu et experientia doctus hæc scribo. MERULA.

31. *Este procul vittæ tenues, insigne pudoris.*] *Vitta* tegmen capitis erat muliebre, quo Vestales, et item matronæ utebantur. MICYL.

33. *Nos Venerem tutam* &c.] Mulieres intelligit, ad quas *tutus* patebat aditus, qui periculosus admodum, quum ad insigniores tentaretur. Sæpe enim, teste Hor. Serm. i. Sat. ii. 41:

Hic se præcipitem tecto dedit: ille flagellis
Ad mortem cæsus: fugiens hic decidit acrem
Prædonum in turbam; dedit hic pro corpore nummos, &c. AMAR.

40. *Meta terenda rota.*] Memini illorum Propertii lib. ii. Eleg. xix. 66.

Septima quam metam triverit ante rota. HEINS.

Non ego quærentem vento dare vela jubebo:
  Nec tibi, ut invenias, longa terenda via est.
Andromedan Perseus nigris portarit ab Indis,
  Raptaque sit Phrygio Graja puella viro.
Tot tibi tamque dabit formosas Roma puellas;
  Hæc habet, ut dicas, quidquid in orbe fuit.
Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos;
  Æquore quot pisces, fronde teguntur aves;
[Quot cœlum stellas, tot habet tua Roma puellas:
  Mater et Æneæ constat in urbe sui.]
Seu caperis primis et adhuc crescentibus annis;
  Ante oculos veniet vera puella tuos:
Sive cupis juvenem; juvenes tibi mille placebunt.
  Cogeris voti nescius esse tui.
Seu te forte juvat sera et sapientior ætas;
  Hoc quoque (crede mihi) plenius agmen erit.

53. *Nigris portarit ab Indis, Raptaque sit.*] Nobis hæc elegantior visa est lectio; cum in omnibus, *portavit ab Indis, Raptaque sic,* legeretur. Neque tamen prior illa non recta. NAUGERIUS. *Andromedan* lege, ut meliores libri. quod jam monui notis ad Epist. xviii. vers. 149. in ceteris Naugerii conjecturam expressimus. Nam scripti codices cum vulgatis, *portavit,* et, *Raptaque sic.* HEINS.

Ab Indis.] Ex Urbe Joppe deportavit, ut docet Mela, lib. i. ii. et Plin. lib. v. 13. sed *Indiam* olim latissime dictam multis ostendit Ampl. Cuper. iv. Obs. 7.

57. *Gargara quot segetes* &c.] Pars Idæ montis et oppidum in Troade; quæ regio fertilitate nobilissima, partim cæli clementia, partim situs ipsius felicitate sub monte Ida, unde magna rivorum et aquarum copia vicinos agros fecundabat.—*Quot habet Methymna racemos.* Ut messes suos Gargara, sic uvas mirabatur Methymna, quæ urbs in insula Lesbo. AMAR.

59. *Quot cœlum stellas.*] Distichon hoc non esse Ovidianæ notæ contendo, Pentameter ex illis Nostri adumbratus est Amor. lib. i. Eleg. viii.

Nunc Mars externis animos exercet in armis:
At Venus Æneæ regnat in urbe sui.
HEINS.

62.] *Vera puella.*] *Grata* unus Heinsii. Francius conjecerat, *verna:* sed frustra. *vera* est, juvencula in primo flore. BURM.

66. *Crebrius agmen erit.*] *Plenius* meliora exemplaria. idque constanter, et recte. sic *plenum filum* pro denso aut crasso, libro iii. 267. HEINSIUS. Recte; *plenum agmen* enim idem est, quod *densum* dixit Epist. xvi. 183. *plenum convivium* Suetonio Cæs. 49. et alibi. quod nescio an recte copiosum exponant viri docti, cum melius de convivarum frequentia capiendum videatur. BURM.

Tu modo Pompeja lentus spatiare sub umbrâ,
Cum sol Herculei terga leonis adit:
Aut ubi muneribus nati sua munera mater
Addidit, externo marmore dives opus.
Nec tibi vitetur, quæ, priscis sparsa tabellis,
Porticus auctoris Livia nomen habet.
Quâque parare necem miseris patruelibus ausæ
Belides, et stricto stat ferus ense pater.
Nec te prætereat Veneri ploratus Adonis;
Cultaque Judæo septima sacra Syro.
Neu fuge linigeræ Memphitica templa juvencæ:
Multas illa facit, quod fuit ipsa Jovi.

67. *Tu modo Pompejâ lentus spatiare sub umbra, Cum sol Herculei terga leonis habet.*] Meminit hujus porticus lib. iii. hujus operis 387. Ciof.

69. *Aut ubi muneribus nati sua munera mater Addidit.*] Theatrum Marcelli, et juxta hoc porticum Octaviæ, aut certe Bibliothecam ejusdem nomine celebratam, intelligere videtur: quorum priora duo ædificia, (ut et Suetonius testatur) Augustus sub illorum nominibus erexit (erat enim altera, soror, alter sororis ejusdem filius) Bibliothecam autem ipsa Octavia instituit, defuncto filio Marcello. Auctores, qui de antiquitatibus urbis Romæ scripserunt. Micyl.

71. *Nec tibi vitetur quæ priscis sparsa tabellis Porticus auctoris Livia nomen habet.*] Porticus Livia, teste P. Victore, erat in iii. Urbis regione, prope Suburram. Ciofanus. Similis Pœcilæ apud Athenienses porticui; erant ibi ambulationes amœnissimæ. Burmannus. Hanc a Nerone dirutam ferunt, quo latius domum suam *auream* extenderet; sed a Domitiano restitutam. Amar.

73. *Quâque parare necem.*] Porticum Apollinis Palatini intellige.

76. *Cultaque Judæo septima sacra viro.*] *Syro* optime Bodlejanum fragmentum pro diversa lectione. Nisi quod *Idumæo Syro* reponi malim, quod magis poëticum. Ammonius Grammaticus de Differentia vocum: Ἰδυμαῖοι καὶ Ἰουδαῖοι διαφέρουσιν, ὡς φησὶ Πτολεμαῖος Ἀσκαλονίτας ἐν πρώτῳ περὶ Ἡρώδου τοῦ βασιλέως· Ἰουδαῖοι μὲν γάρ εἰσιν οἱ ἐξ ἀρχῆς φυσικοὶ, Ἰδυμαῖοι δὲ τὸ μὲν ἄρχηθεν οὐκ Ἰουδαῖοι, ἀλλὰ Φοινίκες καὶ Σύροι. Ubi plura ad rem. vides Idumæos esse Syros Ammonio, quomodo et Nasoni. Stephanus Byzant. Ἰδουμαῖοι ἔθνος Ἑβραίων. ex Josephi libro xiii. cap. xvii. etiam constat Idumæos ab Hyrcano subactos, ritibus ac religione Judæorum imbutos fuisse, quos respexit Noster. Heins.

77. *Neu fuge linigeræ.*] Plura quidem fuerunt in urbe templa Isidis: at sermo hic de illo agitur, quod erat in Campo Martio, prope *septa*, quæ *Ovile* quondam dicta sunt, quod ibi populus, ad creandos magistratus, velut inclusus cogeretur. Unde Juven. vi. 529:

——————— *Ut spargat in Æde Isidis, antiquo quæ proxima surgit Ovili.* Amar.

Et fora conveniunt (quis credere possit?) amori;
Flammaque in arguto sæpe reperta foro.
Subdita quâ Veneris facto de marmore templo
Appias expressis aëra pulsat aquis.
Illo sæpe loco capitur consultus Amori:
Quique aliis cavit, non cavet ipse sibi.
Illo sæpe loco desunt sua verba diserto:
Resque novæ veniunt, caussaque agenda sui est.
Hunc Venus e templis quæ sunt confinia ridet.
Qui modo patronus, nunc cupit esse cliens.
Sed tu præcipue curvis venare theatris.
Hæc loca sunt voto fertiliora tuo.
Illic invenies, quod ames, quod ludere possis,
Quodque semel tangas, quodque tenere velis.
Ut redit itque frequens longum formica per agmen,
Granifero solitum cum vehit ore cibum;

80. *Arguto.*] Clamoso, seu vocali, explicat Douza.

81. *Subdita quâ Veneris.*] Forum Cæsaris intelligit, in quo templum Veneris Genetricis fuit, quod ipse Cæsar extruxit, votum bello Pharsalico. Item aqua Appia, quam hic *Appiada* Patronymica forma appellat. Micyllus. Vid. infr. lib. iii. 451. et Remed. 660.

82. *Expressis.*] Propria in hac re vox, cum aqua per fistulas ducitur. Burm.

83. *Capitur consultus amore.*] *Amoris* vetustiores libri. Lege, *Amori*, id est, Cupidini. *Consultus* pro jurisconsulto. Heins.

89. *Curvis venare theatris.*] Ut duo Romæ amphitheatra, castrense scil. et Flavianum, vulgo Colossæum (nunc *le Colisée*,) sic et tria theatra perennarunt, quæ *Pompeii* fuerunt, *Marcelli* et *Balbi*. Theatrum autem Pompeii in Campo Floræ, ubi nunc ædes Ducum Ursinorum, fuit: Marcelli, in foro Montanario, ubi ædes Principum Sabellorum: Balbi, sedes incertior; sed juxta Circum Flaminium fuisse, sunt qui existiment. Agitur hic de Pompeiano. Amar.

91. *Quod ludere.*] Francius malebat, *quo ludere. ludere in puella* dixit Propert. ii. ver. 4. sed nulla mutatione opus. infr. vers. 643.

Ludite, si sapitis, solas impune puellas. Burm.

92. *Quodque tenere.*] Puto vulgatam præstare, et hunc habere sensum; in theatris duplicis generis mulieres offendi, et quas velis semel modo tangere, deinde iterum missas facere, ut sunt libertinæ et meretrices; sed præterea reperiri, quas constanter velis amare, et quibus dicere possis, *tu mihi sola places.* Burm.

94. *Solitum.*] *Solidum* Oxonien. et quinque alii. quod forte rectum; ut intelligat grana nondum trita aut comminuta in pila. Burm.

Aut ut apes, saltusque suos et olentia nactæ
  Pascua, per flores et thyma summa volant;
Sic ruit in celebres cultissima femina ludos;
  Copia judicium sæpe morata meum.
Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsæ.
  Ille locus casti damna pudoris habet.
Primus sollicitos fecisti, Romule, ludos:
  Cum juvit viduos rapta Sabina viros.
Tunc neque marmoreo pendebant vela theatro:
  Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.
Illic, quas tulerant nemorosa Palatia, frondes
  Simpliciter positæ; scena sine arte fuit.
In gradibus sedit populus de cespite factis;
  Quâlibet hirsutas fronde tegente comas.
Respiciunt, oculisque notant sibi quisque puellam,
  Quam velit: et tacito pectore multa movent.
Dumque, rudem præbente modum tibicine Thusco,
  Ludius æquatam ter pede pulsat humum;

97. *Ruit ad celebres.*] Editiones priscæ usque ad Aldinam posteriorem omne shabent *in*, et merito id Micyllus et Bersmannus ex scriptis reduxerant. porro pro *cultissima*, quidam, *gratissima*, alii, *promptissima*, alius etiam, *pulcherrima*, quæ omnia a librariis profecta. *cultissima* recte: ut enim placeant, colunt se studiose puellæ, antequam in theatra spectatum, et ut spectentur, eant, quod hic Ovidius subdit. Illustrat hæc egregie dictum Socratis, cujus uxor Xantippe, cum nollet viri pallio induta ad pompam spectandam prodire, ille ipsi oggessit: Ὁρᾶς ὡς οὐ θεωρήσουσα, θεωρησομένη δὲ μᾶλλον βαδίζεις; *viden' quam non ut spectes, sed ut specteris eas?* Ælian. vii. var. Hist. cap. 10. ex quo dicto hæc Nasoni sententia nata fuit. Burm.

103. *Tunc neque marmoreo* &c.] *Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.* Sic et Propert. iv. Eleg. i. 15—16:

Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro;
Pulpita solemnes non oluere crocos.

Pendebant vela. Carbasina vela primus in theatro induxit Lentulus Spinther, ludis Apollinaribus. Mox Cæsar totum forum Romanum intexit, viamque Sacram, ab domo sua ad clivum usque in Capitolium. Deinde vero, gliscente magis ac magis, quæ opulentiæ nimiæ comes, luxuria, conspergebantur theatra, effuso repente nimbo croci mero diluti vasique vitreo infusi. Unde tam vere quam eleganter non semel Noster vocat *fila croci.* Amar.

111. *Præbente modos.*] Margo Bersmanni, *præeunte*, quod elegans. ut ita sacerdotes, *præire preces*, jusjurandum et similia dicuntur. Burm.

112. *Lydius æquatam.*] *Ludius*

In medio plausu (plausus tunc arte carebat)
Rex populo prædæ signa petenda dedit.
Protinus exsiliunt, animum clamore fatentes,
Virginibus cupidas injiciuntque manus.
Ut fugiunt aquilas, timidissima turba, columbæ,
Utque fugit visos agna novella lupos;
Sic illæ timuere viros sine more ruentes.
Constitit in nullâ, qui fuit ante, color.
Nam timor unus erat; facies non una timoris.
Pars laniat crines: pars sine mente sedet:
Altera mœsta silet; frustra vocat altera matrem:
Hæc queritur; stupet hæc: hæc manet; illa fugit.
Ducuntur raptæ, genialis præda, puellæ:
Et potuit multas ipse decere pudor.
Si qua repugnârat nimium, comitemque negârat;
Sublatam cupido vir tulit ipse sinu.
Atque ita, Quid teneros lacrimis corrumpis ocellos?
Quod matri pater est, hoc tibi, dixit, ero.

Scaliger et Politianus. nec aliter pro diversa lectione in Moreti libro. *Ludii* iidem qui histriones. de quibus cum alii jam abunde ex professo egerint, quod addam non habeo. Burm.

113. *Plausus tunc arte carebat.*] Respicit ad sua tempora, quibus varia plausuum genera, quæ condiscebantur, erant in usu. vid. Casaub. ad Sueton. Neron. cap. xx. *carebant* quatuor scripti. cum Francofurtensi. Burm.

114. *Signa petenda dedit.*] An hoc Latine dicatur vehementer dubito: debuisset *petendæ prædæ* dicere. quare, si codex ullus addiceret, libenter legerem, *signa repente dedit.* vel, *Rex, populo prædæ signa petente, dedit.* Burm.

122. *Sine mente sedet.*] *Ruit* Regius et Moreti. et *ruere* est proprie temere et sine mente ferri. sed præcessit *ruentes*, nisi ibi *furentes* malumus. *jacet* Bernensis, Junii et tres alii, *manet* unus.

125. *Genialis præda.*] Merula explicat generandis liberis parata. et adducit *geniales toros* ex Virgilii vi. 603. sed ibi sunt, quibus genio indulgetur; licet Servius doctos velit, quia sternuntur puellis nubentibus, dicti a generandis liberis. sed male. a Genio, cui sacri, dicti illi lecti. certe *genialis præda.* Burm.

129. *Quid teneros lacrimis corrumpis ocellos?*] Livius. "Accedebant blanditiæ virorum factum purgantium cupiditate atque amore; quæ maxime ad muliebre ingenium efficaces preces sunt." Amar.

Romule, militibus scisti dare commoda solus.
  Hæc mihi si dederis commoda, miles ero.
Scilicet ex illo sollemnia more theatra
  Nunc quoque formosis insidiosa manent.
Nec te nobilium fugiat certamen equorum:
  Multa capax populi commoda Circus habet.
Nil opus est digitis, per quos arcana loquaris:
  Nec tibi per nutus accipienda nota est.
Proximus a dominâ, nullo prohibente, sedeto:
  Junge tuum lateri, quam potes, usque latus:
Et bene, quod cogit, si nolit, linea jungi;
  Quod tibi tangenda est lege puella loci.
Hîc tibi quæratur socii sermonis origo:
  Et moveant primos publica verba sonos.
Cujus equi veniant, facito, studiose, requiras.
  Nec mora; quisquis erit, cui favet illa, fave.
At cum pompa frequens cœlestibus ibit eburnis,
  Tu Veneri dominæ plaude favente manu.
Utque fit, in gremium pulvis si forte puellæ
  Deciderit, digitis excutiendus erit.

131. *Dare commoda.*] *Munera* multi etiam ex optimis. alii, *præmia*. sed frustra: proprie in re militari *commoda*, quæ supra stipendium militibus emeritis adjiciebantur, ut sæpe Suetonius et alii. BURM.

141. *Linea jungi.*] Per lineam funiculum aut simile aliquid intelligo, quo sedilia alia ab aliis in circo distincta fuere. non sedendi longum ordinem, ut Commentator. sed de hac re etiam in libris Amorum tractavimus. MICYL.

143. *Hic tibi quæratur.*] *Hinc* Palatinus. non male: ab ipsa illa lege loci, quæ cogit te tangere puellam, oriatur sermo; quo excuses te premere nimis anguste sedentem. eleganter autem *quærere sermonem*, de illis, qui occasionem colloquendi captant, ut Terent. Eunuch. Act. iii. Sc. 3. quem *arcessitum sermonem* vocat Petronius cap. cxxxix. vide ad ejusdem cap. xxxvii. BURM.

144. *Publica verba.*] Vid. ad iii. Am. vii. 12.

145. *Studiose.*] Tanquam huic vel illi factioni faveas. vid. ad iii. Amor. 2.

147. *At cum pompa frequens certantibus ibit ephebis.*] Vide de hac Deorum pompa per Circum ferri solita ipsum Ovidium copiose agentem Amor. lib. iii. Elegia ii. quibus totus hic locus mire illustratur. HEINS.

150. *Excutiendus erit.*] Hoc offi-

Et, si nullus erit pulvis, tamen excute nullum.
  Quælibet officio caussa sit apta tuo.
Pallia si terræ nimium demissa jacebunt;
  Collige, et immundâ sedulus effer humo.
Protinus officii pretium, patiente puella,
  Contingent oculis crura videnda tuis.
Respice præterea, post vos quicumque sedebit,
  Ne premat opposito mollia terga genu.
Parva leves capiunt animos. fuit utile multis,
  Pulvinum facili composuisse manu.
Profuit et tenui ventum movisse tabellâ:
  Et cava sub tenerum scamna dedisse pedem.
Hos aditus Circusque novo præbebit amori,
  Sparsaque sollicito tristis arena foro.
Illâ sæpe puer Veneris pugnavit arenâ:
  Et qui spectavit vulnera, vulnus habet.
Dum loquitur, tangitque manum, poscitque libel-
  Et quærit, posito pignore, vincat uter; [lum;

cium inter characteres τῆς κολακείας etiam Theophrastus numerat. Burm.

161. *Profuit et tenues ventos.*] Melius Palatinus, *Profuit et ventos tenui movisse flabello.* Dan. Heinsius. *Flabellum* Latine dici haud ignoro. sed primam ejus vocis syllabam non posse corripi habeo persuasum. Producunt certe Propertius, et Martialis. Fiebant autem flabella ex tabulis tenuioribus, unde et tabellæ dictæ. Græcis hæc tabella ῥιπὶς et ῥιπίδιον, ἀπὸ ῥιπίζω *ventilo.* Heins.

162. *Et cava sub tenerum scamna dedisse pedem.*] Ne scil. pendula diutius torpeant lassitudine. Curæ quidem leviores, et *in tenui labor;* at merces non tenuis, placuisse puellæ! De *scamno* Varr. de Ling. Lat. iv. 35. " Quia simplici scansione scandebant in lectum non altum, *scabellum:* in altiorem, *scamnum.*" Unde colligere est, poëtice Ovidium *scamna*, pro *scabellum*, dixisse. Amar.

167. *Tangitque manum, poscitque libellum.*] Hæc Merula de sortilegiis et divinationibus, quæ in circo fieri solebant, explicat. et eum secutus est egregius ille Crispinus Interpretum Regiorum Coryphæus; admodum imperite. hæ enim vacuo circo ibi celebrabantur. vide Horat. i. Sat. vi. 113. sed sequentia evincunt apertissime agi de sponsione, utrum vinceret, Prasinus an Venetus, &c. Juvenal. Sat. xi. 199.

Spectent juvenes, quos clamor et audax
Sponsio, quos cultæ decet adsedisse puellæ.

Ubi vide interpretes, et qui de Circo

Saucius ingemuit, telumque volatile sensit:
Et pars spectati muneris ipse fuit.
Quid? modo cum belli navalis imagine Cæsar
Persidas induxit Cecropidasque rates?
Nempe ab utroque mari juvenes, ab utroque puellæ
Venêre: atque ingens orbis in Urbe fuit.
Quis non invênit, turbâ quod amaret in illâ?
Eheu, quam multos advena torsit Amor!
Ecce parat Cæsar domito, quod defuit, orbi
Addere. nunc, Oriens ultime, noster eris.
Parthe, dabis pœnas: Crassi gaudete sepulti,
Signaque barbaricas non bene passa manus.
Ultor adest; primisque ducem profitetur in armis:
Bellaque non puero tractat agenda puer.
Parcite natales, timidi, numerare Deorum:
Cæsaribus virtus contigit ante diem.
Ingenium cœleste suis velocius annis
Surgit; et ignavæ fert male damna moræ.

scripserunt hoc plenissime illustrantes. Recte vero Douza adnotavit, solere manus tangi inter concertationes, quibus sponsiones ratæ esse indicantur. Burm.

170. *Et pars spectati vulneris ipse fuit.*] Regius et Oxoniensis cum Excerptis Scaligeri ac Puteani, *spectati muneris.* egregie, ut jam monui ad Claudianum, lib. ii. in Rufin. vers. 396. intelligit enim munus gladiatorium. Heins.

177. *Ecce parat Cæsar, domito quod defuit orbi* &c.] De Cajo magis, quam de Tiberio intelligendum hoc loco et sequentibus videtur: propterea quod Tiberius, Lucio et Cajo jam mortuis, in Cæsarum familiam adoptatus demum fuit: ut per id tempus, quando ipse Armeniam profectus est, id quod longe ante mortem Caji et Lucii factum est, *Cæsar* dici nondum potuerit. Deinde, quod et puerum vocat: quo nomine immerito, ut puto, Tiberius vocaretur, qui jam supra viginti ætatis annos impleverat, cum expeditio Syriaca susciperetur. Micyl.

179. *Crassi gaudete sepulti.*] Videndum an veritati conveniat, et an non Crassi, a Parthis cæsi, sepulchro caruerint. certe Valer. Max. i. vi. 11. *Corpus imperatoris inter promiscuas cadaverum strues, avium ferarumque laniatibus objectum.* forte, *Crassi gaudete bis ulti.* ut primum a Ventidio, qui clades intulit Parthis, nunc ab Augusto vindictam sumtam indicet. et ita recte subdit, *ultor adest.* Burm.

Parvus erat, manibusque duos Tirynthius angues
Pressit: et in cunis jam Jove dignus erat.
Nunc quoque qui puer es, quantus tum, Bacche,
Cum timuit thyrsos India victa tuos! [fuisti,
Auspiciis animisque patris, puer, arma movebis:
Et vinces animis auspiciisque patris.
Tale rudimentum tanto sub nomine debes;
Nunc juvenum princeps, deinde future senum.
Cum tibi sint fratres, fratres ulciscere læsos:
Cumque pater tibi sit, jura tuere patris.
Induit arma tibi genitor patriæque tuusque:
Hostis ab invito regna parente rapit.
Tu pia tela feres, sceleratas ille sagittas:
Stabunt pro signis jusque piumque tuis.
Vincuntur caussâ Parthi; vincantur et armis.
Eöas Latio dux meus addat opes.
Marsque pater, Cæsarque pater, date numen eunti.
Nam Deus e vobis alter es, alter eris.

191. *Auspiciis annisque patris, puer, arma movebis, Et vinces annis, auspiciisque patris.*] Iidem lib. vere, *animis:* Est autem Apostrophe ad Germanicum, vel potius ad Tiberium; qui adoptione erat Augusti filius. Vide quæ notavi in Scholiis in lib. i. Fast. quæ jam edita sunt. Ciofanus. Ita castigatiores libri. ante perperam *annis* in utroque versu legebatur. Heins.

194. *Nunc juvenum princeps* &c.] *Princeps juventutis* dicebatur, qui primus in recognoscendo ordine equestri recitabatur. Perinde ac ille *Princeps senatus*, sive *senum*, qui primus in senatus recensione augusto titulo nominabatur. Quod quidem Caio Cæsari non contigit, qui juvenis admodum, biennio scilicet postquam Roma discessisset, occidit scelere et perfidia Parthorum ducis Domnes, interemtus. Florus, iv. 12. Amar.

195. *Quum tibi sint fratres* &c.] Lucius Cæsar et M. Agrippa Posthumius; quos *læsos* dicit, propter jus accipiendi rectores Romanos, a Parthis intermissum: quod unum Armeniis, devicto rege Tigrane, servitii genus Pompeius indiderat. Amar.

204. *Est Deus in vobis alter, et alter erit.*] In Aldinis legitur: *Nam Deus e vobis alter es, alter eris.* Intelligit autem Martem et Augustum, de quibus præcedenti versu mentio fit: quorum alter, hoc est Mars, jam Deus erat: alter autem, Augustus scilicet, futurus erat. Id quod ex eo colligebat poëta, quod etiam tum vivo divini honores decernebantur. Non autem

Auguror en; vinces: votivaque carmina reddam:
Et magno nobis ore sonandus eris.
Consistes, aciemque meis hortabere verbis.
O desint animis ne mea verba tuis!
Tergaque Parthorum, Romanaque pectora dicam;
Telaque, ab averso quæ jacit hostis equo.
Qui fugis, ut vincas, quid victos, Parthe, relinquis?
Parthe, malum jam nunc Mars tuus omen habet
Ergo erit illa dies, quâ tu, pulcherrime rerum,
Quattuor in niveis aureus ibis equis.
Ibunt ante duces, onerati colla catenis;
Ne possint tuti, quâ prius, esse fugâ.
Spectabunt læti juvenes, mixtæque puellæ:
Diffundetque animos omnibus ista dies.
Atque aliqua ex illis cum Regum nomina quæret,
Quæ loca, qui montes, quæve ferantur aquæ;
Omnia responde: nec tantum si qua rogabit;
Et quæ nescieris, ut bene nota refer.

de Cajo Tiberiove intelligendum: quorum neutri, neque vivo, neque mortuo, divini honores constituti fuere. Micyl.

207. *Consistes.*] In acie accinctus prœlio. Burm.

211. *Qui fugis, ut vincas* &c.] Non est unde quid in hoc versu moveas, quem tamen *suo*, ut ait, *periculo*, legi sic Heinsius volebat:

Qui fugis ut vincas, quid victo, Parthe, relinques?

Primum enim ad solitum Parthis morem adludit poëta, qui victoriæ spem et fiduciam in fuga ponebant, (*fidentemque fuga Parthum*, Virgil. Georg. iii. 30.) ad pugnam mox acriores reversuri: deinde vero simulatæ veram, quam ominatur, fugam opponens, addit ironice: *quid victos, Parthe, relinquis?* quid Romanos, quos *victos* jam solita fraude præsumis, *relinquis*, et *fugis* ipse, quasi victus? Nihil hic video, quod non aptissime cum mente poëtæ congruat; dum quem ex Heinsiana lectione sensum eruas, vix capio intelligendum. Amar.

213. *Ergo erit illa.*] Non invenustum, quod habet codex Regius, *Quando erit illa dies.* quod vehemens desiderium exprimit. Sed retineo vulgatam, qua se certum jam poëta ostendit. Burm.

214. *Aureus ibis equis.*] Notandum hic *ire in equis* poni pro curru vehi, cum aliter pro equitare sumi soleat. Burm.

Hic est Euphrates, præcinctus arundine frontem:
  Cui coma dependet cærula, Tigris erit.
Hos facito Armenios: hæc est Danaëia Persis:
  Urbs in Achæmeniis vallibus ista fuit.
Ille, vel ille, duces. et erunt, quæ nomina dicas:
  Si poteris, vere: si minus, apta tamen.
Dant etiam positis aditum convivia mensis:
  Est aliquid, præter vina, quod inde petas.
Sæpe illic positi teneris adducta lacertis
  Purpureus Bacchi cornua pressit Amor.
Vinaque cum bibulas sparsere Cupidinis alas,
  Permanet, et capto stat gravis ille loco.
Ille quidem pennas velociter excutit udas:
  Sed tamen et spargi pectus amore nocet.
Vina parant animos, faciuntque caloribus aptos:
  Cura fugit multo diluiturque mero.
Tunc veniunt risus; tunc pauper cornua sumit:
  Tunc dolor et curæ, rugaque frontis abis.

225. *Danaëia Persis.*] Multi Persarum nomen deducunt a Perse Andromedæ et Persei filio. vide viros doctos ad Stephanum de Urbibus in *Persis.* sed omnes falli, et a vocabulo, quod eorum lingua *equum* notat, (unde et in nostrum *Pærdt* venit) dictas, dictos, eosdemque et Parthos esse, viri eruditi diu demonstrarunt. *Danaëia proles* in margine Bersmanni. Burm.

231. *Sæpe illic positis.*] Lege, *positi*, cum codice Regio. et intellige, *Bacchi.* Heinsius. *Ponere vinum* etiam Petronius dixit, cap. xxxiv. vid. et ad cap. xx. sed si *positi* hic scribendum, interpretarer, accumbentis et vino indulgentis. exemplo ergo Bacchi positi ét accumbentis, cujus cornua Amor pressit, utitur, ut mox Cupidinis mentionem injicit. In Heinsii interpretatione Bacchus pro ipso vino, esset capiendus, quod vix quadrat. *positus* si cum quibusdam editis, et Palatino codice legeretur, ad Amorem esset referendum accumbentem. ita pro jacentibus iv. Epist. 98. *positi.* Burm.

236. *Sed tamen et spargi.*] Melius in Palatino, *Sed tamen aspergi pectus amore nocet.* Dan. Heinsius. An vero *nocet?* cur ergo Naso artem noxiam doces? immo vero puto, *pectus amore docet.* ille quidem vini vim velociter excutere potest; sed docet tamen amorem penetrare in pectus. ideoque amatoribus quærenda convivia sunt, ubi cum Baccho Cupido etiam dominatur. *solet* est in uno Heinsii, etiam non male. vid. ad lib. iii. Amor. x. ult. de *sed tamen et.* vid. ad Epist. iii. 4. Burm.

Tunc aperit mentes, ævo rarissima nostro,
  Simplicitas; artes excutiente Deo.
Illic sæpe animos juvenum rapuere puellæ:
  Et Venus in vinis, ignis in igne fuit.
Hic tu fallaci nimium ne crede lucernæ.
  Judicio formæ noxque merumque nocent.
Luce deas cœloque Paris spectavit aperto;
  Cum dixit Veneri, Vincis utramque, Venus.
Nocte latent mendæ, vitioque ignoscitur omni:
  Horaque formosam quamlibet illa facit.
Consule de gemmis, de tinctâ murice lanâ;
  Consule de facie corporibusque diem.
Quid tibi femineos cœtus, venatibus aptos,
  Enumerem? numero cedet arena meo.
Quid referam Bajas, prætextaque litora velis,
  Et, quæ de calido sulfure fumat, aquam?
Hinc aliquis vulnus referens in pectore, dixit;
  Non hæc (ut fama est) unda salubris erat.
Ecce suburbanæ templum nemorale Dianæ,
  Partaque per gladios regna nocente manu.

249. *Mendæ.*] Hoc versu utuntur antiqui Grammatici, ut doceant differentiam *mendæ* et *mendi*. Vide Charis. pag. 55. Eutych. pag. 21. 74. et Incertum pag. 2791. Burm.

253. *Quid tibi fœmineos cœtus, venatibus aptos.*] Non loquitur hic poëta de sylvis, et venantibus mulieribus, ut Merula putat, locumque Juvenalis inepte allegat: sed, Quid, inquit, enumerem tibi cœtus et congregationes mulierum omnes, in quibus, aut ubi liceat eas apte ac commode venari? hoc est, circumspicere atque eligere quas ames: plures enim sunt, quam ut numerari possint &c. Micyl.

260. *Partaque per gladios regna nocente manu.*] Hunc locum non satis explicat Interpres. nam poeta historiam et morem tangit, quo sacerdotes apud Ariciam alii aliis succedebant. Non enim ingenui hoc munus obibant, sed servi, iidemque fugitivi. Qui singulari certamine inter sese dimicantes, cum victoria etiam sacerdotium adipiscebantur: semperque victor idem, et successor alterius erat. Quem morem Pausanias in Corinthiacis, etiamnum suis temporibus durasse scribit. Per regnum ergo sacerdotium intellige. nam et ipse sacerdos rex nemoralis, a nemore scil. Aricino, ubi templum deæ erat, vocabatur. Micyl.

Illa quod est virgo, quod tela Cupidinis odit,
  Multa dedit populo vulnera, multa dabit.
Hactenus, unde legas quod amas, ubi retia ponas,
  Præcipit imparibus vecta Thalia rotis.
Nunc tibi, quæ placuit, quas sit capienda per artes,
  Dicere præcipuæ molior artis opus.
Quisquis ubique viri, dociles advertite mentes;
  Pollicitisque favens, vulgus, adeste meis.
Prima tuæ menti veniat fiducia, cunctas
  Posse capi; capies: tu modo tende plagas.
Vere prius volucres taceant, æstate cicadæ;
  Mænalius lepori det sua terga canis:
Femina quam juveni, blande tentata, repugnet.
  Hæc quoque, quam poteris credere nolle, volet.
Utque viro furtiva Venus, sic grata puellæ.
  Vir male dissimulat: tectius illa cupit.
Conveniat maribus, ne quam nos ante rogemus;
  Femina jam partes victa rogantis agat.
Mollibus in pratis admugit femina tauro:
  Femina cornipedi semper adhinnit equo.

264. *Imparibus rotis.*] Inæquali modulatione Hexametri et Pentametri.

267. *Quisquis ubique viri.*] Videtur legendum, *Quotquot ubique viri*, vel, *Quicquid ubique virûm*. Heinsius. Nihil muta. passim enim *quisquis*, et *quisque*, cum plurali conjunguntur. Burm.

Dociles advertite mentes.] *Faciles* antiquæ editiones, usque ad Aldinam, et ita unus Heinsii, eadem varietas supr. i. Amor. xiv. 13. *Faciles* sunt credulæ. Burm.

269. *Veniat fiducia, cunctas.*] Lego, *formâ posse capi;* puellas tua forma capi posse. Heins.

273. *Tentata, repugnet.*] *Captata* Vaticanus unus. Heinsius. *Tentata* præstat, et blanditiis melius convenit. Ubi videndus Gebhardus, qui docet eodem sensu Græcis πειρᾶν et πειράζειν. *captat puellam* qui observat, insidiatur ejus pudicitiæ. *Tentat*, qui de stupro sollicitat et appellat. Burm.

275. *Furtiva Venus.*] Tibul. i. 9. *Nota Venus furtiva mihi.*

276. *Tectius illa cupit.*] Sententia est ab Euripide accepta, qui Androm. v. 219.

Αἰσχρὸν γε καὶ τοι χεῖρον' ἀρσένων νόσον
Ταύτην νομοῦμεν, ἀλλὰ προὔστημεν καλῶς. Burm.

Fortior in nobis, nec tam furiosa libido.
  Legitimum finem flamma virilis habet.
Byblida quid referam, vetito quæ fratris amore
  Arsit; et est laqueo fortiter ulta nefas?
Myrrha patrem, sed non quo filia debet, amavit:
  Et nunc obducto cortice pressa latet.
Illius et lacrimis, quas arbore fundit odorâ,
  Unguimur; et dominæ nomina gutta tenet.
Forte sub umbrosis nemorosæ vallibus Idæ
  Candidus, armenti gloria, taurus erat;
Signatus tenui media inter cornua nigro.
  Una fuit labes; cetera lactis erant.
Illum Gnosiadesque Cydoneæque juvencæ
  Optarunt tergo sustinuisse suo.
Pasiphae fieri gaudebat adultera tauri:
  Invida formosas oderat illa boves.
Nota cano. non hoc, centum quæ sustinet urbes,
  Quamvis sit mendax, Creta negare potest.
Ipsa novas frondes, et prata tenerrima, tauro
  Fertur inadsuetâ subsecuisse manu.
It comes armentis; nec ituram cura moratur
  Conjugis: et Minos a bove victus erat.
Quo tibi, Pasiphae, pretiosas sumere vestes?
  Iste tuus nullas sentit adulter opes.
Quid tibi cum speculo montana armenta petenti?
  Quid toties positas fingis, inepta, comas?
Crede tamen speculo, quod te negat esse juvencam.
  Quam cuperes fronti cornua nata tuæ!

284. *Arsit; et est laqueo fortiter ulta nefas?*] Hanc fabulam tractat idem poeta, lib. ix. Metam. Sed vide diversitatem traditionum: illic delicuisse in fontem dicit, hic laqueo finisse vitam Bybliden. Quæ varietas a Græcis sumpta, apud quos Tragici, ut cujusque argumento commodissima, hoc aut illud affingunt. Micyl.

293. *Gnosiades, Cydoniadesque.*] Ex duabus Cretæ urbibus. Ciof.

Sive placet Minos; nullus quæratur adulter;
  Sive virum mavis fallere, falle viro.
In nemus et saltus thalamo regina relicto
  Fertur, ut Aönio concita Baccha Deo.
Ah quoties vaccam vultu spectavit iniquo,
  Et dixit, Domino cur placet ista meo!
Adspice, ut ante ipsum teneris exsultet in herbis:
  Nec dubito, quin se stulta decere putet.
Dixit; et ingenti jamdudum de grege duci
  Jussit; et immeritam sub juga panda trahi:
Aut cadere ante aras commentaque sacra coëgit:
  Et tenuit lætâ pellicis exta manu.
Pellicibus quoties placavit numina cæsis:
  Atque ait, exta tenens, Ite, placete meo!
Et modo se Europen fieri, modo postulat Iö:
  Altera quod bos est; altera vecta bove.
Hanc tamen implevit, vaccâ deceptus acernâ,
  Dux gregis: et partu proditus auctor erat.
Cressa Thyesteo si se abstinuisset amore;
  (O quantum est, uni posse placere viro!)
Non medium rupisset iter, curruque retorto
  Auroram versis Phœbus adisset equis.

315. *Exultat.*] *Exultet* meliora exemplaria. et mox, *quin se stulta decere putet*, non *placere*. Heins.

318. *Sub juga curva trahi.*] *Juga panda* prima editio cum quatuor scriptis. quæ vox in deliciis est Nostro. Heins.

319. *Commentaque sacra.*] *Mentita* Palatinus unus et Aprosii pro diversa lectione. vid. Ep. xi. 73. et iv. Met. 36. Douza explicat, ut indictivas ferias, quas ipsa sibi commenta erat.

322. *Exta tenens.*] Repressit Græcum, κρατεῖν τὰ σπλάγχνα. de quo vid. Scipion. Gentil. ad Apulej. Apol. No. 506. *placete viro* duo scripti.

327. *Cressa.*] Ærope: Apollodorus et Ovidius in Tristibus, (lib. ii. 391.) et Seneca in Thyeste. Crof.

329. *Rupisset iter.*] *Rapuisset* ediderunt olim Veneti, deinde Micyllus, Bersmannus, Vincentius et Plantin. quod et in quinque codicibus exstat. Sed *rapere iter* aliud notat, ac poëta voluit. *rupit iter* sol, id est a medio cursu ad ortum rediit. bene vero addit *medium*, quia *iter rumpere* etiam dicitur de difficili via, cum obstantia per-

Filia purpureos Niso furata capillos,
Pube premit rabidos inguinibusque canes.
Qui Martem terrâ, Neptunum effugit in undis,
Conjugis Atrides victima dira fuit.
Cui non defleta est Ephyrææ flamma Creüsæ?
Et nece natorum sanguinolenta parens?
Flevit Amyntorides per inania lumina Phœnix:
Hippolytum pavidi diripuistis equi.
Quid fodis immeritis, Phineu, sua lumina natis?
Pœna reversura est in caput ista tuum.
Omnia femineâ sunt ista libidine mota;
Acrior est nostrâ, plusque furoris habet.
Ergo age, ne dubita cunctas superare puellas;
Vix erit e multis quæ neget una tibi.
Quæ dant, quæque negant, gaudent tamen esse [rogatæ.
Ut jam fallaris, tuta repulsa tua est.
Sed cur fallaris, cum sit nova grata voluptas?
Et capiant animos plus aliena suos?

rumpimus, de quo ad Val. Flac. i. 3. pluribus agemus. Burm.

333. *Qui martem terris.*] *Terra* meliores. Heinsius. *Neptunumque effugit undis* unus Heins. ego Heinsium sequor. et capio *terra*, pro *in terra*; nam præpositiones in priori membro sæpe omittit Noster. vid. Epist. vi. 107. et xvi. 141. xviii. 157. et alibi. Burm.

335. *Ephyrææ.*] Corinthiæ ab Ephyre. vide quæ notavi in Epistola Medeæ ad Jasonem. Ciof.

337. *Flevit Amyntorides.*] Phœnix filius fuit Amyntoris filii Cercaphi: quem Phocidem, alii Ormenium genuisse volunt. Hic cum amica patris rem habebat: sed post multas ejus imprecationes ex Hellade discessit. Is igitur ad Peleum fugit, qui filio Achilli comitem præceptoremque dedit.

339. *Quid fodis immeritis.*] Phineus rex fuit Arcadiæ: qui repudiata Cleopatra, uxorem Harpalicem Scythicam duxit, cujus instinctu filios occæcavit. Sed in hujus rei vindictam mox illum dii oculis privarunt, et harpyias aves immiserunt, quæ dapes diripiebant, atque ventris profluvio fœdabant.

343. *Ne dubita.*] Notanda vis particulæ *ergo*, quæ hic non modo adhortantis est; sed qua utimur, ubi tarde aliquem consentientem convincimus quasi et reprehendimus. Burm.

348. *Et capiant animos plus aliena suis.*] Mallem *suis* retinere, ut sit sententia ex medio petita, omnes magis cupere aliena, quia credunt illa

Fertilior seges est alienis semper in agris:
Vicinumque pecus grandius uber habet.
Sed prius ancillam captandæ nosse puellæ
Cura sit: accessus molliat illa tuos.
Proxima consiliis dominæ sit ut illa videto;
Neve parum tacitis conscia fida jocis.
Hanc tu pollicitis, hanc tu corrumpe rogando;
Quod petis, e facili, si volet illa, feres.
Illa legat tempus (medici quoque tempora servant)
Quo facilis dominæ mens sit, et apta capi.
Mens erit apta capi tunc, cum lætissima rerum,
Ut seges in pingui luxuriabit humo.
Pectora dum gaudent, nec sunt adstricta dolore,
Ipsa patent: blandâ tum subit arte Venus.
Tum, cum tristis erat, defensa est Ilios armis:
Militibus gravidum læta recepit equum.
Tum quoque tentanda est, cum pellice læsa dolebit:
Tum facias operâ, ne sit inulta, tuâ.
Hanc matutinos pectens ancilla capillos
Incitet: et velo remigis addat opem.
Et, secum tenui suspirans murmure, dicat;
Ut puto, non poteris ipsa referre vicem.

pleniora, ita puellam majorem voluptatem sperare ex novo amante, quam ex eo, qui jam diu eam coluit, et ideo facile ad amandum deduci. BURM.

349. *Fertilior seges est alienis semper in agris Vicinumque pecus grandius uber habet.*] Ad hunc locum respexit Juvenalis Satyr. xiv. 143. CIOF.

352. *Accessus molliat ista tuos.*] Faciat ut tibi ad dominam aditus pateat facilior. Eleganter admodum *mollire*, eo sensu: sic Dido ad sororem, Æn. iv. 423. de Ænea, quem tentat nequicquam detinere:

Sola viri molles aditus *et tempora noras.* AMAR.

361. *Nec sunt adstricta dolore.*] Mallem cum Moreti, *ipsa patet:* dum læta mente erit, ipsa tibi patebit facile. BURM.

370. *Ut puto, non poteris ipsa referre vicem.*] Hoc est, compensare id, quod conjux in te peccavit, te ulcisci: non, referre gratiam, ut Merula hic exponit. Et quod mox sequitur, *Sed propera, ne vela cadant.* De occupanda puella intelligendum est, cujus animus antea deviciendus, quam ira

Tum de te narret: tum persuadentia verba
  Addat; et insano juret amore mori.
Sed propera, ne vela cadant, auræque residant.
  Ut fragilis glacies, interit ira morâ.
Quæris, an hanc ipsam prosit vitiare ministram?
  Talibus admissis alea grandis inest.
Hæc a concubitu fit sedula; tardior illa:
  Hæc dominæ munus te parat, illa sibi.
Casus in eventu est. licet hæc indulgeat ausis;
  Consilium tamen est abstinuisse meum.
Non ego per præceps et acuta cacumina vadam:
  Nec juvenum quisquam, me duce, captus erit.
Si tamen illa tibi, dum dat, recipitque tabellas,
  Corpore, non tantum sedulitate, placet;
Fac dominâ potiare prius; comes illa sequatur.
  Non tibi ab ancillâ est incipienda Venus.
Hoc unum moneo (si quid modo creditur arti;
  Nec mea dicta rapax per mare ventus agit.)
Aut non tentâris, aut perfice. tollitur index;
  Cum semel in partem criminis ipsa venit.

residat. Micyllus. *Poteras ipse* Regius. alius, *poteras ipsa.* nihil videtur mutandum. Non poteris vicem illi in amando referre. Heins.

373. *Sed propera, ne vela cadant, iræque residant.*] In Commeliniano erat glossa, *sed propera.* id est, *vindictam sume de pellice:* ut verba sint ancillæ ad dominam. et ita cum Micyllo, *referre vicem* erit, ulcisci amantis veteris perfidiam, qui pellicem, id est aliam amicam præfert. malo tamen ad Poëtam referre, qui monet properandum esse, dum puella, læsa pellice, iram conceperit contra amantem, quo tempore apta capi ejus mens est. Burm.

379. *Casus in eventu est, licet hic indulgeat ausis.*] Expone: Licet hic eventus, sive casus, hoc est fortuna, indulgeat ausis. Micyl.

389. *Tollitur index, Cum semel in partem criminis illa venit.*] Non tantum de indicio, quod ad dominam deferri potest, accipiendum: sed magis de eo, quod ad virum, sive maritum. quasi diceret, nunquam illa de domina indicabit marito, postquam ipsa quoque in eadem culpa erit, et in societatem criminis venit. Micyllus. *Pellitur index* Francof. pro varia lectione. ego puto sensum esse, si quis tentarit modo ancillam, non perfecerit, illum perdere ancillam, quæ index est, et omnia dicta et facta dominæ amatoris refert, ut mox dicit. Burm.

Non avis utiliter viscatis effugit alis:
Non bene de laxis cassibus exit aper.
Saucius arrepto piscis teneatur ab hamo.
Perprime tentatam: nec, nisi victor, abi.
Tum neque te prodet communi obnoxia culpæ:
Factaque erunt dominæ dictaque nota tibi.
Sed bene celetur, bene si celabitur index,
Notitiæ suberit semper amica tuæ.
Tempora qui solis operosa colentibus arva,
Fallitur, et nautis adspicienda putat.
Nec semper credenda Ceres fallacibus arvis:
Nec semper viridi concava puppis aquæ.
Nec teneras semper tutum captare puellas.
Sæpe dato melius tempore fiet idem.
Sive dies aderit natalis; sive Kalendæ,
Quas Venerem Marti continuasse juvat:
Sive erit ornatus, non ut fuit ante, sigillis,
Sed regum expositas Circus habebit opes;
Differ opus. tunc tristis hiems, tunc Pliades instant:
Tunc tener æquoreâ mergitur Hœdus aquâ.

397. *Bene celetur.*] Male interpretes capiunt, quidquid tibi ancilla dixerit de amica: cum sensus sit, tuus cum ancilla coitus celetur, ne domina resciscat, et Douza adscripserat recte, *ne domina resciscat cautio est.* Burm.

399. *Operosa arva.*] Sunt in quibus semper opus aliquod fieri debet. vide Broukh. ad Tibul. i. eleg. x. v. 8. et supr. ii. Amor. xvi. 33.

405. *Kalendæ.*] Martial. v. 85.

Scis certe, puto, vestra jam venire
Saturnalia, Martias Kalendas.

Unde et *Femineæ* dictæ Kalendæ. Douza.

408. *Sed regum positas circus habebit opes.*] Merula hoc loco multa de obeliscis Ægyptiis affert, quos dicit intelligendos esse. Ego vero simpliciter accipio de quibuscunque regum opibus ac spoliis, Romam per imperatores allatis, quibus Circus et theatra exornari tamen solebant. Neque enim magna oblectatio fuisset, solos illos lapides spectare: cum eodem modo etiam antiquis sigillis spectandis oblectari puella potuisset. Sed hoc innuit Poeta, cum varie ac speciosis rebus Circus exornatus erit, ita ut puellæ illis contemplandis vacare magis quam amatori velint, tunc abstinendum esse: tunc enim operam in illis conciliandis frustra sumi. Micyl.

409. *Differ opus: tunc tristis hiems,*

Tunc bene desinitur: tunc, si quis creditur alto,
Vix tenuit laceræ naufraga membra ratis.
Tu licet incipias, quâ flebilis Allia luce
Vulneribus Latiis sanguinolenta fuit:
Quâque die redeunt, rebus minus apta gerendis,
Culta Palæstino septima festa Syro.
Magna superstitio tibi sit natalis amicæ:
Quâque aliquid dandum est, illa sit atra dies.
Cum bene vitaris; tamen auferet. invenit artem
Femina, quâ cupidi carpat amantis opes.
Institor ad dominam veniet discinctus emacem:
Expediet merces, teque sedente, suas.
Quas illa, inspicias, sapere ut videare, rogabit.
Oscula deinde dabit: deinde rogabit, emas.
Hoc fore contentam multos jurabit in annos.
Nunc opus esse sibi, nunc bene dicet emi.

tunc Pleiades instant.] Libri veterrimi, *Pliades.* Ceterum legendum videtur:

——*dum tristis hyems, dum Pliades instant,*
Dum tener æquorea mergitur Hœdus aqua.

Ut metaphorice hæc omnia dicantur. Heinsius. *Tunc Pliades instant.* Dictæ sic *Pliades* a Pleione, una ex Oceanitidibus, quæ ex Atlante, Mauritaniæ rege, filias suscepit duodecim, quarum septem *Pleiadum, Hyadum* quinque nomine celebrantur. Dictas volunt alii a *πλέω, navigo;* quia navigandi tempus indicant, quum oriantur circa æquinoctium vernum; unde a Latinis *Vergiliæ* adpellantur. Amar.

413. *Qua flebilis Allia luce,* &c.] Umbriæ fluvius Allia, in Sabinis, (nunc *Rio di Mosso,*) in perpetuum infamis, *flebili* Romanorum clade, qui ibi a Gallis Senonensibus, Brenno duce, fusi fugatique fuerunt, A. U. CCCLVIII. Tit. Liv. v. 38. Flor. i. 13. Plutarch. in Camil. Amar.

421. *Institor ad dominam,* &c.] "Institor est, inquit Ulpian. 18. de Inst. Act. qui tabernæ, locove ad emendum vendendumque præponitur; quique sine loco ad eumdem actum præponitur." Amar.

422. *Expediet.*] Exponet oculis tuis. ita Quinctil. viii. 3. eleganter oratorem, velut *institorem eloquentiæ, quidquid erit sententiis populare, verbis nitidum,* &c. *intuendum et pene pertractandum daturum,* dicit. Burm.

423. *Sapere ut.*] *Scire ut* Neapolitanus. sed *sapere* retineo: idem vero hic est, quod alii dicunt *intelligere,* peritum esse mercium. vid. ad Petron. cap. lii. *capere* Bernensis. Burm.

Si non esse domi, quos des, caussabere nummos;
  Litera poscetur; ne didicisse juvet.
Quid? quasi natali cum poscit munera libo;
  Et, quoties opus est, nascitur ipsa sibi?
Quid? cum mendaci damno mœstissima plorat;
  Elapsusque cavâ fingitur aure lapis?
Multa rogant utenda dari: data reddere nolunt.
  Perdis; et in damno gratia nulla tuo.
Non mihi, sacrilegas meretricum ut prosequar artes,
  Cum totidem linguis, sint satis ora decem.
Cera vadum tentet, rasis infusa tabellis:
  Cera tuæ primum nuntia mentis eat.
Blanditias ferat illa tuas: imitataque amantum
  Verba, nec exiguas, quisquis es, adde preces.
Hectora donavit Priamo, prece motus, Achilles:
  Flectitur iratus voce rogante Deus.

428. *Litera poscetur, nec didicisse juvat.*] *Ne didicisse juvet* Regius, Oxoniensis, aliique nonnulli. ne prosit forte, quod didicisti literas. Heinsius. Locus obscurior, quem ita capio, ut si caussetur amator, sibi domi in arca non esse præsentes nummos, poscatur ab eo litera, sive scriptura ad tabernarios, qua de mensa jubeat solvi Institori. *ne didicisse juvet* addit, quia puella illa vicem ludimagistri quasi obit, et docet amatorem scribere, formulam literæ præscribens; vel potest etiam referri ad Institorem, qui cum puella colludit, et nihil sibi opus nummis præsentibus esse dicet, sed literam poscet ad mensarios. Sed, *ne didicisse juvet*, est, ne prosit tibi, si dicas te jam olim didicisse, ideoque non opus esse, ut nunc demum scribere discas. Burm. Ego vero Heinsio adsentior.

429. *Quid quasi natali.*] Arbitror ab Ovidio fuisse scriptum:

Quid sua natali cum poscit munera libo. Heins.

Ego nihil mutem, *quasi natali* est ficto et falso, cum mentitur sibi diem illum natalem esse, qui minime est. sic *quasi testamenta* Plinio. lib. viii. Epist. 16. Burm.

431. *Quid cum mendaci damno.*] *Mordaci damno* Bernensis unus. *Quid quo mendaci damno* Micylli Edit. nihil muta. Has sacrilegas meretricum artes tangit etiam Horat. i. Epist. xvii. 55.

Nota refert meretricis acumina, sæpe catellam,
Sæpe periscelidem raptam sibi flentis, uti mox
Nulla fides damnis, verisque doloribus adsit. Burm.

437. *Rasis infusa tabellis.*] *Raris* Oxon. *roseis* Palatin. sed *rasæ* tabellæ sunt politæ, æquato et levigato ligno, ut ita *rasile argentum*, *buxum* et similia obvia. Burm.

Promittas facito: quid enim promittere lædit?
  Pollicitis dives quilibet esse potest.
Spes tenet in tempus, semel est si credita, longum:
  Illa quidem fallax, sed tamen apta Dea est.
Si dederis aliquid, poteris ratione relinqui.
  Præteritum tulerit, perdideritque nihil.
At quod non dederis, semper videare daturus.
  Sic dominum sterilis sæpe fefellit ager.
Sic, ne perdiderit, non cessat perdere lusor:
  Et revocat cupidas alea blanda manus.
Hoc opus, hic labor est: primo sine munere jungi.
  Ne dederit gratis, quæ dedit, usque dabit.
Ergo eat; et blandis peraretur litera verbis:
  Exploretque animos, primaque tentet iter.
Litera Cydippen, pomo perlata, fefellit:
  Insciaque est verbis capta puella suis.
Disce bonas artes, (moneo) Romana juventus;
  Non tantum, trepidos ut tueare reos.
Quam populus, judexque gravis, lectusque senatus;
  Tam dabit eloquio victa puella manus.
Sed lateant vires; nec sis in fronte disertus.
  Effugiant ceræ verba molesta tuæ.

448. *Præteritum tulerit, perdideritque nihil.*] *Tuleris* unus Patavinus. tertius Regius, *perdiderisque*. nil muta. Videbitur accepisse, quod promiseras, nec quicquam perdet. HEINSIUS. Mihi, ut ingenue fateor, nondum plane horum versuum sententia patet. puto tamen hoc velle Poëtam. si *aliquid*, id est exiguum munus, dederis avidissimæ meretrici, rationem inveniet, qua te relinquet, quia captat magna munera, et ita videtur perdere, si exigua capiat; tu vero *præteritum tuleris* (ita enim lego ex MSS.) id est quidquid ab ea jam ante impetravisti, et *nihil perdideris*, quia nihil dederis. præceptum continetur ultimo versu amatori datum, ut quidquid possit blanditiis et pollicitis auferat, sed nihil det. BURM.

454. *Si dederit gratis.*] Regius et Oxoniensis, *ne dederit*. argute. Sperat enim se imposterum non daturam gratis. superiora hanc lectionem confirmant. Ambrosianus, *ne dederit*. alius, *nec dederit*. HEINS.

464. *Effugiant voces.*] *Ceræ* libri tres. probe. HEINSIUS. *Molesta verba* probum est; ea sunt nimis erudita, et remota a vulgari et quotidiano usu.

Quis, nisi mentis inops, teneræ declamet amicæ?
  Sæpe valens odii litera caussa fuit.
Sit tibi credibilis sermo, consuetaque verba:
  Blanda tamen, præsens ut videare loqui.
Si non accipiet scriptum, illectumque remittet;
  Lecturam spera: propositumque tene.
Tempore difficiles veniunt ad aratra juvenci:
  Tempore lenta pati frena docentur equi:
Ferreus adsiduo consumitur annulus usu:
  Interit adsiduâ vomer aduncus humo.
Quid magis est saxo durum? quid mollius undâ?
  Dura tamen molli saxa cavantur aquâ.
Penelopen ipsam (persta modo) tempore vinces.
  Capta vides sero Pergama; capta tamen:
Legerit, et nolit rescribere; cogere noli.
  Tu modo blanditias fac legat usque tuas.
Quæ voluit legisse, volet rescribere lectis.
  Per numeros venient ista gradusque suos.
Forsitan et primo veniet tibi litera tristis;
  Quæque roget, ne se sollicitare velis.
Quod rogat illa, timet: quod non rogat, optat, ut instes.
  Insequere; et voti postmodo compos eris.

sic divinum illud Augusti præceptum Agrippinæ Nepti datum, apud Sueton. cap. lxxxvi. *sed opus est dare te operam, ne moleste scribas aut loquaris.* vide Vavass. de vi et usu quorumdam verborum. pag. 7. inepte Merula exposuit, minus amicam delectantia. Burm.

466. *Valens odii litera.*] Inepte Merula *valens* cum *litera* conjungit, et exponit dicendi efficacem, cum jungenda illa vox sit cum *caussa.* Burm.

467. *Credibilis.*] Douza interpretabatur, intellectu facilis, perspicuus, et, ut ita dicat, intelligibilis.

Consuetaque verba.] Alii, *consultaque.* hoc est cauta, prudentia. sed alterum præstat. Heinsius. *Consultaque verba*, quidam; male, et repugnans cum præcedenti *nec sis in fronte disertus.* Amar.

475. *Quid magis.*] Hoc distichon adfert Senec. lib. iv. Natur. Quæst. 3.

Quid magis est saxo durum.] E Lucret. ut quæ præcedunt, qui libro i. de rerum Natura, 314:

Stillicidi casus lapidem cavat; uncus aratri
Ferreus occulte decrescit vomer in arvis. Amar.

Interea, sive illa toro resupina feretur;
  Lecticam dominæ dissimulanter adi:
Neve aliquis verbis odiosas adferat aures,
  Quam potes, ambiguis callidus abde notis.
Seu pedibus vacuis illi spatiosa teretur
  Porticus: hic socias tu quoque junge moras.
Et modo præcedas facito; modo terga sequaris:
  Et modo festines, et modo lentus eas.
Nec tibi de mediis aliquot transire columnas
  Sit pudor, aut lateri continuasse latus.
Nec sine te curvo sedeat spatiosa theatro:
  Quod spectes, humeris adferet illa suis.
Illam respicias, illam mirere licebit;
  Multa supercilio, multa loquare notis.
Et plaudas, aliquam mimo saltante puellam;
  Et faveas illi, quisquis agatur amans.
Cum surget, surges; donec sedet illa, sedebis.
  Arbitrio dominæ tempora perde tuæ.
Sed tibi nec ferro placeat torquere capillos:
  Nec tua mordaci pumice crura teras.
Ista jube faciant, quorum Cybeleïa mater
  Concinitur Phrygiis exululata modis.
Forma viros neglecta decet. Minoïda Theseus
  Abstulit, a nullâ tempora comtus acu.
Hippolytum Phædra, nec erat bene cultus, amavit.
  Cura Deæ, silvis aptus, Adonis erat.

495. *Nec tibi de mediis aliquot transire columnis.*] Lapides milliares intelligit. Heins.

498. *Afferat.*] In Aprosii et Commelin, *auferat.* in quo etiam glossa: id est, *humeris suis pulchris auferat tibi spectaculum Theatri.* Ego legerem, *quod spectes oculis, afferat illa, tuis.* ne vide ea, quæ in theatro exhiberi, et alios spectatores intentos habere solent; sed adferat illa, quæ spectes oculis tuis: eam solam specta, illam mirere, &c. Burm.

506. *Nec tua mordaci,* &c.] Egregie et vehementer, ut solet, invehitur Persius, Sat. iv. 33. in morem hunc viris indignum. Amar.

Munditiæ placeant: fuscentur corpora Campo:
Sit bene conveniens, et sine labe toga,
Linguaque ne rigeat: careant rubigine dentes:
Nec vagus in laxâ pes tibi pelle natet.
Nec male deformet rigidos tonsura capillos:
Sit coma, sit doctâ barba resecta manu.
Et nihil emineant, et sint sine sordibus ungues:
Inque cavâ nullus stet tibi nare pilus.
Nec male odorati sit tristis anhelitus oris:
Nec lædant nares virque paterque gregis.
Cetera lascivæ faciant, concede, puellæ:
Et si quis male vir quærit habere virum.
Ecce suum vatem Liber vocat. hic quoque amantes
Adjuvat; et flammæ, quâ calet ipse, favet.
Gnosis in ignotis amens errabat arenis,
Quâ brevis æquoreis Dia feritur aquis.
Utque erat a somno tunicâ velata recinctâ,
Nuda pedem, croceas irreligata comas;
Thesea crudelem surdas clamabat ad undas,
Indigno teneras imbre rigante genas.
Clamabat, flebatque simul; sed utrumque decebat:
Nec facta est lacrimis turpior illa suis.

513. *Fuscentur corpora Campo.*] Ad campum Martium refer, ubi sese exercebant luctando, aliisque ludicris et quidem nudi ut plurimum. Recte hæc exercitia palæstrica atque athletica inter munditias refert Ovidius. illi enim, qui denudabant frequenter corpus, ei curando assidui incumbebant, sordem omnem ac squalorem inde amoliti. sed et sole oleoque inbibitis corpora vegeta ac colorata reddebantur. Hoc *fuscare corpora* dixit Noster. Heinsius. Hæc eadem præcipit Horat. lib. i. Sat. iii. et lib. i. Epist. i. vide Casaub. ad Theoph. Caract. *περὶ ἀγροικίας*. p. 135. et seq. Burm.

516. *Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.*] Sic *νεῖν ἐν τοῖς ἐμβᾶσι*, Aristoph. Equitib. vers. 321. Heins.

522. *Nec lædat nares.*] *Lædant* iidem. duo præterea libri, *duxque paterque gregis*, non *virque*, quod mox sequitur. Sed Virgil. Ecl. vii. 7.

Vir gregis ipse caper deerraverat.
Heins.

528. *Dia feritur.*] Alluitur. Dia insula Cretæ adjacens.

Jamque iterum tundens mollissima pectora palmis,
Perfidus ille abiit: quid mihi fiet? ait.
Quid mihi fiet? ait. sonuerunt cymbala toto
Litore, et attonitâ tympana pulsa manu.
Excidit illa metu, rupitque novissima verba:
Nullus in exanimi corpore sanguis erat.
Ecce Mimallonides sparsis in terga capillis:
Ecce leves Satyri, prævia turba Dei:
Ebrius ecce senex pando Silenus asello
Vix sedet; et pressas continet arte jubas.
Dum sequitur Bacchas, Bacchæ fugiuntque petuntque:
Quadrupedem ferulâ dum malus urguet eques;
In caput aurito cecidit delapsus asello.
Clamarunt Satyri, Surge, age, surge, Pater.
Jam Deus e curru, quem summum texerat uvis,
Tigribus adjunctis aurea lora dabat.
Et color, et Theseus, et vox abière puellæ:
Terque fugam petiit: terque retenta metu.
Horruit, ut steriles, agitat quas ventus, aristæ:
Ut levis in madidâ canna palude tremit.

539. *Excidit illa metu*, &c.] De mente intelligendum. vid. ad Remed. 348. sequentia, *rupitque novissima verba*, sermonem interruptum notant.

541. *Ecce Mimallonides sparsis in terga capillis.*] *Mimallones*, a quo *Mimallonides*, a Mimante vulgo dictas volunt: quod in eo monte sacra Bacchi celebrata fuerint. Suidas autem, et Græci alii, *ἀπὸ τῆς μιμήσεως* nomen hoc deductum tradunt, eo quod fœminæ istæ virorum facta imitarentur. Easdemque antea etiam *κλαδῶνας* dictas ajunt: puta quod ramos, sive thyrsos gestarent. MICYL.

546. *Dum malus urget.*] *Male sedit* Regius; forte, pro *sedat* a *sedare*. Vexatus enim a Bacchis et senex et asinus, qui cauda et jubis prehensus exultabat, et male sedabatur a Sileno. omnia enim de ludo, quem Bacchæ faciebant Sileno, capienda: vel *urget*, est impellit, ut progrediatur tardum animal, et effugiat mulierum manus. BURM.

554. *In madida.*] Nullum dubium, quin omnis palus sit *madida*, itaque otiosum epitheton videri jure potest. Ambrosianus et Vossianus, *media*. BURM.

Cui deus, En adsum tibi cura fidelior, inquit:
  Pone metum, Bacchi, Gnosias, uxor eris.
Munus habe cœlum: cœlo spectabile sidus
  Sæpe reges dubiam Cressa Corona ratem.
Dixit; et e curru, ne tigres illa timeret,
  Desilit: (imposito cessit arena pedi.)
Implicitamque sinu (neque enim pugnare valebat)
  Abstulit: ut facile est omnia posse Deo.
Pars, Hymenæe, canunt: pars clamant, Evie, evoe!
  Sic coëunt sacro nupta Deusque toro.
Ergo, ubi contigerint positi tibi munera Bacchi,
  Atque erit in socii femina parte tori;
Nycteliumque patrem, nocturnaque sacra precare,
  Ne jubeant capiti vina nocere tuo.
Hic tibi multa licet sermone licentia tecto
  Dicere, quæ dici sentiat illa sibi:
Blanditiasque leves tenui perscribere vino;
  Ut dominam in mensâ se legat illa tuam:
Atque oculos oculis spectare fatentibus ignem.
  Sæpe tacens vocem verbaque vultus habet.
Fac primus rapias illius tacta labellis
  Pocula; quâque bibet parte puella, bibas.
Et quodcumque cibi digitis libaverit illa,
  Tu pete: dumque petes, sit tibi tacta manus.

557. *Cœlo spectabere sidus.*] De Ariadnes Corona in cœlum relata fuse Noster l. iii. Fastorum aliique jam egerunt. Heins.

575. *Fac primus.*] Lucian. Dial. Deor. ex persona Junonis, istiusmodi delicias amantibus solitas marito suo objectantis, ita loquitur de Ganymede: *Ἐνίοτε δὲ καὶ ἀπογευσάμενος μόνος, ἔδωκας ἐκείνῳ, καὶ πίοντος ἀπολαβὼν τὴν κύλικα, ὅσον ὑπόλοιπον ἐν αὐτῇ πίνεις, ὅθεν καὶ αὐτὸς ἔπιε, καὶ ἔνθα προσήρμοσε τὰ χείλη ἵνα καὶ πίνῃς ἅμα καὶ φιλῇς.* Douza.

578. *Sit tibi tacta manus.*] Hoc sub specie aliqua solent amatores facere. Tibul. i. Eleg. vii. 25.

Sæpe velut gemmas ejus signumve probarem,
Per caussam memini me tetigisse manum.

Sint etiam tua vota viro placuisse puellæ.
  Utilior votis factus amicus erit.
Huic, si sorte bibes, sortem concede priorem:
  Huic detur capiti dempta corona tuo.
Sive sit inferior, seu par, prior omnia sumat:
  Neu dubites illi verba secunda loqui.
Tuta frequensque via est, per amicum fallere nomen.
  Tuta frequensque licet sit via; crimen habet.
Inde procurator nimium quoque multa procurat,
  Et sibi mandatis plura videnda putat.
Certa tibi a nobis dabitur mensura bibendi:
  Officium præstent mensque pedesque suum.
Jurgia præcipue, vino stimulata, caveto,
  Et nimium faciles ad fera bella manus.
Occidit Eurytion stulte data vina bibendo.
  Aptior est dulci mensa merumque joco.
Si vox est, canta: si mollia brachia, salta:
  Et, quacumque potes dote placere, place.

581. *Huic si forte bibas.*] *Si sorte* Puteani et Scaligeri excerpta. vere. notum illud, *Nec regna vini sortiere talis.* tum et hoc, *Quem Venus arbitrum dicet bibendi.* De lege Talaria conviviorum jam abunde disseruerunt homines eruditi. HEINS.

582. *Capiti missa corona tuo.*] Douza retinebat *missa*, et explicabat, coronam tuo capiti paratam destinatamque illi impone, tanquam meliorem ac digniorem demereri cuperes. *missa corona* etiam lib. ii. Art. 269.

584. *Verba secunda loqui.*] *Proxima verba* Palatinus. male: est idem quod Terentius Heaut. iv. vi. 22. et Adelph. v. ix. 37. dixit *obsecundare in loco*, non contradicere, nec adversari; sed assentari et ejus sententiæ accedere. BURM.

587. *Inde Propinator nimium quoque multa propinet. Et sibi.*] De *propinatore propinante*, quod viri eruditi, depravatos codices secuti, hic produnt, a vero alienum est. Libri certe meliores nihil variant. Agit de procuratoribus, quos domini absentes rebus suis constituebant, quique ista occasione eorum auctoritate, quorum res curabant, nonnunquam abutebantur. Ita cum Naugerio etiam doctissimus Gronovius locum capit. qui illud *videnda* sequenti versu interpretatur pro providenda et curanda. BURM.

592. *Faciles ad fera bella manus.*] Regius, et sex alii, *fera verba.* hoc est, manus cavete inter jurgia nimium paratas et promtas, per quas ad verbera a verbis veniatur. HEINS.

Ebrietas ut vera nocet, sic ficta juvabit.
  Fac titubet blæso subdola lingua sono:
Ut, quidquid facies dicesve protervius æquo,
  Credatur nimium caussa fuisse merum.
Et, Bene, dic, dominæ; bene, cum quo dormiat
  Sed male sit tacitâ mente precare viro. [illa:
At, cum discedet mensâ conviva remotâ;
  (Ipsa tibi accessus turba locumque dabit)
Insere te turbæ: leviterque admotus eunti,
  Velle latus digitis; et pede tange pedem.
Colloquio jam tempus adest. fuge rustice longe
  Hinc pudor: audentem Forsque Venusque ju-
Non tua sub nostras veniat facundia leges. [vant.
  Fac tantum incipias, sponte disertus eris.
Est tibi agendus amans, imitandaque vulnera ver-
  Hinc tibi quæratur qualibet arte fides. [bis.
Nec credi labor est: sibi quæque videtur amanda.
  Pessima sit, nulli non sua forma placet.
Sæpe tamen vere cœpit simulator amare:
  Sæpe, quod incipiens finxerat esse, fuit.
Quo magis ô faciles imitantibus este, puellæ.
  Fiet amor verus, qui modo falsus erat.

601. *Bene cum quo dormiat illa.*] Id est amatori: dubie enim dictum, ut et de viro possit capi, idque dici sibi callidus maritus credat, ita *dormire cum aliquo*, sumi docuit diligentissimus Passeratius ad Propertii lib. v. eleg. v. pag. 269. Burm.

605. *Leviterque admotus.*] *Pariterque* Palatinus. sed *leviter* est sine multo strepitu. Burm.

608. *Audacem Forsque Venusque juvant.*] *Audentes* Sarravianus. sed *audentem* Editio prima et triginta sex scripti. idque verum esse arbitror. *Audax* enim est temerarius, quem a Deo juvari stultum esset dicere. sed *Audens* est fortis, animosus, constans, qui intrepido animo omnia adgreditur. *Audentem* esse laudi ducitur, *audacem* vitio. Burm.

610. *Fac tantum cupias.*] Imo, *incipias.* quod in multis codicibus extat, et in Erfurtano Zinzerlingus invenit. notum illud, *Dimidium facti qui bene cœpit, habet.* et adagium Græcum 'Αρχὴ δέ τοι ἥμισυ παντός. Heins.

Blanditiis animum furtim deprendere nunc sit:
Ut pendens liquidâ ripa subitur aquâ.
Nec faciem, nec te pigeat laudare capillos;
Et teretes digitos, exiguumque pedem.
Delectant etiam castas præconia formæ.
Virginibus curæ grataque forma sua est.
Nam cur in Phrygiis Junonem et Pallada silvis
Nunc quoque judicium non tenuisse pudet?
Laudatas ostentat avis Junonia pennas:
Si tacitus spectes, illa recondit opes.
Quadrupedes, inter rapidi certamina cursus,
Depexæque jubæ, plausaque colla, juvant.
Nec timide promitte: trahunt promissa puellas.
Pollicito testes quoslibet adde Deos.
Juppiter ex alto perjuria ridet amantum;
Et jubet Æolios irrita ferre Notos.
Per Styga Junoni falsum jurare solebat
Juppiter: exemplo nunc favet ipse suo.
Expedit esse Deos: et, ut expedit, esse putemus.
Dentur in antiquos tura merumque focos.
Nec secura quies illos similisque sopori
Detinet. innocue vivite; numen adest.

619. *Furtim deprendere nunc sit.*] Est Græcismus, de quo infra lib. ii. vers. 28. male igitur potior librorum pars, *fas sit*. Heins.

622. *Exiguumque pedem.*] Commendatur in mulieribus pes brevis, lib. et elegia iii. Amor. Cior.

633. *Juppiter ex alto perjuria ridet amantum, Et jubet Æolios irrita ferre Notos.*] Tibulli imitatio ex lib. iv.

——*Perjuria ridet amantum*
Juppiter, et ventos irrita ferre jubet. Cior.

635. *Falso.*] Ita olim editi, sed Aldus, Dan. Heinsius aliique *Falsum* expresserunt; idque confirmant fere omnes scripti. neque capio adverbialiter, ut lib. iii. Amor. iii. ii. sed *Falsum styga*, fictum, qui a Poëtis esse falso jactatur. vide ad Epist. ii. 37. et hoc confirmat editio prima. ubi erat:

Per falsum styga Junoni jurare solebat. Burm.

637. *Expedit esse Deos.*] Ita vulgo Philosophi et Athei jactabant. Tertullian. ad Nationes 2. *Diogenes consultus an Dii essent, Nescio, inquit, nisi ut sint, expedire.* Burm.

Reddite depositum: pietas sua fœdera servet:
Fraus absit: vacuas cædis habete manus.
Ludite, si sapitis, solas impune puellas.
Hac minus est unâ fraude tuenda fides.
Fallite fallentes: ex magnâ parte profanum
Sunt genus. in laqueos, quos posuere, cadant.
Dicitur Ægyptos caruisse juvantibus arva
Imbribus, atque annos sicca fuisse novem.
Cum Thrasius Busirin adit, monstratque piari
Hospitis effuso sanguine posse Jovem.
Illi Busiris, Fies Jovis hostia primus,
Inquit, et Ægypto tu dabis hospes aquam.
Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit. infelix imbuit auctor opus.
Justus uterque fuit. neque enim lex æquior ulla,
Quam necis artifices arte perire suâ.
Ergo, (ut perjuras merito perjuria fallunt,)
Exemplo doleat femina lusa suo.
Et lacrimæ prosunt: lacrimis adamanta movebis.
Fac madidas videat, si potes, illa genas.
Si lacrimæ (neque enim veniunt in tempore semper)
Deficient; udâ lumina tange manu.

644. *Hac minus est una fraude pudenda fides.*] Mihi Naugerii lectio magis placet, *hac minus est unâ fraude tuenda fides.* ut sit sensus; in ceteris rebus fidem servandam esse, sed in amore licere puellas fallere, eodem modo, ut leges ex præcepto Tyrannorum et Cæsaris jactant, *si jusjurandum est violandum, regni caussa est, ceteris rebus pietatem colas.* Burm.

645. *Fallite fallentes.*] Et hic *fallaces* Patavinus. sed eadem ratio, quam mox v. 608. in *audentes* vidimus.

647. *Dicitur Ægyptus caruisse juvantibus undis,* &c.] Idem tradit Hyginus in fabulis cap. lvi. Ciof.

650. *Hospitis effuso sanguine.*] *Adfuso* Regius, ut ad aram Jovis respiciat. Heins.

653. *Perilli.*] *Perilaum* vocat Lucianus in Phalari primo pag. 467. ubi tota historia.

662. *Deficiunt, uda lumina tange manu.*] Primo, *Deficient* est in melioribus; deinde, *uncta manu* Regii cum Politiani codice et quinque aliis. Oxoniensis, *cuncta:* tres, *tincta:* duo,

Quis sapiens blandis non misceat oscula verbis?
Illa licet non det; non data sume tamen.
Pugnabit primo fortassis; et, Improbe, dicet:
Pugnando vinci sed tamen illa volet.
Tantum, ne noceant teneris male rapta labellis,
Neve queri possit dura fuisse, cave.
Oscula qui sumsit, si non et cetera sumet;
Hæc quoque, quæ data sunt, perdere dignus erit.
Quantum defuerat pleno post oscula voto;
Hei mihi! rusticitas, non pudor ille fuit.
Vim licet adpelles; grata est vis ista puellis:
Quod juvat, invitæ sæpe dedisse volunt.
Quæcumque est subitâ Veneris violata rapinâ,
Gaudet: et improbitas muneris instar habet.
At quæ, cum cogi posset, non tacta recessit,
Ut simulet vultu gaudia, tristis erit.

unda: sed *uncta* verum est, quo adludit Helmæstadiensis, in quo *inita* vel. *tincta*. Sic et *unctas comas*, pro *unguento delibutas* lib. v. Fastorum dixit. *Olivo tangere* apud Persium Satyra iii. 43: quomodo hic *lumina uncta manu tangere*:

Sæpe oculos memini tangebam *parvus* olivo,
Grandia si nollem morituri verba Catonis
Dicere, et insano multum laudanda magistro.

Uda manu tangere, explicat simpliciter Burmannus, ut madefacta antea manu oculos contingat; ut videantur guttæ illæ, tanquam lacrimæ, ex oculis cadere. Sic libro i. Amor. viii. 83.

Quin etiam discant oculi lacrimare coacti,
Et faciant udas illa vel illa genas:

ubi *illa* vel *illa*, possunt capi, quæcumque apta sunt ad eliciendum fictas lacrimas. Sic *udæ* etiam *genæ* leguntur in ii. libro Fastorum, 460. Amar.

670. *Perdere dignus erat.*] *Erit* meliores. et superiori versu, *si non et cetera sumet*, vel, *sumit*. Heinsius. et *erat* potest retineri. vid. ad Epist. i. 108. *cetera* dictum, ut iii. Amor. ii. ult.

671. *Pleno post oscula voto.*] *Facto* Jureti et Intimelii liber. Forte, *furto*. Heinsius. Nihil mutarem. licet enim *facto* explicare possemus, ut apud Petron. cap. xi. *nec adhuc erant omnia facta*; ubi vide; idem notat *votum*, quod etiam in hac re proprium. Burm.

675. *Quæcumque est subita Veneris violata rapina, Gaudet*, &c.] Eleganter admodum Theocritus Idyll. xxvii. 69. Ὄμμασιν αἰδομένη, κραδίη δὲ οἱ ἔνδον ἰάνθη. Amar.

Vim passa est Phœbe; vis est adlata sorori:
Et gratus raptæ raptor uterque fuit.
Fabula nota quidem, sed non indigna referri,
Scyrias Hæmonio juncta puella viro.
Jam Dea laudatæ dederat sua præmia formæ,
Colle sub Idæo vincere digna duas.
Jam nurus ad Priamum diverso venerat orbe;
Grajaque in Iliacis mœnibus uxor erat.
Jurabant omnes in læsi verba mariti:
Nam dolor unius, publica caussa fuit.
Turpe, nisi hoc matris precibus tribuisset, Achilles
Veste virum longâ dissimulatus erat.
Quid facis, Æacida? non sunt tua munera lanæ.
Tu titulos aliâ Palladis arte petas.
Quid tibi cum calathis? clypeo manus apta tenendo est.
Pensa quid in dextrâ, quâ cadet Hector, habes?
Rejice succinctos operoso stamine fusos.
Quassanda est istâ Pelias hasta manu.
Forte erat in thalamo virgo regalis eodem:
Hæc illum stupro comperit esse virum.
Viribus illa quidem victa est, ita credere oportet:
Sed voluit vinci viribus illa tamen.
Sæpe, Mane, dixit, cum jam properaret Achilles:
Fortia nam positâ sumserat arma colo.
Vis ubi nunc illa est? quid blandâ voce moraris
Auctorem stupri, Deïdamia, tui?

683. *Mala præmia formæ.*] *Sua* iidem. HEINSIUS. Si *sua* rescribendum est, debent exponi debita, promissa. nisi *mala*, id est perniciosa, malis. unde Trojæ exitium ortum. ita Epist. xiii. 43. *damno suorum formosus*, et *malus hospes* dicitur Paris. BURM.

698. *Hæc illum stupro*, &c.] Peperit quippe Pyrrhum, paternæ laudis æmulum non degenerem. AMAR.

Scilicet, ut pudor est quondam cœpisse priorem,
Sic alio gratum est incipiente pati.
Ah nimia est juveni propriæ fiducia formæ,
Exspectat si quis, dum prior illa roget!
Vir prior accedat: vir verba precantia dicat.
Excipiet blandas comiter illa preces.
Ut potiare, roga: tantum cupit illa rogari.
Da caussam voti principiumque tui.
Juppiter ad veteres supplex Heroïdas ibat:
Corripuit magnum nulla puella Jovem.
Si tamen a precibus tumidos accedere flatus
Senseris? incepto parce, referque pedem.
Quod refugit, multæ cupiunt: odêre, quod instat.
Lenius instando tædia tolle tui.
Nec semper Veneris spes est profitenda roganti:
Intret amicitiæ nomine tectus amor.
Hoc aditu vidi tetricæ data verba puellæ:
Qui fuerat cultor, factus amator erat.
Candidus in nautâ turpis color: æquoris undâ
Debet et a radiis sideris esse niger.
Turpis et agricolæ, qui vomere semper adunco,
Et gravibus rastris sub Jove versat humum.
Et tibi, Palladiæ petitur cui palma coronæ,
Candida si fuerint corpora; turpis eris.

722. *Qui fuerat cultor, factus amator erat.*] In quibusdam codd. legitur, *Qui fuerat cultor victus.* Ex quo eruditissimus Rouerius optime fecerat,

Qui fuerat cultor dictus, amator erat.
DAN. HEINS.

Puto:

Qui fuerat cultor fictus, amator erat.
HEINS.

Ego nihil muto. verus enim cultor, non fictus fuerat; sed de cultore factus erat amator. quid *cultor* et *amator* differant docui ad Petronii cap. cxxvii. Cicer. ix. ad Fam. 16. *Sic color, sic observor ab omnibus his, qui a Cæsare diliguntur, ut ab his me amari putem.* BURM.

727. *Et tu Palladiæ.*] *Et tua* Regius, Oxoniensis, Jureti codex, et tres alii. bene, ut ad *Corpora* referatur. *palma coronæ* pro *fama* quatuor libri. nec damno. HEINS.

Palleat omnis amans: hic est color aptus amanti.
Hic decet: hoc vultu non valuisse putent.
Pallidus in Lyrice sylvis errabat Orion:
Pallidus in lentâ Naïde Daphnis erat.
Arguat et macies animum: nec turpe putaris,
Palliolum nitidis imposuisse comis.
Attenuent juvenum vigilatæ corpora noctes;
Curaque, et e magno qui fit amore, dolor.
Ut voto potiare tuo, miserabilis esto:
Ut, qui te videat, dicere possit, Amas.
Conquerar, an moneam, mixtum fas omne nefasque?
Nomen amicitia est, nomen inane fides.
Hei mihi! non tutum est quod ames, laudare sodali:
Cum tibi laudanti credidit, ipse subit.
At non Actorides lectum temeravit Achillis:
Quantum ad Pirithoum, Phædra pudica fuit.
Hermionem Pylades, quo Pallada Phœbus, amabat:
Quodque tibi geminus, Tyndari, Castor erat.
Si quis idem sperat; jacturas poma myricas
Speret: et in medio flumine mella petat.
Nil, nisi turpe juvat: curæ est sua cuique voluptas.
Hæc quoque ab alterius grata dolore venit.

730. *Hoc decet: hoc multi non voluisse putant.*] Forte:

Hic decet, hoc vultu non valuisse putent.

Ex hoc vultu colligant ac persuadeantur puellæ te non valere, et ægrum esse præ nimio sui amore. Heins.

731. *Pallidus in Lyricen sylvis errabat Orion.*] Noti sunt Amores Orionis, qui Œnopionis filiam perdite amarit, quam Meropen alii, Parthenius in Eroticis cap. xx. Hæro appellat. sed et *Side* Danai filia ab antiquis commemoratur, quæ Orioni nupserit, et Sidæ civitati Bœotiæ nomen dederit. De *Lyrice* nihil legisse me memini. Heinsius. Parrhasius ad Claudiani lib. ii. de Rapt. vers. 191. legit:

Pallidus in lyncem silvis errabat Orion.

Et exponit, cum Dianæ comes venaretur, ipsius Deæ cura carpebatur. de Daphnide quoque fabulam explicat. Burm.

734. *Pileolum nitidis imposuisse comis.*] *Palliolum* melioris notæ libri. nec dubium, quin recte. Qui enim infirmæ valetudinis erant, palliolis obnubebant caput. Heins.

Heu facinus! non est hostis metuendus amanti;
Quos credis fidos, effuge; tutus eris.
Cognatum fratremque cave, carumque sodalem:
Præbebit veros hæc tibi turba metus.
Finiturus eram: sed sunt diversa puellis
Pectora. mille animos excipe mille modis.
Nec tellus eadem parit omnia. vitibus illa
Convenit; hæc oleis; hac bene farra virent.
Pectoribus mores tot sunt, quot in orbe figuræ:
Qui sapit, innumeris moribus aptus erit.
Utque leves Proteus modo se tenuabit in undas;
Nunc leo, nunc arbor, nunc erit hirtus aper.
Hi jaculo pisces, illi capiuntur ab hamis:
Hos cava contento retia fune trahunt.
Nec tibi conveniat cunctos modus unus ad annos.
Longius insidias cerva videbit anus.

761. *Utque levis Proteus modo se tenuabat in undas.*] Primo *leves undas* reponendum est ex auctoritate optimi Regii, fragmenti veterrimi Oxoniensis. Pro *tenuabat*, deinde idem Regius, et duo alii, *tenuavit.* sed probe prima editio, et unus Vaticanus, *tenuabit.* et sequenti versu pro, *erat*, fragmentum Oxoniense, Codex Regius, et duo alii, *erit.* verissime. Instar Protei inquit, modo in leves undas, nunc in leonem, aut aprum, aut arborem se mutabit. De Proteo Noster pluribus libro Met. vii. et res est ceteroquin nota. Porro Horatii ista, Satyra iii. lib. ii. respexit hoc loco Noster, ubi is agit de malo debitore.

Scribe decem a Nerio. non est satis. adde Cicutæ
Nodosi tabulas centum: mille adde catenas.
Effugiet tamen has sceleratus vincula Proteus,
Cum rapiens in jus malis ridentem alienis:
Fiet aper, modo avis, modo saxum, et cum volet, arbor.

Nam proverbii locum obtinuis se videtur, ut qui urgentes eludebant, Protei dicerentur. Idem Horatius libro i. Epist. i.

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo? HEINSIUS.

In *undis* Bernensis unus et quatuor alii.

766. *Longius insidias curva videbit anus.*] Ridicule profecto. Causæ scilicet multum est, cur anus jam curvata præ senio insidias amatorum metuat. Quis credat optimo poëtæ tale quid excidisse? Tollit scrupulum codex Regius, in quo a manu prima legebatur, *cerva anus.* HEINS.

Si doctus videare rudi, petulansve pudenti;
  Diffidet miseræ protinus illa sibi.
Inde fit, ut, quæ se timuit committere honesto,
  Vilis in amplexus inferioris eat.
Pars superat cœpti, pars est exhausta, laboris.
  Hic teneat nostras anchora jacta rates.

FINIS TOM. I.